Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

# Adversus synodi Tridentinae restitutionem seu continuationem, a Pio IIII Pontifice indictam opposita gravamina : quibus causae necessariae et gravissimae exponuntur, quare ea Electoribus caeterisque imperii principibus & ordinibus Augustanae confessionis, neque agnoscenda neque adeunda fuerit : pro defensione syncerae & orthodoxae religionis, proposita primum in Naoburgico conventu principium

https://hdl.handle.net/1874/406666

# Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

# This book is part of the Van Buchell Collection

**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. qu.
82

[illegible]
[illegible]
106.
C.



E. qu.
82

N. 5. B

E 4° 82
1

# ADVERSVS Synodi Tridentinæ Re-STITVTIONEM SEV CON-tinuationem, à Pio IIII. Pontifice indictam, oppoſita grauamina: quibus cauſæ neceſſariæ et grauiſsimę exponuntur, quare ea ELECTORIBVS cæterisq; Imperij Principibus & Ordinibus Auguſtanæ Confeſsionis, neq; agnoſcenda neq; adeunda fuerit.

**PRO DEFENSIONE SYNCE-***ræ & Orthodoxæ Religionis, propoſita primum in* NAOBVRGICO *conuentu Principum: Et deinde repetita, atq; oblata* MAIESTATI CAESAREAE *in Imperij conuentu publico, qui ob Electionem & Coronationem Inclyti* REGIS ROM. *habitus fuit Francofurti: Nunc uerò ſummorum quorundam Imperij Ordinum mandatu & uoluntate, à delectis ad hoc Eccleſiarum ſuarum Doctoribus, & Conſiliarijs politicis uberiore explicatione ſingulorum capitum, ex Sacrarum literarum teſtimonijs, Patrum ſcriptis, Theologorum ſcholaſticorum commentarijs, ac Canonum interpretibus, alijsq; Scriptoribus compluribus, ad eum uſum iampridem diligentia ſingulari collectis, illuſtrata: & hoc ſcripto, quod ad poſteritatem de horum Ordinum erga Religionem & Rempub. ſtudio extet, comprehenſa.*

*E Germanico in Latinum conuerſa à D. Laurentio Tuppio Pomerano, Scholæ Agentoratenſis Iuriſconſulto.*

ARGENTORATI
*Excudebat Samuel Emmel.* ANNO *Domini*
M. D LXV.

Bonum Buchelli.

# Illuſtriſsimo Generoſiſsimoque Principi et Domino,

Domino Nicolao Chriſtophoro Radziuuilo: Duci Olicæ, & Nieſuuiſij, Comiti in Schidlouuiecz &c. ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS NICOLAI RADZIVVILI, PALATINI VILNENſis & Magni Ducatus Lithuaniæ Archimareſchalli, Cancellarijq; ſupremi &c. filio, heroicæ indolis ſummæq; ſpei Principi: Mœcenati ſuo.

LAVRENTIVS TVPPIVS IVRISCONS. S. P. D.

PROMETHEA CREDO, ILLVSTRISſime Princeps, ſi quis amicus uir bonus rogaſſet: quamobrem rem tantam aggreſſus eſſet, et ad cœlum conſcendiſſet, & facem hominibus detuliſſet: reſponſurum fuiſſe ſe hominũ cauſa feciſſe quod fecit, ut haberent quo carere poſt aquæ uſum non poterant: Et honeſta ratio eſt, facere, quod facis, non tua ſed hominum cauſa. Idem ego in huius uoluminis conuerſione reſpondeo: iſta me Polonis, Lithuanis, Vngaris, Gallis, Italis, Hiſpanis, Anglis ſcribere, qui niſi translata ſint, intelligere & legere non poſſent.

*Sed præter hanc cauſam cauſæ ſunt aliæ, quæ me ad huius laboris ſuſceptionem ſunt hortatæ: quarum una eſt non ſolum amicorum conſilium, ſed & magnorum Virorum uoluntas, in quibus unus eſt, qui in Imperio tanta eſt authoritate propter uarias & multiplices uirtutes, ut mihi gratiſſimum ſit, illius me poſſe uel cogitatis ſatisfacere. Hic enim dum quæ emendanda ſunt corrigit in populo: dum religionem, leges, iudicia pacemq́ publicā ornare et tueri omni ratione conatur: dum quæ à parentibus iure accepit hæreditario exornat: dum exteris æquè ac ciuibus conſulendo, pacando, omniq́ officio adeſt: non ſolum amari dignus eſt, ſed omnium in ſe amorem conuertit. Atq; utinam eius ego intelligens et grauiſſimum iudicium, expectationemq́ induſtriæ alicuius ſuſtinere in hoc opere poſſem, minus profectò me laborum, quos cœpi, mediocriter difficilium pœniteret.*

*Altera deinde cauſa eſt res ipſa, quæ in hoc uolumine pertractata eſt: qua nulla poteſt eſſe grauior, neq; periculi magnitudine, neq; explicationis difficultate. Quæ enim poteſt eſſe grauior quàm de concilio œcumenico, de emendatione pia Eccleſiarum, de religionis inſtauratione deliberatio? quæ non ad ciuitatem aliquam unam, aut populum unum: aut gentem aliquam atque nationem unam: non ad*

unam

*unam aliquam terrarum orbis partem: neq; ad Europam ſolam, uerùm etiam ad Aſiam & Africam pertinere uidetur, quacunq; orbis Chriſtianus patet et Eccleſia ſparſa conſeruatur: Siquidem in omnem partem exiuit Apoſtolorum Chriſti ſonus. Hic ſonus mirabiliter corruptus eſt, non ſolum hæreticis & ſchiſmaticis alienis, uerùm etiam à domeſticis Eccleſiæ Chriſti. Quid enim tam domeſticum eſt, quàm ſedes Romana? at quanta huius animaduerſa, notata, demonſtrata uitia? quæ non ſolùm mores ſed etiam doctrinam ipſam corruperunt: et in hac doctrina quot quantæq; diſceptationes: ita agitatæ ab utraq; parte per homines doctiſſimos, ut utram in partem inclinandũ ſit quotus quiſq; eſt qui non dubitet? Nihil enim argumentorum eſt in utraq; parte diſſidentium, quod non multis ac uarijs modis ſit dilatatum, confirmatum, accumulatum, digeſtum, amplificatum: uſq; adeò ut niſi diuinitus appareat cõſilium, cauſa ipſa nunquam queat explicari.*

*Et certè ſi principium aliquod eſſe debet harum difficultatum explicandarum, illud dubium non eſt à iudicij forma legitima & cognitione, qua docti & pij ſententias placidè inter ſe conferant, ſumi oportere. De qua ratione hic liber copiosè explicat, & ut propè affirmare auſim perfectè. Nam quid in hac rerum omnium perturbatione & tempo-*

*ribus miſerrimis ſalutaria ac pia emendationum cõſilia impediuerit: per quos ſtet quominus legitima cognitio hactenus ulla ſuſcipi aut progreſſum habere potuerit: quàm illegitimè et præpoſterè Concilia omnia à Pontificum factione indicta et habita ſint hac noſtra ætate et paulò uetuſtiore memoria: quantum in his præiudiciorum & grauaminum: quomodo deniq; Romani in hoc incumbant unum artibus miris & fraudulentis machinationibus, ut Concilij efficto nomine dominationem atq; tyrannidem ſuam defendant, cõfirment, ſtabiliant: erroresq; ueteres, ſuperſtitionem, uitioſos cultus, idola nouis pingant coloribus: ueritatem autem ſophiſmatum præſtigijs eludant, pleniſsima demonſtratione ſcriptũ hoc exequitur. tùm quæ legitimi, pij atq; Chriſtiani Cõcilij forma, qui modus, quis ordo eſſe debeat, quis iudicij quæſitor, qui iudices, quiúe actores, prudenter & per quàm eruditè explicat. Quæ ſi, quibus harum rerum gubernatio incumbit, ſtudioſius conſiderabunt, non incommodè imò cum utilitate his repertis utentur olim.*

*Mihi autem breuiter ita uidere uideor, ſcripto hoc explicari neruos controuerſiæ omnis & diſceptationum quæ de religionis emendatione iam annis amplius quadraginta inter utramq; partem uariè fuerunt agitatæ: ac ſimul ita perſpicuè aduerſariorum errores de doctrina ex ipſorum libris,*

*libris, qui ab annis trecentis extant & in manibus hominum uerſantur, poni in conſpectum & ante oculos: inuicẽq́; Scripturæ ſanctæ, patrumq́; & antiquiſsimorum Conciliorum autoritate confici atq; confutari: ut Magnatibus in gubernatione uerſantibus atq; grauius occupatis quàm ut prolixa diſceptationum uolumina euoluere queant, ad iudicandum intelligendumq́; negociũ de quo agitur plus quàm alia quædam huius generis ſcripta profuturum uideatur.*

*Quare ſi officij mei mihi præſtanda hic ratio eſt, qui illa ratione Promethei contenti eſſe nolunt quam de principio poſui, ſint contenti illa altera eiuſdẽ uiri ſapientis, quæ apud Lucianum eſt:* δεινὰ γὰρ ἤδη πέπονθα: *dum hæc ex lingua & ſermone, qui multò quam cæterarum nationum à Romanis abeſt longius, mediocriter multo labore latina facere ſtudeo. In iudicando autem & cenſendo æquitatem & candorem dignum bonis uiris adhiberi etiam atq; etiam oro, ac ueniam mihi dari quod nonnunquam ſententiarum potius germanicarum quàm uerborum ſingulorum rationem habui: quod & in cæteris linguis rectè ab interpretibus fieri iudicatum à doctis fuit ſemper. & mihi inſuper in hoc uolumine conuertendo ſummi cuiuſdam & autoritate præſtantis uiri iudicio, qui partem non minimam operæ in tanto habet, conceſſum fuit atq; permiſſum. Cum autem*

 cauſa

*cauſa ſit huiuſmodi ut uix alia grauior ea reperiri queat, ſpes bona me tenet, fore ut benè mihi eueniat, apud exteros præſertim qui Germanicè neſciunt, nuda hæc & ſimplex rerum maximarũ expoſitio: Sed ut in ea eruditi aliquando induſtria elaboraret magnopere optarim. Digna enim res eſſet in quam & operæ & ſtudij plurimum colloca caretur.*

*Quæ mihi etiam priuatim cauſa nonnulla fuit alacri⸗us ſuſcipiendi hunc laborem inter occupationes cæteras: quoniam tractatio hæc grauiſſima uiſa fuit, et etiam ex par⸗te maxima ad Iuriſconſultos pertinere: ut in hac me grauio⸗ribus commentationibus & exemplis ad imitationem plus conducentibus nonnihil exercerem. Quare neq; illud rectè mihi obijci queat, quod ſtudium in rem infrugiferam poſue⸗rim, aut alienam ab inſtituto & profeſſione mea. Nam ſi ad Iuriſconſultum ceu ſacerdotem Iuſticiæ, ut Vlpianus no ſter ſcripſit, omnia iudicia pertinent, quæ iuſticiæ ſunt, cur non & religionis? quæ omnis iuſticiæ fons eſt, & origo, & parens.*

*Ergo & hanc quantulamcunq; operam non inuitus dedi ueritati & iuſticiæ, cauſæq; ueritatis & iuſtiſſimæ: et ſi ab his inſtructus deinceps eiusdem generis uel ex hoc fon⸗te deriuata, uel ad hæc capita reducenda iuuare poſſem*

aliqua

*aliqua mea induſtria: quoniam ita nati ſumus ut communes utilitates in medium pro uirili conferre debeamus, & hunc fructum à ſingulis Eccleſia miſerè uexata, & Reſpub. iure ſuo repetit: nihil eſt rerum omnium ex quo ingenij, ſi quod in me eſſet, aut induſtriæ fructum quærere malim.*

*Et ſane, quoniam plerique ex ijs qui primos ſuſtinuerunt impetus huius diſsidij diem ſuum obierunt, Principes in Repub. alijque uiri eruditi: laudabiliter à noſtris fit, & pietatem ſuam erga Religionem atque Rempub. in eo declarant eximiè, dum operam dant ut quæ præclarè à maioribus inſtituta, acta, facta ſunt, illorum ratio etiam poſteris conſtare poſsit. Qui enim primi à Pontifice ſeceſsionem fecerunt durißimis difficillimisque temporibus, propè eos omnes uita defecit, dignißimi tamen qui ſempiterna nominis memoria ad omnem poſteritatem celebrentur.*

*Ex hoc numero liceat mihi apud Celſ. T. Illuſtrißime Princeps eorum breuiter repetere memoriam, quorum prudentia, fortitudo, conſtantia uirtusque ſingularis æternis monumentis poſteritati commendatur: qui florente ſed iam matura autoritate Pontificis, primi iugum Romanæ tyrannidis liberius recuſare ſunt auſi, & ſinceriorem amplecti doctrinam: ſummorum in Imperio Ordinum Principes Viri qui Confeßioni quæ extat nomina ſua ſubſcripſerunt.*


pſerunt.

*pſerunt: Ex quibus tamen præter Illuſtriſsimum fortiſsimumq́; Heſſorum Principem Philippum Landgrauium pauci ſuperſunt eius temporis, et in his: qui ſe iſtis temporibus huic ſtatim Confeſsioni ſingulari pietate adiunxit Bernimus Pomeraniæ, patriæ meæ, pater et Princeps Optimus conſtantiſsimusq́;, Dominus meus Clementiſs. Philippum enim patruelem eius, Principem omnibus ſummis uirtutibus præſtantem, ſuperiores anni Pomeraniæ cum dolore ſummo ſuſtulerunt. imago autem paternarum uirtutũ, pietatis, clementiæ, conſtantiæ, prudentiæ, ſobrietatis, gratiæ in liberis qui ſuperſunt, heroicæ indolis optimisq́; Principib. Ioanne Friderico, Bugslao, Erneſto Ludouico, Erico, Bernimo, patriam conſolatur. Horum uirtutem præclaram ſincerumq́; ergà religionem et res optimas ſtudium ut tacitus præterire nequeam, patriæ caritas & memoria maximorum beneficiorum facit. Supereſt & ex Comitib. Chriſtophorus Comes ab Oldenburg, ſimiliter religionis conſtantiſsimus propugnator, literarum & doctorum uirorum Mœcenas, quem uir Clariſs. mihiq́; amantiſsimus Ioan. Sturmius, gymnaſij noſtri Rector, patronum & alterum parentem ſuum nominare ſolet. Tum ex doctis ſummus uir Ioan. Brentius Theologus, in quo ornando Illuſtriſs. Vuirtenbergenſiũ Dux Chriſtophorus oſtendit quæ quantaq́; uelit & faciat pro religione, ut hac*

*una uirtute reliquas omnes uirtutes quib. eximiè præditus eſt maximas indicet. Horum igitur cauſam cõmunem ut ꝓ tenuitate mea adiuuarem, libentius transferendi hoc munus atq; onus ſuſcepi.*

*Sed præter has cauſas Illuſtriß. Princeps eſt & alia quædã quæ ad Celſ. T. & me priuatim attinet, minimeq; mihi negligenda eſt. Multũ enim & diu ante huius operis confectionẽ cogitaui quo tandem literato munere Celſ. T. ergà me beneuolentiã & liberalitatẽ cõfiteri cõmodè poſſem: et quod non ſatis mihi ſit abs te mea ſtudia probari, niſi eadẽ etiã patri T. Principi magnanimo et ſapiẽti cõprobẽtur. Velim etiam ſi fieri poßit, auis & proauis & atauis non improbari. Quò enim antiquiores familiæ ſunt, eò diligentius elaborandũ eſt ut conſtet officij ratio. Audio enim poſt* IAGELLONVM *Regiam familiam, ueſtram gentem multò uetuſtißimam eſſe: in conſilijs ſummisq; Regni negocijs maiores Celſ. T. principem locum habuiſſe: & proauum quatuor filijs in Regni conſilio floruiſſe: Alberto Vilnenſi Epiſcopo: Nicolao auo clemẽtiæ tuæ qui Lituaniæ ſupremus Mareſchallus fuit: Georgio Vilnẽſi Caſtellano, patre Nicolai Radzuuili Trocenſis Palatini, qui ſuperiore anno ſecũda prælia cũ Moſcouitarũ duce fortiter geßit, cuius ſoror etiã Barbara Regina Poloniæ fuit: Et Stanislao Trocenſi Caſtellano. His*

*His etiam uelim ſi fieri poſſet grato aliquo officio et literato gratitudinis officiũ facere mortuis. ſed imprimis patri tuæ clementiæ: uel ob hoc ipſum, ut reliquas illius uirtutes prætereram, quod in filio oſtendit quanti literas et quanti religionem uerã faciat: Et certè etiã ob tuas uirtutes, quarũ ſumma cum uoluptate quotidiè à Clariß. in Repub. noſtra Viris fieri mentionem audio. Cũq; moderatorẽ œconomicũ tibi et ſapientem et induſtriũ pater ſapientißimus præfecerit Virum nobilem Balthaſarum à Leuualdt, gaudeo te ita illo uti ut nunc amicum & ſocium, nunc Principem & patronum magnum ſe habere ſentiat. In hoc te pergere laudabile eſt, tum etiam in illis adoleſcentiæ exercitijs quæ in ſchola noſtra inſtituiſti, audiendis uiris doctis, exercitatione ſtyli, ludisq; liberalibus.*

*Plura de tuis rebus ſcriberem libenter niſi epiſtolæ modum exceßiſſem, & niſi ad te ſcriberem. tempus fortaſſe dabit, ut abſentem te ad alios laudem, aut ſi non idoneus laudator eſſe poßim, ut DEVM orem, ut te ſaluum & incolumem et proſperum & fœlicem quàmdiutißime nobis conſeruet. Benè & fœliciter ualeat Celſ. T. Dat. Argentorati pridie Calendas Aprilis.*

*M. D. LXV.*

PRÆ-

# PRAEFATIO OPERIS.

SVPERIORE ANNO, QVI SVPRA MILLEſimum & quingenteſimum ſalutis humanæ alter fuit et ſexageſimus, Pius eius nominis IIII. Pontifex Romanus diplomate euulgato Concilium, vt ipſe nominat, Vniuerſale, aut verius, ſuperioris Synodi Tridentinæ continuationem, eodem Italiæ oppido Tridenti indixit: propè iam, vt exiſtimatur, finitam. Ad eam, miſsis, qui Regibus paſsim et orbis Chriſtiani principibus per Germaniam ac nationes cæteras id Concilium denunciarent, oratoribus, legatis & nuncijs, ſingulos prolixè uocauit: inuitans, ac pro ea, quam ſibi ſumit poteſtate, monens, atque præcipiens, vt aut ipſi coràm adeſſent, aut legatos, procuratoresúe ſuos cum plenis mandatis, pro rei ſcilicet magnitudine & dignitate, frequentes eò mitterent.

Atque idem anno ſuperiore Electoribus, cęterisque Principibus et Ordinibus Imperij, qui confeſsionem fidei Auguſtæ exhibitam et editam amplexi, conuentũ NAOBVRGI, Turingiæ oppido, habuerunt, itidem per legatos de indicto à ſe Concilio denunciauit: monens vt aut ipſi intereſſent coràm, aut oratores cum mandatis rectè mitterent. Id quod & Opt. Maximusque Princeps FERDINANDVS Imperator noſter inuictiſsimus et Clementiſsimus per oratores ſuos ab ijſdem Imperij Ordinibus perbenignè poſtulauit.

Etſi autem Principes, & cæteri Status, legatis Pontificijs eo tempore coràm ad ea quæ proponebantur, qua fieri decuit ratione, reſponderint grauiter: & extent eorundem Principum atque Ordinum contra ſuperiora Pontificum Concilia, Mantuanum ſcilicet & Tridentinum, edita grauamina, et

recuſa-

recuſationũ cauſæ legitimæ ac iuſtiſsimæ, nuper in conuentu Imperij Francofurtano, quo inclytus Rom. Imperij Rex inaugurabatur, Maieſtati Cæſareæ quoq; oblatæ & exhibitæ, vt repetita commemoratio et quaſi renouatio eorum non admodum neceſſaria videatur: tamen, cum pleriq; ſummorum Imperij Ordinum Principes viri, ſtudioſi Euangelij & purioris doctrinæ, non leuibus cauſis abducti, et in futurum quaſi proſpicientes, tempeſtiuè metuendum putarent, ne harum rerum maximarum memoria & cauſæ recuſationum multiplices et grauiſsimæ, hactenus in defendenda confeſsione purioris doctrinæ aduerſarijs oppoſitæ, paulatim, ut fieri ſolet, obſoleſcentes intercideren, & ſecus de his iudicaret poſteritas, quaſi temeritate, vel errore opinionis à maiorum inſtitutis ætas noſtra diſceſsiſſet, & veluti ſeditione quadam iudicia, authoritatemq; grauiſsimam Eccleſiæ uoluiſſet ſubterfugere: neceſſarium fore rati ſunt, vt de ſuſpicione iſta, nõ tantum huic, qua cum nunc viuitur, ætati ſe purgarent, ſed et poſteritati dulciſsimæ publico aliquo & fide digno teſtimonio de his rebus, deq; conſtantia & conſenſu ſuo in profeſsione orthodoxæ religionis ſeſe commendarent. Etenim res ipſa docet veriſsimum eſſe quod dicitur, Crudelem eum habendum & peſsimè de ſe merentem, qui famæ & exiſtimationis ſuæ rationem nullam habeat: Et inuicem, qui famam cuſtodiat, hunc & in ſe & in alios eſſe miſericordem, ut præclarè Auguſtinus ſcripſit.

Hoc itaq; conſilio Principes, & Imperij ſtatus, quos diximus, pro ſuo in Rempub. ſtudio, proq; amore & pietate erga puram et veram Eccleſię doctrinam, delectis ad eam rem Eccleſiarum ſuarum doctoribus, & conſiliarijs politicis, id negotij dederunt, ut cauſam hanc longè grauiſsimam, pertinentem ad Eccleſię Dei, et communem totius Reipub. Chriſtianæ

ſtianę ſalutem, in vnum ueluti corpus redactam, ſcripto complecterentur: nihilq́ eorum intermitterent, aut ſilentio præterirent, quæ ad integram, plenamq́ tractationem cauſæ huius pertinere arbitrarentur. Vt hoc quaſi teſtimonium eſſet conſtantiæ & conſenſus Eccleſiæ horum temporum, ſynceram doctrinæ Cœleſtis veritatem confitentis & profitentis, ac refutatio calumniarum, maleuolentię & obtrectationum, quæ pios conatus perſequuntur.

Vt igitur cauſa omnis facilius, et quoad fieri poſsit planiſſimè, diſtinctè & ordinatè explicetur: placuit delectis ad hoc negociũ viris omnem ordine tractationẽ his locis cõcludere:

PRIMVM, ut rationib. firmis & apertis planum fiat atq́ demonſtretur: Principes, cæterosq́ Auguſtanæ confeſsioni coniunctos Status nequaquã reformidare aut refugere cenſuram ac vera iudicia Orthodoxæ & Catholicæ Eccleſiæ.

DEINDE cauſis & rationibus adductis planiſsimè doceatur, Cur Principes & Imperij ordines, neq́ hoc, quod nũc indictum eſt à Pontifice Rom. Concilium, neq́ cætera quæ deinceps, pro ea quam ſe habere falſò iactat poteſtate, quandoq́ ſit indicturus, agnoſcant: Quodq́ Pontificum authoritate indicta Concilia nullo, nec diuino, nec humano iure ipſis comprobanda fuerint.

AC TANDEM, qui tertius & vltimus locus ſit futurus, definiatur atq́ declaretur, qualia ſint ea Concilia, & Eccleſiæ iudicia, quę hactenus ſemper in conuentibus Imperij publicis Principes & Status confeſsionis oblatæ ſe reuerenter agnoſcere teſtati ſunt, & etiámnum agnoſcunt: Nec per ipſos ſtetiſſe, quò minus eius generis liberum atque Chriſtianum Concilium (cuius quidem toties ſpes ſit facta Principibus) in Germania hactenus ſit coactum, doceatur.

His locis cauſam omnẽ in uniuerſum comprehendi poſſe, eo-

ſſe, eorumq́ explicationem bonis omnibus, et veritatis aman tibus non ingratam fore exiſtimant.

¶ Prius autem quàm rem ipſam, cauſęq́ tractationem ingrediantur, hoc ab initio, non ſuo tantùm, ſed vel inprimis Principum & Statuum nomine præfandum ſibi exiſtimarunt: palàm ſe, & quò id melius rectiusq́ fieri poſsit modo, teſtari, inſtitutam ſcripti huius orationem ad nullius planè contemptum, inuidiam, aut contumeliam pertinere, neq́ cuiuſquam exiſtimationi aut honori ea detractum velle, neq́ quidquam hic ab ipſis quęri aliud, quàm vt pro officio ſuo, gloriam Diuini nominis, & propagationem doctrinæ ad agnitionem filij Dei neceſſariæ, ac cõmune bonum Reipub. Chriſtianæ, piamq́ Eccleſiarum emendationem pro ſua virili parte iuuiſſe: tùm mandato de re pia & longè honeſtiſsima ſuſcepto, pro ea quam magiſtratui debent obedientia, proq́ viribus, fide optima ſatisfeciſſe uideantur.

Deinde & hoc tam Principum quàm ſuo nomine teſtantur, nihil ſe aduerſus conſtitutam & multis iam Imperij decretis confirmatam, ęternumq́ ſancitam de religione pacem publicam, itemq́ tranſactionem pacificationis Paſſauienſis publicè ſtabilitam ſuſcipere, ſuſceptumúe uelle: Sed ſaluã ſemper & inuiolatam, quod quidem ad ipſos pertineat, earum legum autoritatem fore, idemq́ inuicem ſperare ſe ſine ulla dubitatione de cæteris Imperij Statibus & ſubditis, quò pax ea, publicis ſancita decretis, pia ſit & perpetua.

Deniq́, nihil ſe autoritati Orthodoxę & Catholicę Eccleſię, nihil iudicijs piarũ Synodorũ, cõgregationumúe hoc ſcripto detractũ derogatumúe uelle: ſed vt ſemper honorifica fuerit ipſis hactenus, ita deinceps quoq́ honeſtiſsimã fore ſemper de illis opinionẽ. Deq́ his omnib. et ſingulis ſe, quo melius, firmiusq́ fieri poſsit modo, inprimis teſtatũ publicè velle.

PRIMA

# PRIMA INSTITVTI HVIVS SCRIPTI PARS.

## IN QVA SVCCINCTA ET *breui grauiſsimarum rationum explicatione oſtenditur, Principes & Imperij Ordines, qui oblatam Auguſtæ confeſsionem Fidei amplectuntur, Concilium liberum atq; Chriſtianum nequaquam recuſare aut defugere.*

VT IGITVR AD REM IPSAM PROtinus accedamus: Etſi in eam, quam diximus, ſententiam Principes atq; Ordines ampliſsimi legato Pontificio Concilium denuncianti, re pro dignitate deliberata reſponderint: idq; ea moderatione, ut nihil Chriſtiana pietate dignum in eo deſiderari rectè poſſit: facile tamen eſt cogitare, & res loquitur ipſa, in quam partem id aduerſarij acceperint. Etenim non obſcurum eſt, homines maleuolos, & quorum iampridem Statibus notum eſt atq; perſpectum ingenium, hac de re rumores uarios ſpargere, & ad exteras nationes augere, quibus omnia, ut ſolent, peruertere ac calumniari conantur iniquiſſimè, & in peſsimam quæq; partem rapiunt. Cumq; con-

ſtet implacabili quodam odio conſtituiſſe ipſos aduerſum noſtros facere & ſtruere omnia, idq́ vnum ſibi ſtudio habere, nihil expectandum eſt aliud, quàm tentaturos eos & aggreſſuros audaciſsimè quidquid cauſæ huic officere, & Imperij Ordinibus ignominiam adferre poſſe putauerint.

Etſi autem variæ ſint & propè infinitæ calumniæ, ac Sophiſmatum præſtigiæ, quibus cauſam hanc, & doctrinam quam Status profitentur, oppugnare ac prægrauare ſolent, Regumq́ & Potentum odia in noſtros facilè accendere: illa tamen ſpecie vel imprimis audacter vtuntur, & hactenus vſi ſunt ſæpius, qua rectè dicta & facta noſtrorum eo detorqueant Sophiſticis deprauata cauillationibus, quaſi nullorum iudicia pati, neminem audire, nullum omnino ferre iudicem noſtri velint, neq́ adduci poſsint vt ſe vlli Concilio ſubijciant.

Eadem calumnia et exterarum nationum animos haud dubiè inflãmaturi ſunt odijs aduerſum hos Ordines, quaſi hi cæteras nationes omnes præ ſe contẽnant & pro nihilo ducant, quarum tamen pro defenſione religionis Chriſtianæ multa præclara facta & merita ſumma ſint, quæ clariſſimorum & ſummorum in Eccleſia doctorum laude floruerint ſemper, quæq́ literarum & eruditionis ſcholas habeant laudatiſsimas, in quibus incredibile ſit quantum laboris & operæ in religionis ſtudia collocetur.

Ad hæc dubitandum non eſt, quin & illud vehementer exaggeraturi ſint clamoribus, impiumq́ eſſe & moribus Chriſtianis indigniſsimum vociferaturi, iudicia communis Synodi detrectare, & cenſuram ſummæ poteſtatis ſubterfugere uelle: cum conſtet Conciliorum autoritatem ſemper in Eccleſia Catholica fuiſſe grauiſsimam, eoq́ loco

etiamnum

etiamnum meritò ac iure omnibus Chriſtianis habendam.

Et, quæ illorum hominum eſt calumniandi audacia, protinus vociferaturos certum eſt, pudere iam noſtros eius, quam hactenus adſeruerunt, doctrinæ, atq; ob id latebras quærere: aut ſeditione commota, nunc infinitas orbis Chriſtiani diſtractiones & ſchiſmata moliri, nec ferre velle vllam ea de re cognitionem inſtitui publicè: deniq; culpa horum & exemplo peſſimo fieri, quo minus pax & concordia Reipub. & Eccleſiæ reſtituatur: et quæ ſunt eius generis ſimilia maledicta, ab hominibus maleuolis certò expectanda.

QVAE CRIMINA, longè grauiſsima, ſi ex meritò his Ordinibus inferrentur, &, vt proteruitate & petulantia aduerſariorum ac maleuolorum cumulantur & augeſcunt indies, ita demonſtrari etiam & rationibus veris probari ſi poſſent æquis iudicibus: (in quo profectò fruſtra laborem omnem ſument homines improbiſsimi) non tantum id graue & auditu horrendum, ſed & abominabile, & bonis omnibus ſupremè deteſtandum meritò foret. Non enim ignotum eſſe poteſt Statibus quod in hanc rem grauiſsimè ab Apoſtolo ad Galatas ſcriptum extat: *Qui conturbat uos portabit iudicium, quiſquis ille ſit.* Et quód Salomon ait: *Abominari Dominum eos qui diſcordiam ſerant inter fratres.*

*Cap. 5.*

*Prouerb. cap. 6.*

Maximis itaq; & grauiſsimis de cauſis neceſſariò faciendum fuit, quod ad vniuerſam Rempub. pertinebat, ut pro defenſione piæ & ſyncere doctrinæ; quæ ſine

vlla dubitatione æterna eſt & immota veritas diuina, his et ſimilibus aduerſariorum criminationibus & calumnijs recte & tempeſtiue occurreretur publico aliquo ſcripto, quo ipſo ſimul Maieſtati Cæſareæ, Regibus, Principibus, omnibusq; veram atq; incorruptam Euangelij doctrinam ſecundum ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum amantibus, horum Ordinum ſtudium et voluntas erga puritatem religionis, quodq; ipſorum, in vniuerſum ſit de TRIDENTINA hac Synodo iudicium, ſine vlla animi affectione et maleuolentia exponeretur. In quo quidem ſpes bona propoſita videatur, fore vt cognita oratione hac æquiſsima, iudicijq; noſtri rationibus iuſtiſsimis, maximeq; conſentaneis diuinæ Scripturæ, ipſa Maieſtas Cæſarea, cęteriq; Reges & Principes, & in vniuerſum boni omnes vbiq;, non tantum de criminationibus aduerſariorum falſiſſimis nos, pro eo ac decet, excuſatos ſint habituri, verumetiam (quod ad officium gubernatorum & ſummorum in Repub. Ordinum vel imprimis pertinet) rationes omnes ſanandorum Eccleſiæ vulnerum inituri, & operam daturi quàm maximam, vt de cauſa hac longè grauiſsima, in qua verſatur ſalus omnis Reipub. tandem conſtituatur: Vtq; falſa doctrina, cultus impij, & abuſus multiplices, quibus religio variè & miſerrimè inquinata iacet, è medio tollantur, nec permittatur deinceps Pontificum factionibus, vt impio religionis prætextu, & Concilij ſpecie fraudulentiſſima veterem, quam moliuntur, tyrannidem ſtabiliant, et veritatem Cœleſtis doctrinæ, quæ ſummo Dei beneficio illuxit, impia crudelitate rurſus è medio tollant & extinguant.

Etenim veris, firmiſsimis & immotis rationibus, Deo iuuante,

iuuante, demonſtraturos ſe delecti ad hanc cauſam viri confidunt, doctrinam quam amplexi ſunt & tuentur hi Status & Imperij Ordines, verum eſſe, Pium, & Orthodoxum Eccleſiæ Catholicæ dogma, & conſenſum certiſsimum: & quidquid in hac cauſa ab ipſis ſuſceptum ſit, id omne ſpectare imprimis Diuini nominis gloriam, ac Reipub. Chriſtianæ ſalutem: In eoq; ab omni ipſos pertinaciæ, ambitionis, contentionum & diſſentiendi ſtudio ac crimine longiſsimè abeſſe.

NAM QVOD maleuoli homines, vt exterorum in nos incendant odia, Status & Imperij Ordines, quos diximus, aſpernari clamitant, & ſuperbè contemnere cæterarum nationum, adeoq; commune Eccleſiæ Catholicæ iudicium & cenſuram: id quàm ſit falſum & vanum, uel ex eo manifeſtiſsimum fit, quod tot iam annos hi Status propè ſolos ſe, & quidem labore maximo, difficillimis, periculoſiſsimisq; temporibus, Romano Põtifici oppoſuerint, ne qui actor vel reus eſſet in hac cauſa, idem & iudicem ſe conſtitueret: idq; vnum hactenus conſtantiſsime flagitarint ſemper, vt controuerſia omnis legitimè per viros idoneos, intelligentes, ac Deum timentes, quarumcunq; ſint nationum, modo amantes ſint pietatis & veritatis, ac neutri partium magis addicti, diſceptetur, cognoſcatur atq; iudicetur: Id quod haud dubiè Pij omnes & boni viri, pacis & concordiæ amantes, per varia regna & nationes, ardentibus votis & pio gemitu iampridem nobiſcum precantur & optant.

Ac ſanè non pauci extant exterarum nationum libri, & ſcripta permulta, quibus longè ante hæc tempora homines docti & intelligentes paſsim conqueſti ſunt publicè de

erroribus doctrinæ, de multiplici abuſu, & ſuperſtitione infinita quæ in Eccleſiam irrepſiſſet: ex quo genere ſunt, quæ iampridem edita extant:

*Scriptum Scholæ Parrhiſienſis de Periculis Eccleſiæ, compoſitum circiter annum Domini M. D. LXXXIX.*

*Speculum aureum Papæ, eius Curiæ, Prælatorum & aliorum Spiritualiũ, Scriptum ante annos CL.*

*Item Franciſci Petrarchæ, Baptiſtæ Mantuani, Ioannis Pici Mirandulæ, L. Vallæ, Hieronymi Sauanorolæ Italorum: Guilielmi Occam, Roberti Barns Anglorum: Ioannis VVeſſeli & Abbatis Spanheimenſis Germanorum: Ioannis Gerſonis Galli, de uita Spirituali animæ & poteſtate Eccleſiæ & auferibilitate Papæ ab Eccleſia.*

*Item: Marſilij Patauini tractatus de translatione Imperij, & Liber de defenſorio pacis.*

*Antonij de Roſellis, de Poteſtate Imperatoris & Papæ.*

*Alberici de Roſate, & Petri Ferrarienſis commentarij paſsim.*

*Confutatio Primatus Papæ, à Gregorio Heymburgenſi,*

*burgenſi, ante annos* CXXVII. *conſcripta,* & alia penè innumera. Vt dubium non ſit, quin & his noſtris temporibus, & in hac doctrinarum omnium & verbi Diuini luce, multi paſsim apud omnes nationes inueniantur Viri docti & pij, qui Orthodoxæ religionis doctrinam rectiſsimè intelligant, quantumuis oppreſsi Pontificum tyrannide exaudiri nequeant. Hos ipſos quoq; admitti, vt, vel diſcendi vel iuuandæ veritatis gratia, ſententiam in Concilio liberè dicerent, nonne æquiſsimum foret? Etenim nullum fugiunt noſtri, quod quidem liberum & neutri partium magis addictum ſit Concilium, neq; vllius intelligentis iudicium aut cognitionem metuunt; imò multis iam annis flagitarunt talem indici Synodum, in qua vera religio per viros pios, amantes veritatis, minimeq; ſuſpectos, ab errorum deprauatione, rectè vindicata in lucem ſuam adſereretur, &, erronea ac falſa doctrina omni exterminata, inuicem, quæ ſyncera, vera, & incorrupta eſſet, reſtitueretur, doceretur, & conſeruaretur.

QVOD AVTEM obijciunt lucem & conſpectum intelligentium hominum fugere, & latebras quærere hos Status, qui Pontificum inſidioſa & impia Concilia adire recuſant, id multò facilius etiam & optimis nominibus refelli poteſt. Extant enim publicè, & quidem ante multos annos editi libri, & ſcripta grauiſsima, quibus Eccleſiarum noſtrarum doctrina, & omnis Fidei ratio ipſis CAROLO V. ET FERDINANDO I. IMPP. cæteriſq; Imperij Ordinibus non priuato conſilio obtruſa, ſed poſcentibus in conſeſſu totius Imperij,

multarumq́ nationum frequentia exhibita eſt Auguſtæ & edita publicè, quæ conſtantiæ atq́ conſenſus horum Ordinum, veram Euangelij de filio Dei ſecundum diuina Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta confitentium & profitentium, teſtimonium illuſtre ad omnem poſteritatem perhibebit.

Ad hæc, eadem doctrina Euangelij in Eccleſijs & Scholis horum Principum & Ordinum tot iam annos, ex quo Confeſsio Auguſtana oblata eſt & edita, docetur publicè, eaq́ fide & diligentia vrgetur in populo, vt omnibus ex æquo in medio poſita ſit, ac cuilibet eam ad gloriam nominis Diuini, ſalutemq́ ſuam diſcere & priuatim & publicè liceat. Extant ſimiliter libri & ſcripta Theologorum noſtrorum plurima Latinè & Germanicè edita, ad vſum Eccleſiæ publicum & priuatum. Quo ore igitur aduerſarij noſtri dicere audent: lucem noſtros fugere, & doctrinæ ſuæ rationem reddere nolle. Nec enim pudere nos poteſt Euangelij de filio DEI, non magis quàm nec Paulum Apoſtolum eius puduit: At qui malè agit, *Ioan. cap. 3.* is, quemadmodum ipſe Dominus teſtatur, lucem odit, ne arguantur opera ipſius. Qui veritatem operatur, prodit in lucem conſpectumq́ hominum, vt facta ipſius conſpiciantur, quod per DEVM ſint facta. Deniq́, quod verum eſt, neq́ angulos neq́ latebras vllas quærere ſolet.

IAM QVOD iidem Ordines præter culpam & immeritò accuſantur, quaſi qui iampridem, damnatas ab Eccleſia hæreſes in lucem reuocarint, eamq́ ob cauſam indigni ſint, de quorum dogmatibus & diſputationibus cognitio publica inſtituatur: ſiquidē veteres quoq́ Impp. grauiſsi-

grauiſsimarum pœnarum comminatione vetuerint, ea, quæ Conciliorum autoritate ſemel determinata ſint, & decreta, in diſputationem & controuerſiam reuocare: *& iniuria* (vt Martiani Imp. conſtitutione hic abutuntur iniquiſsimè) *Iudicio reuerendiſsimæ Synodi fiat, ſi quis ſemel iudicata ac rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contenderit, &c.* Id ſine ulla ratione & falſò obijci Statibus, ac verbo vno facillimè dilui poſſe, ij norunt omnes, qui horum Ordinum confeſsionem publicè exhibitam, eiuſdemq; Apologiam mediocriter ſaltem inſpexerunt. Neq; enim nouum doctrinæ genus eſt, quod amplexi ſunt Status & doceri curant, ſed ipſius veteris & Catholici dogmatis viua vox, & conſenſus doctrinæ inde vſq; ab initio per Prophetas & Apoſtolos humano generi traditæ: id quod & veteris, puriorisq; Eccleſiæ teſtimonijs & autoritate antiquiſsimorum Conciliorum, ac patrum ſcriptis euidentiſsimè demonſtrari poteſt, atq; in progreſſu huius operis, quantum quidem eius neceſſarium videbitur, abundè ſuo loco oſtendetur.

*L. nemo C. de ſumma Trinitate & Fide Cath. De qua materia latè Conrad. Brunus libro 3. De hæretic. cap. 12.*

Ac ſanè Principes noſtri, cæteriq; Status, qui Confeſſionem fidei Auguſtæ exhibitam, eiusq; Apologiam ſyncerè amplexi ſunt, verè de ſe affirmare poſſunt, in eoq; piè gloriari, tantum abeſſe, vt vllam hæretici dogmatis opinionem, quæ cum veteris & Orthodoxæ doctrinæ ac Catholicæ Eccleſiæ conſenſu pugnet, receperint, vt etiam doctrinam & autoritatem veterum Conciliorum ac Patrum multis in locis renouatam in lucem reuocarint his temporibus, & illuſtrarint, quæ Monachorum & Scholaſtico-

rum doctorum inſcitia denſiſsimis tenebris obſcurata, & propè extincta iacuit, dum inani Philoſophia & quæſtionibus ineptiſsimis, nouisq́ ac ſuperſtitioſiſsimis opinionibus implerentur omnia, & cultus Idolorum tetri, neglecta ac ſpreta prorſus omni antiquiſsimorum Conciliorum & Patrum autoritate, inueherentur.

Etenim vſq; eò auctas fuiſſe ſuperſtitione & barbarica inſcitia tenebras in doctrina eius temporis ſcimus, vt & ipſos Theologiæ & Sacrarum Literarum ſtudioſos, qui ſuperiore ſeculo, & ante annos quadraginta Scholaſticam Theologiam, quæ ſic dicebatur, didicerant, confiteri de ſe hominibus fide dignis non dubitaſſe conſtet, lectiones quidem ſe frequentaſſe diligenter, & tempora ſtudijs Theologicis perdiſcendis conſtituta ac præfixa compleuiſſe ſedulò, verè tamen affirmare poſſe, ſe toto illo quinquennio aut ſexennio, quo in Scholis didiciſſent, nullam de filio Dei, vel nominis ſaltem, mentionem, à Præceptoribus factam audiuiſſe: atq; ita occupatos fuiſſe homines miſeros ineptiſsimis libris Magiſtri Sententiarum, Scoti Bonauenturæ, Alexandri de Ales, Thomæ Aquinatis, & ſimilium eius farinæ Scholoſticorum, vt Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis legendis nullus omnino relictus eſſet locus, ac ne quidem vlla de his in Schola mentio fuerit reliqua, nedum vt his aliquid ſerij ſtudij attribueretur.

Quo nomine non vno in loco Scholaſticos Theologos ſummus ætatis noſtræ vir Eraſmus quoq; grauiter reprehendit, quòd in queſtionibus friuolis, nihili, ſuperuacaneis, obſcuris, nonnunquam etiam manifeſtè impijs ætatem malè tererent. *Totis* inquit, *ſeculis diſputamus*,

an gratia

*an gratia, qua Deus nos diligit, ac trahit, & qua nos illum uiciſsim diligimus, eadem ſit gratia, & an ſit aliquid creatum uel increatum? Digladiamur ſine fine, quid diſtinguat Patrem à Filio, & utrumq; à Spiritu Sancto, res an relatio? & qui conſiſtat, tres dici, quorum nullus ſit qui alius, cum ſit una eſſentia: Diſputamus qui fieri poſsit ut ignis quo cruciabuntur impiorum animæ, cum ſit materialis, agat in rē incorpoream, &c. Quibusdam tota ætas in huiuſmodi quæſtionibus conſumitur, & res uſq; ad clamorem, uſq; ad uera diſsidia, uſq; ad conuicia, nonnunquam uſq; ad pugnos procedit. Quot quæſtionum examina ſuſcitamus circa Baptiſmum, circa Synaxin, circa Pœnitentiæ ſacramentum, quorum nonnulla ſunt eiuſmodi, ut nec ſcire magnopere referat, & ut aſſeuerari poſsint, ita nec refelli, nec probari:* Et idem paulò poſt: *Quid autem nunc loquar de quæſtiunculis, non ſolum ſuperuacaneis, ſed penè dixerim impijs: An Deus poſsit quiduis malum, etiam odium ſui præcipere? & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum ſui? An potuerit hunc mundum ab æterno meliorem facere, quàm fecit? An poſsit producere hominem, qui peccare nullo modo queat? An reuelare*

In annotat. Epiſtolæ Pauli ad Timotheum prioris.

poſsit

*poßit alicui ſuum futurum peccatum, aut damnationem? An poßit reſpectum producere ſine fundamento, & termino? An poßit naturam uniuerſalem producere, et conſeruare ſine ſingularibus? An poßit aliquo prædicamento contineri? An poteſtatem creandi poßit communicare creaturæ? An poßit ex facto facere infectum? ac per hoc ex Meretrice facere Virginem?* Ac rurſus: *Quærimus ea quæ nec ſcire poſſumus, nec ſcire iubemur. Illa negligimus, quæ ſola fuerant meditanda. Item Os conſecratum eſt Euangelio, & nihil crepat niſi Auerroen & Ariſtotelem. Noui, inquit, quendam Theologum, qui negabat annos nouem ſufficere ad intelligenda, quæ Scotus ſcripſiſſet tantum in Præfationem Petri Lombardi. Rurſus, inquit, audiui alium, qui prædicabat fieri non poſſe, ut quis intelligeret unam propoſitionem in toto Scoto, niſi Metaphyſicen ipſius uniuerſam memoria teneret. Huiuſmodi labyrinthis Baſilides, Valentinus & Marcion animos ſimplicium captabant, &c.* Et alibi infinitas Scholaſticorum quæſtiones ridet. *De notionibus, relationibus, de formalitatibus, quidditatibus, eccetatibus, differentijs, indiuidualibus et indiuiduationibus.*

*Talia*

Talia ſunt & paradoxa eorum: *Leuius eſſe crimen, homines mille iugulare, quàm ſemel in die Dominico calceum pauperi conſuere*: & infinita ſimilia portenta verborum atque opinionum monſtra.

His nugis, ac præterea tot ſcholaſticorum vijs, & inuolucris realium, nominalium, Thomiſtarum, Albertiſtarũ, Occaniſtarum, Scotiſtarum ita occupati fuerunt homines verè miſeri, vt neque de Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis legendis, neque de beneficijs filij Dei, & ſalute in ipſo propoſita, vllam vel cogitationem apud ſe, nedum orationem aut diſputationem apud alios inſtituere potuerint. Quòd ſi qua nonnunquam de Chriſto neceſſariè tractanda eſſet oratio, eam omnem in rebus inutilibus & quæſtionibus inſulſiſsimis, quæ neque cœlum neque terram, quod dicitur, attingebant conſumpſerunt: cuius generis, exempli cauſa, ſunt: An hæc propoſitio ſit vera? Chriſtus fuit ab ęterno. Item. An rectè compoſitus dicatur ex vtraque natura? an verò conſtare? an commixtus? an conglutinatus? an coagmentatus? an ferruminatus? an copulatus? An hæc propoſitio, Deus eſt ſcarabæus: aut cucurbita, tam poſsibilis ſit, quàm hæc: DEVS eſt homo? An DEVS adſumſerit indiuiduum humanum, an ſpeciem? An hæc propoſitio ſit poſsibilis? Pater DEVS, odit DEVM filium. An anima Chriſti potuerit falli? an fallere? mentiri?

Hæ ſunt arduæ illæ, ſi Dijs placet, et neceſſariæ quæſtiones, in quibus explicandis ætatem & uitam omnem conſumpſerunt ſummi ac præcipui Theologi, & in quibus conſenuerunt, quibus denique etiam immortui ſunt, poſthabitis

habitis planè libris ſcripturæ ſanctæ, ad quos cognoſcendos omninò eis ocium neceſſariò defuiſſe apparet. Vt rectè & piè dictum ſit, breue tempus eſſe, arduum verò negocium agere verè Chriſtianum. Quin igitur omiſsis rebus ſuperuacaneis ea potiſsimum ſpectamus, quæ Chriſtus nos ſcire voluit, quæ prodiderunt Apoſtoli, quæ propriè ad charitatem faciunt, de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, quam vnam Paulus appellat perfectionem & finem totius Legis.

Hęc, niſi fallimur, omnia ſatis ſuperq́; oſtendũt vtra pars falſam & nouam doctrinam, errores atq; tenebras in Scholas & Eccleſiam inuexerit, orbis Chriſtiani periculo grauiſsimo, & diſpendio irreparabili: deniq; cum æterna iactura infinitarum animarum, quas miſerrimè in æternum interitum iſti præcipitarunt, dum lucem verbi Diuini denſiſsimis tenebris inuoluerunt, ac penè totam extinxerunt.

RESTAT TANDEM illa calumnia & dira criminatio, qua diſtractionum omnium & ſchiſmatum, quibus orbis Chriſtianus concutitur, cauſas in hos Ordines conferunt, quaſi qui ſine vlla iuſta cauſa petulanter ſeditiones commouerint, & à communi conſenſu temerè diſceſsione facta infinitas diſtractiones moliantur: quod crimen longè grauiſsimum & atrociſsimum, profectò indignè & immeritò in hos Ordines confertur. Teſtari etenim DEVM poſſunt, vehementer ſe & ex animo dolere, orbem Chriſtianum hac de cauſa diſtrahi, atq; inter ſe diſsidere. Sed ita ſemper comparatum fuiſſe & prudentes intelligunt, & non vno in loco ſacræ literæ teſtantur, vt omnem religionis mutationem, comitentur ſemper

offenſiones

offenſiones ac diſsidia. Nam hac de cauſa ipſe Chriſtus ait diſsidere à patre filium, & à matre filiam diuelli, ſuamq́ doctrinam adſerre non pacem, ſed gladium, & inter propinquiores etiam excitare incendium. Atq; is ſemper rerum ſtatus fuit inde ab orbe condito. Cum autem nullum maius ſit ſcelus, quàm aduerſari veritati agnitæ, quemadmodum ſcriptum eſt, blaſphemiam Spiritus non remitti vnquam: adſentiri eos manifeſtæ veritati, propter gloriam DEI: & propter ſuam ac multorum ſalutem amplecti doctrinam puriorem, eamq́ conſtanter confiteri & profiteri neceſſariò oportuit, ſeq́ ab his ſeiungere, qui manifeſtos errores & idolatriam in Eccleſiam Chriſti inuexerunt.

Itaq; in hanc ſententiam coniunctis voluntatibus et ore vno conuenerunt: Deo iuuante nunquam ſe à conſenſu vero Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ diſceſſuros vllam in partem, neq; abiecturos veritatem agnitam & manifeſtam: Eoq; nomine, & vt conſtans, atq; perpetua de religione concordia ineatur, liberum atq; Chriſtianum Concilium, quo Doctorum & Piorum iudicijs, & cognitione ſecundum ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum inſtituta cauſa omnis diſceptetur, minimè ſe defugere velle: imò modis omnibus id optare & expetere.

Atq; hæc cum æquiſsima ſit oratio, facile, q̄d ſperamus bonis omnibus Principes & Status confeſsionis ab omni culpa grauiſsimorum criminum quæ ab aduerſarijs indigniſsimè ipſis inferuntur, excuſabit: præſertim cum luce ipſa manifeſtius ſit, nihil ab illis quæſitum aliud hactenus, neq; aliud quidq; quæri aut ſpectari, quàm vt vera atq; incorrupta Diuini verbi doctrina, Pontificū & Monachorū

culpa

culpa iam olim obruta tenebris denſiſsimis, rurſus in lucem redeat, & inuicem ſuperſtitio omnis & dogmata falſa, quæq; veram doctrinam peſſumdederunt traditiones humanæ, aut tollantur è medio, aut rectè corrigantur.

Iniuſtè igitur ab aduerſarijs accuſantur noſtri, quòd pacem & concordiam publicam turbarint temerè, aut ſchiſmatum ac ſeditionum cauſas præbuerint, vt cohors Pontificia Status traducit: quibus ſanè crimen illud inferentibus rectiſsimè reſpondere poſſumus, quod impio Regi Achab Heliam, quòd turbaret Iſraël arguenti reſpondit Propheta: *Non ego turbaui Iſrael, ſed tu & domus patris tui, cum deſerentes præcepta domini ambulaſtis poſt Baal.* 1. Regum 18.

SED hanc eſſe communem Piorum fortunam, & ſic fieri ſolitum vbi impietas taxatur, ſanctorum exempla multa grauiſsimè nos monent. Sic Paulum Apoſtolum & ſocium eius Silam Philippis docentes, ſeditionis accuſarunt Ciues: *Hi homines*, aiunt, *turbant ciuitatem noſtrã qui cũ ſint Iudæi, annũciant inſtituta quæ non licet nobis ſuſcipere, neq; ſeruare qui ſumus Romani:* Actor. 16. Sic paulò poſt Tertullus eundem apud præſidẽ Felicem traducit: *Inuenimus*, inquit, *hunc hominem peſtiferum & concitantem ſeditionem omnibus Iudeis in uniuerſo orbe, & autorem ſectæ Nazareorum, &c.* Quæ quidem omnia fortiter negat Paulus, iisq; magno animo confeſsionem doctrinæ ſuæ apponit, & crimen obiectum depellit grauiter: *Hoc* (inquit) *confiteor, quod iu-*

xta eam

*xta eam uiam, quam ipſi hæreſin uocant, ſic deſeruio Deo patri meo, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt: Spem ponens in DEVM, fore, quam & ipſi expectant, reſurrectionem mortuorum, iuſtorum ſimul & iniuſtorum. Quin in hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere illæſam, apud DEVM & homines.* Sic & Ieremiam Iudæi criminantur uelut autorem diſsidiorum turbarum et ſeditionum in populo, cum is idolatriam & traditiones humanas, quibus religio obruta fuit, grauiter repræhenderet. Quæ quidem exempla Scripturæ hoc ipſum, quod agimus, docent, atq; monent, vt diſsidiorum motuum & diſtractionum cauſas accepto feramus, non his qui manifeſtos abuſus, idola & doctrinæ corruptelas taxant, & errantes in viam reuocare conantur: ſed illis potius, qui à vera doctrina & cultu diuinitus præcepto deficientes (quod feciſſe Pontifices manifeſtius eſt, quàm vt probatione indigeat) horrendos abuſus, tetros errores et idola, adeoq; nouam prorſus religionem in Eccleſiam Dei inuexerunt.

Quæ cum ita ſint omnia, nec vlla in parte Statibus excuſatio honeſtiſsima cum patrocinio bonę conſcientiæ deſit, hæc quæ in re apertiſsima pro defenſione innocentiæ iniquiſsimis aduerſariorum criminationibus breuiter ſimpliciterq; reſponſa ſunt, æquis iudicibus boniſq; omnibus probata eſſe confidimus, purgatamq; ſatis ac procul amotam ſuſpitionem quaſi fugiant Status ordinariam Eccleſiæ cognitionem, & autoritatem piarum Synodorum, quàm ut hactenus ſemper ita etiamnum reuerenter agnoſcunt,

& expetunt, quemadmodum id pluribus deinceps demonſtrabitur.

ET HAEC quidem hactenus, veluti in procemio, ante quàm ad eam orationem, quæ propria eſt huius cauſæ, accederetur. Satis enim amotæ atq; refutatæ delectis ad hanc ſcriptionem Viris hac breuitate videntur aduerſariorum calumnioſæ ſuſpiciones, hactenus iactatæ, quibus cauſam hanc prægrauare & Status in odium atq; inuidiam rapere etiam atq; etiam conantur. Atq; in hunc modum inſtitutæ ab initio partitionis prior pars, quoad fieri potuit breuiſsimè, à nobis ſit abſoluta.

ALTERA

# ALTERA PARS SCRIPTI.

## CONTINENS EXPOSITIO-nem neceſſariarum cauſarum, cur Status & Ordines Imperij, qui ſunt Confeßionis Auguſtanæ, impium Pontificis Concilium, Tridenti reſtitutum, agnoſcere & adire recuſent.

SEQVITVR IGITVR, QVOD inſtituti noſtri alterum caput eſt, vt rationes & cauſas neceſſarias, firmas & conſtantes exponamus, cur Imperij Ordines, quos diximus, neq; TRIDENTINVM hoc Pontificis Concilium, neq; cæteras Ro. Pontificum autoritate indictas Synodos, agnoſcendas aut comprobandas ſibi rectè arbitrentur.

Ac principiò quidem, facilè eſt cuiuis cogitare, non temerè aut leuibus rationibus, ſed grauiſsimis & neceſſarijs de cauſis fieri, vt hi Status ſoli à cæteris omnibus hac in re diſcedant, in eoq; tantum in ſe oneris & periculi ſuſcipiant: Præſertim cum palàm ſit, & omnibus conſtet, Ponti-

fices Ro. multos iam annos manibus pedibusq́ꝫ, quod dicitur, obnixè id vnum agere, vt Regum atqꝫ Principum odia artibus miris ac technis calidiſsimis in hos Ordines inflamment, & ad extirpandos vniuerſos, ſorbendumq́ꝫ ſanguinem piorum & innocentum crudeliſsimè incitare Potentes & exacuere: Quibus periculis nunquam ſanè ſe ſuosq́ꝫ ſubditos, patriam, ſalutem ciuium, coniuges, liberos, poſteritatem deniqꝫ omnem obieciſſent, niſi intelligerent ſe debere Euangelio et verbo Dei fidem atqꝫ obedientiam ſummam, ac pro confeſsione & defenſione veritatis omnia hæc in diſcrimen certiſsimum, ſi neceſsitas ita poſtulet, ſine vlla dubitatione ſibi eſſe adducenda: DEVM etiam teſtari liquidò poſſunt, nullius quæſtus aut emolumenti, ſed ſolius officij, Deo & pietati debiti, ratione hãc ſe religionis controuerſiam tantis difficultatibus, et periculis aſsiduis, laboribus & ærumnis defendendam ſuſcepiſſe: Quod vt verè & ex animo dictum omnes omnium ordinum viri boni & graues certò ſtatuant, neqꝫ aliud quicqꝫ in animum inducant, aut ab aduerſarijs perſuaderi ſibi patiantur, etiam atqꝫ etiam vniuerſos obteſtantur & ſingulos.

NVNC, vt rationes & cauſæ grauiſsimæ, cur Status autoritatem Pontificiæ Synodi detrectent, omnibus & ſingulis liquidò & diſtinctim conſtare queant, viſum fuit earum commemorationem hoc in loco ordine perſpicuo, & plenius repetere, vt hæc veluti teſtificatio conſenſus & conſtantiæ noſtrorum in confeſsione & profeſsione doctrinæ ad omnem poſteritatem extaret.

I. PRIMA IGITVR CAVSA, cur Synodum Tridentinam neqꝫ agnoſcant Status, neqꝫ eius

eius autoritati quicquam deferant, hæc eſt iuſtiſsima: quòd ea illegitimé et contra manifeſtum ius indicta ſit. Conſtanter enim negant Status, Pontifici Ro. ius indicendi Concilij (quod ſibi arrogat, & in cuius poſſeſsione, vel quaſi poſſeſsione ſe hactenus conſtitutum iactat) vllo modo cõpetere: neq; eum vllius Concilij præſidem agnoſcere vel poſſunt, vel debent: Cum neq; diuino neq; humano iure vllo, neq; etiam antiquiſsimorum canonum, vel purioris Eccleſiæ exemplis aut conſuetudine, vllam talem habeat poteſtatem.

NAM ad ius diuinum quòd attinet, manifeſtiſsimum eſt ex omni veteris Teſtamenti hiſtoria, conuentus & Synodos in populo Dei non ab Aarone ſacerdote, ſed à Moſe gubernatore populi: neq; ab Eleaſaro, ſed à Ioſua, ac deinceps non à ſummis ſacerdotibus, ſed à iudicibus ſeu gubernatoribus populi conuocari ſolitas: quorum autoritate & ipſi Sacerdotes ac Leuitæ, perinde vt quiuis alij è ſubditis, vocati ſunt ad Synodum: Eorundem etiam autoritate impios cultus iuxta verbum & mandata diuina ſublatos, veroſq; cultus & doctrinam reſtitutam & ſtabilitam conſtat.

Similiter deinceps Dauidis autoritate magnum illud vniuerſi populi Iſraelitici Concilium bis coactum legimus.

Sic Salomonem, & poſt hunc cæteros Reges, Aſam, Ioſophat, Ioam, Ioſiam, Zorobabel, Nehemiam, & plures alios Concilium in populo Iſrahel, non ſacerdotum, ſed ſua autoritate conuocaſſe videmus.

Poſtea etiam ex primitiuæ Eccleſiæ hiſtoria & cæteris fide dignis autoribus conſtat, controuerſias quæ de Religione & fide Catholica incidiſſent, non Epiſcoporum

aut Papæ, ſed Imperatoris vel Regis Ro. autoritate ſolius, aut adhibitis etiam alijs Chiſtiani orbis Proceribus, pro negociorum ratione, concilia, decreta, et partes diſsidentes vocatas, Epiſcopos etiam & alios ab iiſdem conuocatos eſſe & coactos.

Ita Nicænam Synodum Conſtantinus Imp. Opt. conuocauit: Theodoſius Maior Conſtantinopolitanam: Minor ſeu poſterior Theodoſius Epheſinã: Martianus Chalcedonenſem: Iuſtinianus rurſus Conſtantinopolitanam: & poſt hos, ex noſtra gente Impp. Optimi, Carolus Magnus, Ludouicus, & horum poſteri: Item, Fridericus I. Herbipoli; Othones & Henrici ſæpius Mogũtiæ, VVormatiæ & Francofurti, & alijs in locis, Synodos & Concilia congregaſſe ſcimus. Rectè enim exiſtimarunt optimi Principes hoc vel inprimis pertinere ad officium ſuum, vt quoties neceſsitas Eccleſiæ requireret, Synodos & Concilia conuocarent, quibus errores corrigerentur aut extirparentur, & inuicem veritate confirmata diſcordiæ omnes bona pace componerentur. Quo Conſilio Iuſtinianum quoq; Imperatorem grauiter conſtituiſſe legemus Nouella CXXIII. vt omnibus modis in quaq; Prouincia Synodi annuæ celebrentur: vtq; Præſides Prouinciarum Epiſcopos in eo negligenter verſantes, pro officio vrgeant ſedulò, ac ſi quidem moras necti aut ſegnius rem peragi videant, ad Imperatorem ipſum id referant: *Iubemus, inquit, Prouinciarum Præſides, ſi quid eorum, quæ à nobis de Synodis congregandis ſancita ſunt, negligenter haberi uiderint, ut primum quidem Metropolitanos & alios Epiſcopos urgeant ad celebrandas annuas*

Synodos

*Synodos, & omnia ſeruent, quæ de Synodis conſtitui- mus. Quod ſi eos moram nectere, & ſegnius rẽ peragere uiderint, per ſuggeſtionem nos de eo certiores reddant, quò magis contra eos, qui Synodos celebrare differunt, digna à nobis procedat correctio: ſciturís tàm ipſis Præſidibus quàm cohortibus qui illis obtẽperant, quòd ſi hæc minus obſeruauerint, extremis ſubijciẽtur ſupplicijs.* Eodem modo & Ancirano & Mileuitano Concilio decreta facta ſunt, vt Metropolitani ſeu Archiepiſcopi annuas Synodos conuocent.

Ex his ſatis manifeſtum fit, quæ fuerit antiquíſsima Conciliorum congregandorum in Eccleſia ratio, & quorum autoritate, Imperatorum ne et Principum piorum, an verò Epiſcoporum tantum, olim & inde vſq; ab initio Synodi ſint conuocatæ: quidq; hac de re etiam hodiè rectè conſtitui debeat. Ius enim conuocandi in Eccleſia Concilij vnius Imperatoris Ro. proprium ſemper fuit: idq; ipſe etiam Canonici iuris interpres primi nominis Zabarella adſerere non dubitauit: Idem non vno in loco confirmat Marſilius Patauinus in libro cui titulus eſt Defenſorium Pacis: Neq; etiam negat id ipſe Cardinalis Iacobatius. *In tractat. de Concilio lib. 3. art. 1. col. 10. 11. & 37.*

ATQVE HOC minus largiri ac concedere poteſtatem hanc Concilij indicendi, Romano Pontifici poſſunt Status, aut attributam, quantum ad ipſos attinet, admittere: quòd is actus iuriſdictionis cuiuſdam ſit, & quandam, vt ita dicamus, ſuperioritatẽ in ſe contineat. Conuocatio enim ab eo ſolo facienda eſt, qui iuriſdictionẽ aliquã in eos quos vocat vel autoritatẽ, et, ut loquimur ſuperioritatẽ quandam

ſuper vocatos habet, in cauſis ob quas fit uocatio. Omnis enim quæ legitimè fit citatio, duabus partibus conſtat: Iuriſdictione ſcilicet, quæ in Iudice reſidet, quando iubet citari, & altera, quæ eſt facti, &c. Isq́ ſolus citandi, vocandiq́ poteſtatem habet, qui citandos ſeu vocandos ſuæ Iuriſdictioni ſubiectos habet.

Atqui Ro. Pontifici Iuriſdictionem vllam aut ſuperioritatem competere in hos Ordines, aut Eccleſias eorum, vel Eccleſiarum miniſtros, conſtanter pernegant Status: neq́ magis eum in Spiritualibus quàm in temporalibus agnoſcũt: nullamq́ omninò ei vel in præparatorijs exautoritati huius Concilij & vniuerſalis Iudicij, vel etiam in executiuis in hos Status præcipiendi aut prohibendi poteſtatem competere: nullum deniq́ requirendi eos aut vocandi ius eſſe Pontifici planè adſeuerant.

Quam enim priuata autoritate in omnia negotia Spiritualia, omnesq́ omniũ Chriſtiani nominis Ordinum Eccleſias poteſtatem ſibi ſumpſit, & multorum iam annorum vſurpatione quadam tenere ſe iactat, eam de facto, & ſine vllo iure vi manifeſta inuaſit, et impiè ac pro prædone poſſidet, contra omnia diuina & humana iura, contra manifeſtiſsimum & expreſſum Dei uerbum, quo dicitur: *Reges gentium dominantur, uos autem non ſic.* Item: *Qui uult primus eſſe, erit omnium nouiſsimus, & omnium miniſter, &c.* Deniq́ contra ipſius antiquiſsimæ & purioris Eccleſiæ conſuetudinem: contrà etiam quam Apoſtolorum & Sãctorum veteris Eccleſiæ patrum tempore fieri conſueuit: idq́ ſummo totius Chriſtiani orbis periculo & damno irreparabili.

*Matthæi 20.*
*Lucæ 22.*

Etenim

Etenim quod Epiſcopus vel Superintendens Eccleſiæ vrbis Romanę in cæteros omnes Chriſtiani orbis Epiſcopos, omnesq́; Eccleſias poteſtatē ſibi ſumit et arrogat, easq́; omnes ſibi ſubiectas eſſe vult: id non tantum, quemadmodum iam diximus, cum expreſſo verbo Dei, cumq́; veteris & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſuetudine ex diametro, q̄d dicitur, pugnat, ſed etiam cum proprio ipſorum, quo vtuntur iure, quod expreſsè ait: ſi Papa ſit vniuerſalis, alios Epiſcopos pro nihilo eſſe. Sic enim S. Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino reſcripſit: *Si me uniuerſalem Papam ueſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur uniuerſum. Sed abſit hoc, recedant uerba quæ ueritatem inflant, & charitatem uulnerant, & quæ deinceps.* Ipſe etiam Cardinalis Zabarella, licet aliâs ſit acerrimus defenſor Pontificis, tamen alicubi expreſſe ſcribit: *Papam inuaſiſſe omnia iura inferiorum Eccleſiarū: adeò ut inferioris Ordinis Prælati pro nihilo ſint, et niſi Deus ſuccurrat, uehementer periclitaturum eſſe Eccleſiæ ſtatū.* c. licet. extra. De Electioni.

Neq́; verò vſquam traditum aut perſcriptum extat, Petrum Apoſtolum, etſi eius inter cæteros eximia fuerit autoritas, ob id reliquos Apoſtolos præ ſe minoris duxiſſe, & cæterorum officio atq́; adminiſtrationi ob id ullo ſe immiſcuiſſe modo; tantum abeſt vt politicæ gubernationi ſe ingeſſerit, aut eam, quam Rom. Pontifices iam multis annis duriter in Eccleſiam exercent tyrannidem, affectarit vnq́;, aut in animum vnquam induxerit.

Sed & Diuus Hieronymus expreſsè affirmat, omnes

vbicꝫ Eccleſiarum Epiſcopos vnius eſſe ſacerdotij, & eiuſdem Apoſtolicæ originis: Sic enim ſcribit in Commentario Paulinæ ad Titum Epiſtolæ cap. 1: *Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine quàm diſpenſationis Dominicæ ueritate, Preſbyteris eſſe maiores, & in communi debere Eccleſiam regere:* quod dictum relatum quocꝫ eſt inter canones iuris Pontificij a. Imò & ſimplices Sacerdotes dicuntur Vicarij Chriſti, qui ſolus primariam ligandi atcꝫ ſoluendi poteſtatem habet, vt pulchrè probat Ludouicus Romanus erudito quodam ſermone in Concilio Baſilienſi habito b. Imprimis verò graue in hanc ſententiam eſt Pelagij II. & S. Gregorij I. teſtimonium, quo etiam hoc additur, eum, qui ſe vniuerſalem aut œcumenicum Epiſcopum dicat, aut ab alijs dici patiatur, incꝫ cæteros imperium ſibi ſumat; ipſius Antichriſti præcurſorem eſſe certiſsimum: qua de re infra ſuo loco copioſius dicetur.

a c. olim Diſtinct. 95.

b Is ſermo adiectus eſt ult. Conſil. eiuſ. n. 11.

QVARE, etſi Pontifex hanc poteſtatem ſummam & præeminentiam, contrà quam verbo Dei permiſſum fuerat, & contra Canones antiquiſsimos, libertatemcꝫ Eccleſiæ, longo iam tempore, & cuius initij memoria amplius non extet, maiorũ vſurpatione & de facto tenere videatur: non obſcurum tamen eſt, imò iam notum publicè, qua fraude, quibuscꝫ impoſturis eam quæſitam occupatamcꝫ paulatim auxerit, & confirmarit. Docere id ſatis poteſt hiſtoria Synodi Carthaginenſis, circiter annũ Dñi 457. vel, vt alijs placet 430. habitę, cui interfuit & S. Auguſtinus. In ea Synodo, Ro. vrbis Epiſcopus qui fuit eius temporis, manifeſta & prorſus calumnioſa Decreti cuiuſdã Nicenæ Synodi deprauatione prouocationes Epiſcoporũ ad ſe attrahere nitebatur. Cũ enim Sozimus Papa, et poſt eũ Bonifa-

cius, ac tandē Cœleſtinus, per Legatos inſtarent atq; vrgerēt apud Conciliū, vt iuriſdictio in Aphricanas et exterarū Prouinciarū Eccleſias ex Synodi Nicenę Decreto q̄d diximus, Epiſcopo Ro. vrbis commendaretur: Conciliū, re diligentius deliberata & inſpectis ex originali actis Synodi Nicenę, præciſè eā petitionē denegauit, et falſi crimen, in allegatione Decreti admiſſum, Legato coràm demonſtrauit; idq; ipſi etiam Pontifici per literas grauiter eſt à Synodo exprobratum. Atq; ita annis amplius centum deinde altum hac de re & de Aphricanis Eccleſijs fuit ſilentium.

Etſi autē qui ſecuti ſunt poſtea vrbis Ro. Epiſcopi, homines callidiſsimi, non quieuerint quoad technis et practicis varijs, q̄d volebāt, perficerent, et dominatū iuriſdictionemq; vniuerſalē fraude tandē cōſequerentur ac ſtabilirēt: tamen id iniuſtè, contraq; autoritatē verbi Diuini & antiquiſsimā libertatē Eccleſię quęſitā ſcelere poſſeſsionē nulla iuris ratione aut longi temporis tueri poteſt. Neq; enim, q̄ ab initio vitioſum eſt, vllo tractu temporis cōualeſcere poteſt. Idq; eò magis, q̄d nulla vnquā præſcriptio, conſuetudo nulla, nulla quantumuis inueterata, & vel myriadibus ſeculorū, vt ita loquamur, approbata, valere vlla ratione aduerſus expreſſum Dei verbum & præcepta Diuina poſsit, nec ſi uel omnes totius mundi homines ea conſuetudine vterētur, vt ſanctiſsimè dixit Rochus Curtius, Iuriſconſultus inſignis, in Cōmētario ſuo de cōſuetudinis ui et poteſtate a. *a n. 81. 98.*

Eadēq; ratione neq; cōtra Eccleſiæ libertatē, ius vllū cōpetere cuiq; hominum poteſt, cū cōtra Chriſti Eccleſ. eiusq; libertatē nō habeat locū vlla quātumuis longa præſcriptio.

Quin & ipſi Canoniſtæ, & interpretes eius, quo Pontificij vtūtur, iuris, idē fatentur: inter q̄s ipſe Card. Zabarella

apertè

b d. c. licet De Elect. apertè ſcribit: b *Papam nullo iure ſibi ſummam & uniuerſalem in omnes ubiq; Eccleſias adminiſtrationem & poteſtatem ſumere, neq; ullo fieri id S. Petri exemplo.*

Quare, neq; titulum eius iuris poſſeſsionisúe iuſtum, neq; fidem bonam Pontifices Ro. habent, aut allegare poſſunt vllo modo. Ex quibus porrò rectè efficitur, nullam quoq; præſcriptionem aut longæ poſſeſsionis vſucapionem ipſis patrocinari iure poſſe; ſiquidem et ipſorũ iure *malæ fidei poſſeſſor nullo unquam tempore præſcribit.* Et regula iuris notiſsima eſt & certiſsima: *non poſſe malæ fidei poſſeſſorem in æternum unquam præſcribere. Mala etiam fides opponi, non ſolum ad annos centum, uerum etiam ad multa annorum millia poteſt:* vt Angelus Aretinus c & plurimi alij rectè tradiderunt. Imò mala fides nocet ad millia millium annorum, vt feſtiuè Calcaneus d, Iaſon e, Alexandrinus f, Aymo Crauetta g, & complures alij ſcriptum reliquêre.

Atq; ex his omnibus ſatis eſt manifeſtum, Ro. Pontifici hanc, quam dicimus, iurisdictionem vniuerſalem & ſuperioritatẽ, in Status et Ordines Cõfeſsionis Auguſtanæ nullo prorſus iure cõpetere: quam etſi vſurpatione quadã maiorũ facto obtinuerit, tamẽ qdquid eius factũ fuit, id & mala fide & læſa conſcientia, & cõtra ius manifeſtũ, vi ac violentia factũ luce clarius conſtat, nullo ex his Eccleſiæ Chriſti, aut libertati eiuſdem, præiudicio, quod incommodare vnq; poſsit, aut debeat, generando uel etiam admittendo.

Cumq; notum ſit, non tantum ſex illa quæ præcipua numerantur Concilia, verumetiam alias permultas Cypriani temporibus

c Ad par. Furtiuæ, circa prin. Inſtit. De uſucap.

d Conſil. 6. col. pen. poſt medium.

e Conſil. 24. col. 2. Volum. 3.

f Conſil. 13. col. 4. in f.

g Conſil. 146. n. 2. Et in tractatu de Antiquit. tempor. parte 4. par. Materia iſta ſingularis n. 19. & 20.

temporibus in Aphrica, et per Orientem in Græcia, aliiſq́ nationibus Synodos congregatas fuiſſe, & Concilia habita, ſine præſentia & autoritate Papę, id quod ex fide digniſſimis autoribus & hiſtoricis ita notum eſt, vt negari nulla ratione poſsit: Nicænam enim, et Conſtantinopolitanam & Epheſinam, Synodos tres nobiliſsimas, & præcipuæ in Eccleſia autoritatis, abſente Epiſcopo Romano, præſentibus verò & præſidentibus Euſtathio Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopo, & Gregorio Conſtantinopolitano, Aquileię etiam D. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo, præſente habitas & peractas conſtat: Quomodo igitur Status id quod nec diuino nec humano iure vllo Pōtifici competit, quodque nullo vnquam legitimo titulo, Pontifices tenuerunt, in præiudicium Eccleſiæ Dei, & incommodo orbis Chriſtiani maximo, ac ſcandalo piorum grauiſsimo, ſalua conſcientia et fide bona largiri Pontifici aut concedere poſſunt? præſertim cum & Conſtitutio Imperij de pace ob religionem ſeruanda, in Comitijs Auguſtanis Anni M. D. L V. edita, ac deinceps Raitsbonenſibus Comitijs biennio poſt, iterumq́; Auguſtanis Anni M. D. LIX. confirmata, id expreſsè mandet, vt ſpiritualium iurisdictio tantiſper interquieſcat, dum de religione diſsidium integrè inter partes componatur, neq́ interea exerceatur, locumúe habeat, ſed ſuſpenſa maneat & ſiſtatur, quoad integrè ea controuerſia ſit ſublata: Vt ſi qua eius generis iurisdictio, aut ius tale Pontifici in Status Auguſtanæ Confeſsionis competijſſet (quale tamen nullum vnquam ei competijt) idipſum omne hoc de pace religionis decreto publico ſuſpenſum foret, & exerceri nullo modo poſſet.

QVINETIAM, licet hoc interea largiremur Pontifici (quod

ci (quod tamen largiri ei nulla ratione debemus aut poſſumus) habere eum Concilium conuocandi ius, idq́; titulo bono poſsidere: tamen vti eo iure hoc tempore per leges amplius nō poſset, aut id exercere: ſed omne ad Imperatorem Romanum et cæteros orbis Chriſtiani magiſtratus ac capita rectè eſſet deuolutum.

Palàm enim eſt, et in confeſſo omnibus, Pontifices Ro. etſi interdum Concilij ſpem effictam oſtenderint, ac nonnunquam etiam diuulgatis diplomatis indicere velle viſi ſint: ſemper tamen id eiuſmodi in loco callidè & malitioſè indixiſſe, qui aduerſæ parti, falſam ipſius doctrinam & impietatem accuſaturæ, aditu difficillimus et periculoſiſsimus foret: Vt omninò credendum ſit et ſtatuendum certò, Pontificibus Ro. & huic præſertim, qui proximum in Tridentinis rupibus indixit Conciliabulum Pio IIII. eiusq́; cohorti, Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, cæterisq́; complicibus nequaq́; animum ſerium fuiſſe, aut etiamnum eſſe, congregandi vniuerſale, pium, &, quod liberum futurum ſit, Concilium, quale & rerum eo tractandarum magnitudo, & arduum religionis ac fidei Chriſtianæ negocium requireret. Neq́; enim id propter errores grauiſsimos & vitia, quibus ſcatent, fœdiſsima, ferre vllo modo poſſunt, aut etiam volunt, metuentes ſcilicet, ne de his cum dedecore & ignominia conuincantur. Etenim ſi rem ſeriam ageret Pius IIII. cum ſuis, & piam Eccleſiarum emendationem ex animo ac verè deſideraret, iampridem Concilium aliquod loco commodiore in GERMANIA (quemadmodum multis iam Comitijs publicis, quibus etiam Pontificij Legati interfuerunt, ſpes facta fuit Statibus & Imperij Ordinibus) indixiſſet, idq́; liberum, neq́; ita ſuorum tantum

commodis

commodis addictum, contra Imperij hac de re decreta publica.

Cum itaq; manifeſtò & luce clarius conſtet, Pontifices & horum gregem, Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, in conuocando libero & Chriſtiano Concilio tot iam annos non tantum extremè deſides et officij ſui negligentiſsimos, ſed et inſigniter contumaces fuiſſe aduerſum magiſtratum & leges, in eaq; contumacia durare etiam hodiè: rectiſſimè conſequitur, non iam amplius Pontifici, ſed ipſi Imperatori, cæteriſq; Regibus & Magiſtratibus ſummis indicendi & congregandi Concilij ius officij ratione competere. Sic enim eo ipſo etiam, quo Pontificij vtuntur, iure (quod tamen pro libidine variè tandem fingere atq; refingere cœperunt) definitum eſt: Quod *quando Papa et Cardinales in congregando Concilio negligentes ſint, ad Imperatorem ſpectet Concilij conuocatio*: Quomodo Philippus Decius, egregius, & magni nominis Iuriſconſultus, Conſilio 151. alijq; ex facto conſulti, reſponderunt.

QVINETIAM, vt nulla ſit hæc ratio (quæ firmiſsima eſt) & vtut rectè hactenus eo iure Pontificem vſum dicamus, tamen hoc tempore ius conuocandi Concilij nullo modo ei competere poſſet. Idq; ob hanc cauſam manifeſtiſsimam, quod ipſe Papa cum ſuis Cardinalibus, Epiſcopis & Prælatis adhærentibus, eodem in Concilio, præ cæteris, de criminibus grauiſsimis, idolatria, falſa doctrina, ſuperſtitione ethnica, & cultus diuini prophanatione ac deprauatione, de Simoniaca hæreſi & cõplurib. alijs

alijs vitijs fœdiſsimis, quibus totus ſcatet, quæq́ ſuo loco pluribus exponentur, publicè poſtulandus ſit & accuſandus: Id quòd Status confeſsionis Auguſtanæ facturos ſe palàm in Concilio libero atq́ Chriſtiano, aut quocunq́ alio loco ad id commodo, & accuſationem eam, quemadmodum fieri oporteat, rectè proſequuturos ac probaturos, iam olim ſolenniter & expreſsè apud acta Imperij teſtati ſunt publicè.

Cum igitur demonſtratum ſit Pontificem ipſum & eius ſocios in hac cauſa, & in vniuerſo religionis negocio, eſſe alteram ex litigatoribus partē: facile intelligere poſſumus id, quod ex his rectè ſequitur, eundem qui vel reus uel actor eſſet, nullo iure aut ratione iudicis quoq́ aut ſuperioris perſonam eodem iudicio ſuſtinere, aut ius conuocandi ſibi rectè ſumere poſſe.

Etſi enim hanc ſibi in iure prærogatiuam attribuat Papa, vt pro libito in propria cauſa ius dicere velit & poſsit liberrimè: tamen illi ipſi autores eius iuris, & interprætes docent, id locum non habere, vbi ipſe Pontifex de falſa doctrina ſit arguendus: *In crimine hæreſis Papa non eſt iudex, ſed ab alijs iudicari debet,* ut ſcriptum extat in Decretis Gratiani.[a] Eſt enim admodum perniciosum, ſi vera fides quæ in vniuerſo populo Chriſtiano requiritur, in capite non reperiatur. Et tali caſu Concilium non congregatur Papæ autoritate.[b]

[a] *c. Si Papa. Diſtinct.* 40.

[b] *Ita Decius in c. Cum ueniſſent, n.* 37. *ſecund. editionem Venetam ex. De Iud.*

Ex quibus omnibus tandem id, quod ſupra propoſuimus, rectiſsimè efficitur: Romano Pontifici nulla ratione, nulloq́ iure competere, vt Status qui ſunt Auguſtanæ Cōfeſsionis, ipſe ad Concilium citet aut euocet: & inuicem,

nullo iure Status teneri, ut ad præſumptum hoc & priuata Pontificis temeritate editum citationis diploma Tridenti compareant, aut in id Concilium ulla ratione conſentiant.

Et hactenus quidem de prima recuſati Concilij cauſa, ſatis.

ALTERA CAVSA RECVSA-tionis in eo verſatur, quòd pluribus iam in Comitijs Imperij publicis, & nominatim in Comitio ad annum M. D. XXIIII. Norimbergæ habito, ac deinde ijs quæ Spiræ anno XXVI. & XXIX. Ratisbonæ anno XXXII. & XLI. habita fuêre: Iterumq́ Spiræ anno XLII. & Norimbergæ XLIII. Annoq́ ſequente rurſus Spiræ: Ac poſtea etiam Auguſtanis Comitijs anni LV. & Ratisbonenſibus LVII. Rurſusq́ Auguſtanis anni LIX. (quibus pleriſq́ etiam Legati Pontificij interfuêre) Principibus atq́ ordinibus omnibus Imperij, ad reconciliandum de religione diſsidium, ſemper ea ratio commodior futura ſit viſa, qua generale, liberum, atq́ Chriſtianum Concilium in ipſa GERMANIA, loco oportuno fieret: quodq́ue eiuſmodi Concilij ſpes etiam nominatim & expreſsè facta fuerit his Ordinibus. II. *Cauſa recuſandi Concilium Pontificium.*

At verò, Tridentum non Germaniæ, ſed Italiæ oppidum eſſe, & loci ſitus, & omnes omnium Geographorum tabulæ ac libri teſtantur: tùm etiam lingua qua oppidani vtuntur vernacula, quam non Germanicam, ſed Italicam eſſe, nemo eſt qui neſciat.

Nec eo ſolum nomine, ſed & alijs grauioribus rationibus oppidum & rupes illæ inſidioſæ, huic longè grauiſsimo negocio, totius Chriſtiani orbis Concilio libero con-

gregando, multis nominibus incommodæ & plus quàm ſuſpectæ meritò cenſentur, ſpeiq́ꝫ toties in Comitijs factæ Statibus, de libero ac Chriſtiano Concilio IN GERMANIA congregando, minimè reſpondentes.

Etenim in confeſſo eſt, ipſum oppidum non tantum natura & ſitu loci ac murorum ambitu multò eſſe anguſtius ac tenuius, quàm ut vniuerſali omnium orbis Chriſtiani Ordinum Concilio excipiendo ſufficere queat: verum etiam pleriſq́ꝫ omnibus Imperij Germanici Ordinibus, illisq́ꝫ præcipuè qui Auguſtanæ Confeſsionis ſunt, incommodiſsimum, & loco maximè inopportuno ſitum.

Quin etiam ſi nulla alia foret cauſa, & ſola præſentium temporum difficultas excuſaretur à Statibus, tamen hanc, ut arbitramur, rationem grauiſsimam & æquiſsimam iudicaturi eſſent omnes intelligentes, & cuius meritò foret habēda ratio. Quid enim grauius aut difficilius bono Principi acciderit? quàm his tam turbulentis & periculoſiſsimis temporibus, in tanta incertitudine pacis & perturbatione rerum omnium, tam procul & in longinquas terras à ſuis ditionibus & ſubditis abſtrahi, ſalutemq́ꝫ ſuorum, patriam, coniuges, liberos, omniaq́ꝫ quæ habeat chariſſima, hoſtium interea & inimicorum predæ ac vaſtationi certiſsimæ deſerta & expoſita relinquere. Quæ quidē ratio momentū habet grauiſsimū, vt meritò excuſare hos Status debeat, quòminus incōmodiſsimo illo, et q Imperij decretis nulla in parte reſpondeat, Cōcilij loco, cōparere cogantur.

¶ Atq́ꝫ hoc adeò Statib. concedendum eſt magis, q̄d oppidū illud, quæ nunc eius ratio eſt, neq́ꝫ commodum ſatis, neq́ꝫ ſatis etiam tutum locum his Ordinibus præbere poſſe videatur, imò ſuſpectum meritò, & multis nominib. peri-

culoſum futurum. Neq; enim TRIDENTVM libera aut Imperij ciuitas eſt, ſed quæ Epiſcopo Tridentino pareat, qui & ipſe cum Eccleſiaſticis ſuis omnibus Pontifici Romano fide et iureiurando, vt Epiſcopus, non tantum eſt obſtrictus arctiſsimè, ſed eò amplius etiam Pontificiæ factionis membrum præcipuum, & Cardinalis delectus, qui & filius & frater à Pontifice ſalutetur.

¶Huc accedit, q; idem locus practicis, fraudibus, atq; inſidijs Pont. & ſociorum eius maximè ſit opportunus, & in quo omni ex parte aduerſarij facilè potentiores ac ſuperiores futuri eſſent, in anguſtumq; redacturi contradicentes: tantumq; abeſt, ut ſibi ſuiſúe ſecuritatem vllam eo in loco ab aduerſarijs, hoſtibus infenſiſsimis, ſperare aut polliceri queant Status, ut etiam uim omnem, & extrema quæq; pericula metuenda in iſtis rupibus facilè intelligant.

Cum enim Pont. Ro. toties iã contra Principes et Status Auguſt. Confeſ. coniunctos fulmina excommunicationis dira ac crudeliſsima ediderit, totiesq; eos anathemate, baño, & proſcriptionib. infeſtarit, quæ nec dũ ſublatę ſint aut ſolutę, ſed eodem in oppido & Epiſcopatu Tridentino vel præcipuè robur et autoritatẽ integrã habeant ac vigeant: facilè eſt cuilibet exiſtimare, qualis ea et quàm firma futura ſit ſecuritas quã Stat. noſtri, uel Legati ipſorꝶ, eo in loco, ubi aduerſarij regnum obtinẽt, atq; adeo Iudicis partes ſibi ſumũt, ſperare habeant. Idq; nõ tantũ quòd attinet priuatim ad ipſorũ Stat. perſonas, ſed uel inprimis ipſius cauſę et negotij, q; agitur, noĩe conſiderandũ quoq; eſt diligẽtius. Quis enim tali in loco, & iſtis iudicib. cauſam hãc liberè dicturũ ſe, aut quæ neceſsitas rei poſtulet in mediũ ſine periculo ſũmo allaturum confidat; aut etiã mutire auſit; ac nõ magis

verendum ſibi putaret, ne tyranni iſti cauſam indictam, vt ſolent, protinus pro hæreſi condemnent & Euangelij veritatem, quantum in ipſis ſit, prorſus opprimant.

Atqui certiſsimi & indubitati iuris eſt quod loci ſecuritas non tantum ad perſonas, ſed etiam ad cauſam, de qua agendum ſit, pertineat, nec ſolum perſonæ, ſed etiam ipſi cauſæ locum iudicij tutum eſſe debere.

Eſtq́ hoc maximè conſentaneum æquitati naturali, q̃d ipſa ratio omnes ſanos homines docet, neminem teneri ut in loco ſuſpecto compareat, in quo aduerſarij præpotentis formidabilior futura ſit autoritas, aut etiam opportunitates præcipuæ & maiores: quod quidem in hac cauſa notorium eſt & manifeſtiſsimum. Etenim citatus ad locum non tutum, comparere non tenetur. *Nunquid enim comparere quis debet in loco multum potenti, & aduerſum ſe in odiũ prouocato? & quis auderet? aut qua ratione aliquis teneretur Conſiſtorij talis ſubire iudicium? & ſe in hoſtium ſinum reponere, ac ad mortem per uiolentam iniuriam, non per iuſtitiam inferendam, ultro ſe offerre? Hæc quidem iure timentur, hæc de more uitantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura. Deſiperet ergò, qui citationem huiuſmodi ſaperet arctaſſe citatum, &c.*

*Text. in Clementina: Paſtoralis para. Nunquid. De ſent. & re iudic.*

Atq́ hinc eſt quod Abbatem Panormitanum, inter iuris Canonici interpretes celeberrimũ, in eo quem de Baſilienſi Synodo conſcripſit tractatu (quando Eugenius Pontifex,

tifex, malè ſibi conſcius et ne, quod ei poſt contigit, è Pontificatu remoueretur metuens, Cōcilium è Germania Ferrariam transferre conabatur) expreſsè reſpondiſſe ac deciſiſſe legimus, illud ipſum Concilium, licet principio congregatum & inchoatum Ferrariæ fuiſſet, potuiſſe tamen rectè, & iure optimo ob præpotentem Pontificis Eugenij in eo loco autoritatem & vicinorum gratiam transferri Ferraria in Germaniam, ut ibi tutius & minore periculo Synodi iudicium aduerſus Eugenium exerceretur.

¶ Quin imò, ipſi etiam Canoniſtæ, interque eos præcipuæ autoritatis interpres Cardinalis expreſsè ſcribit: *Quod ex hoc ſolo, quod citans habet odio citatum, dicatur citatus non ſatis tutus: &, ſi nec excipiat, nec appellet, citationem fore nullam. Similiter ſi ciuitas ad quam citatur, proſequitur odio citatum. Vnde præclarè dixit Bald. quod metus eſt infirmitas uoluntatis, conſilij uulnus, animæ triſtitia, uoluntarij & inuoluntarij permixtio, & res libertati omninò contraria.*

ET quanquam ſuperiore anno quoddam exautorati huius Concilij diploma ſecuritatis, & ſalui conductus euulgatum ſit, quo fides publica promittitur: nemo tamen facile ita imprudens fuerit, aut tam commodè ſibi dici patietur, ut in tanta & tam manifeſta Pontificiorum aduerſum hos Ordines acerbitate odij tutò huic fidem haberi poſſe exiſtimet, ac vitam ſuam in fidem apertiſsimorum atque infenſiſsimorum hoſtium committat.

Quin & proprio ipſorum iure cautum legimus, et à præcipuis eiuſdem interpretibus magno conſenſu traditum,

neminem teneri, ut inimico capitali ſecuritatem promittenti credat, & ob id in diſcrimen ſe ſuaqúe deducat: *Nemo credere tenetur ſuis inimicis, præſertim capitalibus, nec fidere illorum literis ſalui conductus ſalutis ſuæ periculo: Cum huiuſmodi literæ maleuolum propoſitum, et animũ dantis ſecuritatẽ non mutent, ſed potius occaſionem inſidiandi innocentibus, et in loco non tuto opprimendi præſtent. Etenim parua ac fragilis eſt ſecuritas, quæ in exigua papyro, aut membranis cõtinetur, ut Angelus, Io. Immola. Mar. Socinus et Decius in conſilijs contra Iulium II. ſcriptis, et Cardinalis Iacobatius, teſtantur.*

Id autem in præſente hoc negocio locum eò magis habet, ꝙ Pontificia ſanctitate nouè conſtitutum ſit ius, ne hæreticis (inter quos & Status numerant) fides vlla in parte ſeruetur: Neq; ignotum eſt Pontifices antehac etiam fidem publicè datam impiè fregiſſe, ut in Conſtantienſi Concilio virũ ſanctũ & innocentem Ioannẽ Huſſum, contrà datam ac præſtitam publicè ab ipſo Imp. Opt. SIGISMVNDO fidẽ, nouo et inaudito crudelitatis exẽplo, ipſo Imp. ſeruare virũ innocentem cupiente, tyrañica immanitate exuſſerũt.

Atq; illud ipſum decretum impium Synodi Conſtantienſis, de fide non ſeruanda hæreticis, neq;dum hodie ſatis abrogatum eſt, & ex omni parte caſſatũ ac ſublatum. Verba eius Synodi hæc ſunt, Seſsione XIX. *Præſens ſancta Synodus, ex quouis ſaluo cõductu per Impp. Reges, et alios ſeculi Principes, hæreticis, uel de hæreſi diffamatis, putantes eoſdem ſic à ſuis erroribus reuocare, quocũq; uin-*

*culo ſe adſtrinxerint conceſſo, nullũ fidei Catholicæ uel iuriſdictioni Eccleſiaſticæ præiudiciũ generari uel impedimentũ præſtari poſſe, ſeu debere, declarat: quo minus, dicto ſaluo conductu non obſtante liceat iudici competenti et Eccleſiaſtico de huiuſmodi perſonarũ errorib. inquirere, et aliâs debitè contra eos procedere, eoſdemq́ punire, quantũ iuſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores reuocare pertinaciter recuſauerint: etiãſi de ſaluo conductu confiſi ad locũ uenerint iudicij, aliâs nõ uenturi: nec ſic promittentẽ, cũ aliâs fecerit ꝗ in ipſo eſt, ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatũ.* Hoc, ut diximus, decretũ impiũ & crudele, nec dum ſublatũ ita eſt ſufficiẽter & abolitũ, quẽadmodũ fieri oportebat.

Ac de Pontificũ excõmunicationibus, in hos Ordines toties iã & indigniſsimè editis, vel inprimis, ob multas graues rationes, eſt ꝙ iuſtiſsimè cauſentur Status: Quę fulmina ſi Põtifex & eius ſocij pro nullis, aut illegitimis habeant (ut re ipſa, & ipſo iure nulla ſunt, qa parte nõ citata & cauſa indicta, à iudice incõpetente, multisq́ nominibus ſuſpecto, et alteri partiũ addictiſsimo, de facto & cõtra ius edita ſunt & prolata) iãpridẽ ea abrogata ac ſublata oportuit: Sin legitima & iuſta ducant (ꝙ quidem eo ipſo ſatis teſtantur, ꝙ in hũc uſq; diẽ nihil unq; eorũ añullârint) facile intelligere quiuis poteſt, eo ipſo his Statib. uiã & rationẽ omnẽ accedendi ad Conciliũ, aut etiã Legatos eò mittendi, omninò eſſe intercluſam et prohibitam: Sẽper enim obijcerent illud: hæreticis et excommunicatis fidem datam ſeruari non oportere.

Atq; ex his tandẽ id firmiſsimũ conſtat, ꝙ propoſuimus:

Status, & hos Imperij Ordines rectiſsimè, & omni iure excuſari quo minus loco tot nominibus ſuſpecto, ac longè periculoſiſsimo impiũ Pontificis Conciliũ adire teneantur.

III. Cauſa recuſationis. TERTIA, quæ ſequitur, recuſati illegitimi huius Concilij cauſa eſt: quod iiſdem decretis Comitiorum Imperij, quorum ſupra meminimus, diſertè & expreſsè cautum ſit, ut ad conciliandum de religione diſsidium, generale ſeu vniuerſale Concilium fiat atq; celebretur.

At Tridentinum hoc Pontificis Concilium, licet in diplomate edito œcumenicum & vniuerſale identidem nominetur, re ipſa tamen & verè hoc nomine cenſeri nulla ratione poteſt: Siquidem in eo ſolus Papa, cum obſtrictis ſibi Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, & cæteris mancipijs ſuis regnum poſsidet, ſolusq; ſummam præſidendi, iudicandi & decidendi autoritatẽ ſibi arrogat, ab eoq; munere non tantum hos Status, ſed et alios omnes omnium Ordinum politicos viros, ipſos etiam Reges ac Principes longiſsimè remouere & à decidẽdo excludere omninò in animo habet. Quãuis enim in diplomate verba hæc adiecerit: QVIBVS IVRE, AVT PRIVILEGIO, AVT MORE MAIORVM CONCILIIS GENERALIBVS INTERESSE ET SENTENTIAM DICERE LICEAT: tamen non obſcurum eſt, his verbis alium præterea neminem ab eo dici atq; intelligi, quàm Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, Abbates exemptos & Monachos quoſdam: quomodo poſtea ſeipſum ſatis declarat illis verbis quæ ſunt in edita Bulla indictionis: *Quocirca uenerabiles fratres noſtros omnib. ex locis Patriarchas, Archiepiſcopos et dilectos filios, Abbates, cæterosq; qui in Concilio generali ſedere, &* ſententiam

*ſententiam dicere iure communi, uel ex priuilegio, uel ex antiqua conſuetudine licet, &c.*

Atqui, qua ratione id Concilium rectè dixerimus generale aut vniuerſale, à quo maior ac potiſsima pars, & cuius uel præcipuè intereſt, Imperator ſcilicet ipſe, Reges omnes, Principes, omnesq́ꝫ viri docti, deniq́ꝫ quotquot vſitatè Clericorum nomine appellari non ſolent, remouentur & excluduntur? Quomodo vniuerſale uel generale dici rectè poteſt id, quod tantum vnam ſpeciem complectitur, Clericos videlicet, alteram autem, Laicos ſcilicet excludit? Et cum fides ſit vniuerſalis, nec minus ad Laicos pertineat quàm ad Clericos, quomodo tractatio fidei debebit eſſe particularis, & non vniuerſalis, cum cauſa fidei ſit communis, tàm Clericis quàm Laicis? *c. ubi nam. & c. nos ad fidē Diſt. 96. Et Pet. de monte Venet. in tractatu de monarchia Concilij in 3. q. n. 7.*

Pugnat hoc cum natura vniuerſalium Conciliorum ex diametro, & cauſis religionis ac fidei noſtræ quàm maximè aduerſatur, quas tàm diuino quàm humano iure, adeóque ipſa natura id ſuadente coniunctis quorumcunq́ꝫ interſit operis & conſilio communi tractari atq́ꝫ conſtitui debere manifeſtiſsimum eſt. Quod enim, ut vulgò & rectè dicitur, omnes tangit, id ab omnibus etiam tractari & approbari debet: quemadmodum & ſanctos patres & Apoſtolos feciſſe videmus. Cum enim in prima Apoſtolorum Eccleſia in queſtionem veniſſet, an conuerſis ad fidem Chriſtianã neceſſaria etiam foret circumciſio: animaduertere poſſumus miſſos eſſe qui de ea re conſulerent non ſolum Petrum cum cæteris Apoſtolis, ſed vniuerſam Eccleſiam, quæ fuit eo tempore Hieroſolymis: neq́ꝫ apparet Petrum Apoſtolum ibi præcipua quadam autoritate ante- *Actorum 15.*

 celluiſſe

ceſſiſſe cæteris, ſed Apoſtolos omnes, & cum his ſeniores in populo communi conſenſu concluſiſſe, circumſionem ad ſalutem non eſſe neceſſariam.

¶ Innumera extant deinceps & Sanctorum Patrum exempla, vbi non ſoli Epiſcopi & Clerici, ſed & Imperatores, Reges, Principes, & alij viri docti, etiam priuati & extra gubernationem Laici, ac nonnunꝙ humili loco & conditione, ad Concilia & Synodos vocati ſint, admiſsi, et auditi, tum etiam ad deciſiones & decreta facienda adhibiti: ac plena taliũ exemplorum eſt hiſtoria Eccleſię, & cæterę fide dignę hiſtorię antiquitatis, tũ etiã ipſum ius Põtificium.

Quòd ſi hoc ita temporibus Apoſtolorum, quos ſpiritu ſancto repletos fuiſſe ſcimus, & poſtea etiam ſanctoꝝ patrum ætate (qui quò propius aberrant ab ortu, diuina omnia, & quæ vera eſſent ac neceſſaria, melius cernebant) ſeruatum ſit neceſſariò: quantò magis id noſtris temporibus neceſſarium fuerit? cum illorum actio noſtra debeat eſſe inſtructio: vt Canon ait.

Itaqꝫ & ipſum ius Canonicum hac in parte cum vetere illa & Apoſtolica conſuetudine prorſus conuenit, quo ſimiliter conſtitutum eſt, ut in cauſa religionis & fidei Chriſtianæ, non ſoli Clerici, ſed & Laici Concilijs præſentes interſint: propterea quòd fides Chriſtiana in vniuerſum ad omnes homines totius Chriſtiani Orbis pertineat, nec minus Laicoꝝ quàm Clericoꝝ ſalutẽ & dãnationẽ cõtingat.

Ad hæc, certum eſt Concilium vel Synodum aliud eſſe nihil, quàm communem congregationem Eccleſiæ DEI ſeu fidelium, quemadmodum alicubi definit Concilium Anthonius de Roſellis, eſſe collectionem omnium fidelium, &c. Cum igitur Laici non minus quàm Clerici in mortem

mortem Chriſti redemptoris noſtri baptiſati ſint, & Eccleſiæ Dei inſerti, ac membra eius effecti, quæ cauſa eſt cur eos ab omnibus ad fidem Chriſtianam pertinentibus conſultationibus et deliberationibus publicis in vniuerſum remoueamus & excludamus? præſertim cum fieri poſsit, & non rarò etiam fiat, ut in Laico et ſimpliciore aliquo homine fides Chriſtiana conſtet & luceat egregiè: & inuicem, in magnis illis & præcipuis viris mirifice lāgueſcat, aut etiam prorſus extinguatur: quemadmodum nos exemplū Mariæ virginis ſanctiſs. docet, quæ ſola conſtans adhæſit filio redemptori in morte & ſummis calamitatib. conſtituto, quo tempore is à cæteris Apoſtolis & fidelib. omnibus prorſus deſereretur, ut eſt in hiſtoria Euangeliſtarum: quod ipſum etiam Canoniſtæ non obſcuris verbis fatentur.[a]

Ita legimus in Nicæno Concilio vnius Paphnutij Thebaici Cōfeſſoris interuentu contra multos defenſum eſſe ſacerdotum coniugium: quem tamen, quòd à Maximino tyranno in crudeliſsima illa Chriſtianorū perſecutione oculo altero orbatus eſſet, & præterea etiam, poplite fracto mutilatus & claudus, conditione admodum humili fuiſſe apparet: q̄d niſi hic ſe oppoſuiſſet, tota Synodus tot Patrū et ſanctorū Epiſcoporū, quorū 328. fuiſſe ſcribitur, manifeſto errore ſacerdotib. cōtra ſcripturę ſanctę apertiſsimā ſententiā vſum legitimi coniugij interdixiſſent, quemadmodū Sozomenus lib. 1. hiſt. cap. 25. refert. Quā ipſam ob cauſam & Canoniſtæ prudenter ac rectè cōſtituerunt, q̄d in cauſis religionis et fidei Chriſtianę vnius et priuati ſententia præferēda ſit uel ipſius Pōtificis opinioni, ſi meliore ſacrarū literarū fundamento, quā Pōtificis ſententia, nitatur. Imò Laico dicenti verū, iuxta ſanctas Scripturas, plus eſſe credendum,

quàm

*a Panor. in c. ſignificaſti n. 3. col. 12. ex. De elect.*

quàm vniuerſali Concilio proferenti mendacium contra ſcripturas: vt Abbas Panormitanus ſcripſit, qui aliâs Achilles Pontificis Eugenij ab Aenea Syluio vocatur.

Conſtat igitur, non ſolum Clericos, qui dicuntur, ſed etiam Laicos idoneos, in Concilio vniuerſali admittendos eſſe, ut de controuerſijs religionis & fidei Chriſtianæ cum cæteris piè deliberent et conſtituant: qui ſi, quemadmodum in hoc Conciliabulo fit, excludantur, iam id amplius neq; eſſe neq; rectè dici vniuerſale Concilium poterit.

Cum itaq; in eo, quod nunc Tridenti habetur, Concilio pauci admodum & ij ſoli conueniant, qui aut mancipia aut ſocij ſunt Pontificis, & ei certa ratione obſtricti: multæ autem nationes præcipuæ & regna orbis Chriſtiani illud non adeant, è quorum numero ſunt: Germania, Anglia, Scotia, Dania, Suecia, & aliæ plures prouinciæ: Qua ratione igitur rectè hoc Concilium generale & vniuerſale dicetur? quod ex vnius aut alterius nationis, populo aliâs Pontifici bona magnaq; ex parte in temperabilibus ſubiecto, collectum ſit, atq; frequentetur?

IIII. *Cauſa recuſati Concilij.* QVARTO. Manifeſtiſsimum eſt Tridentinam hanc Synodum nequaquam eſſe aut dici poſſe liberum Concilium, ſed ſeruum potius, & multis nominibus duriſsimè obſtrictum atq; captiuum.

Liberum etenim dicitur, quod metu omni & coactione caret, vbi conſilia omnia, omnesq; res nō ex aliena uel volūtate vel gratia, vel etiam permiſſu alterius aut imperio pendent, ſed ab his omnib. expeditę ſunt et integrę: nec cuiusq; aut odiū, aut inuidia, aut minę extimeſcendę ſint: neq; res vlla ſit, quę plus polleat apud eū q dicit ſentētiā, quàm ipſius honeſta volūtas, et iudiciū minimè coactū: deniq; vbi, quæ

ſalutaria

ſalutaria quiſq;, & veritati conſentanea eſſe intus, & apud animum intelligit, eadem etiam ſine vllius periculi metu in medium proponere liberè, & in faciem cuiuis modeſtè dicere liceat. Cuius rei preclarum exemplum in Paulo Apoſtolo nobis propoſitum eſt, qui ( vt ad Galat. 2. cap. ipſe ſcribit) Petro Apoſtolo in faciem obloquutus, erroris eum in Antiochenſi Synodo publicè arguit.

Huius autem libertatis tantum abeſt, ut veſtigium vllum hæc infœlix Synodus habeat, ut etiam ex diametro quod dicitur, eam cum his omnibus pugnare, rectiſsimè dicere poſsimus.

Primùm enim, quod ad locum Concilij habendi attinet, adeo is, quemadmodum iam antè quoq; demonſtratum eſt, libertati aduerſatur, ut propter multas grauiſsimas cauſas ſuſpectiſsimus meritò & multis nominibus periculoſus noſtris ſit futurus; & in quo extrema quæq; pericula aſsiduè ipſis eſſent metuenda: tùm præſertim, ſi ( quæ liberorum Conciliorum lex eſt) Pontifici & eius ſocijs liberius & in os ingerenda eſſet veritas, eorumq; erroribus & vitijs grauiſsimis obloquendum, atq; in faciem reſiſtendum neceſſariò: Quo quidem grauiter offenſum iri iſtos homines, & in noſtros acerbiſsimè vindicaturos, dubium nemini eſſe poteſt: Semper enim Veritas, quod dicitur, odium parit, &c.

Et, quod uel imprimis hic conſiderandum fuerit, ac plurimum momenti habet: Ipſe Pontifex, licet iampridem ſe in hac religionis controuerſia declararit partem aduerſariam Statuum Confeſsionis Auguſtanæ, in eosq; omnes, & doctrinam quam tuentur, cauſa indicta, toties fulmina excommunicationis ſuæ ediderit, toties anathemate &

execratio-

execrationibus horrendis ſæuierit crudeliſsimè, ac hæreticos palàm declararit, quantumq́ in ipſo eſt diris omnibus deuouerit, adeoq́ ipſi Sathanæ mancipauerit, et etiamnum hodie infeſtiſsimè perſequatur: nihilominus tamen in hoc ipſo Concilio quod reſtituere nititur, Præſidis & iudicis ſupremi partes ſibi ſumit, & arrogat: nihil cogitans aut curans, quod ab ijſdem Imperij Statibus de grauiſs. criminib. de errorib. horrendis in doctrina, de idolatria, hæreſi & corrupta verbi diuini luce, de impietate manifeſtiſsima & vitæ turpitudine flagitioſa accuſandus ſit neceſſariò, & toties tam accuſatione inſtituta poſtulatus.

Quale verò hoc Concilium futurum ſit, aut quid tandem libero Concilio ſimile habiturum, in quo litigatorum altera pars, et quidem rea cũ ſuis conſortibus eodem iudicio perſonã iudicis quoq́ ſibi ſumit, et iudicij adſeſſores ſuo arbitratu deligit, iudiciũq́ pro ſua libidine conſtituit, quęrelam uel accuſationem nullam audire vult, imò accuſatores inaudita cauſa, et priuſquam iudicio compareant protinus damnet: id, inquam, iudicium quid iudicij ſimile habiturum ſit, facile quiuis ſine longiore commemoratione noſtra æſtimare poterit.

AD hæc, eodem in Concilio Pontifex ſolus cum ſuis mancipijs Cardinalibus, Epiſcopis, Monachis & Clericis iureiurando ſibi obſtrictis, præeſſe vult rebus omnibus, & vocem deciſiuam ſoli ſibi ſuiſq́ arrogat: cæteros omnes cuiuſcunq́ ſint Status, à Pontifice non approbatos, longiſsimè ab hoc munere determinandi & decidendi in Concilio arcet & excludit.

Neq́ verò vlla ſpes reliqua videtur fore, ut Pontifices alijs quoq́ pijs & doctis viris, qui iureiurando illis obſtricti non

cti non ſint, vocem deciuiſam in cauſa religionis conce-dant, aut vllam conſultandi, determinandi ac decidendi po teſtatem faciant. Id ſatis indicant Bullæ indictionis quas euulgare ſolent, de quibus ſuprà dictum eſt. Et conſtat quàm horrendis iuramentorum vinculis ipſi Cardinales, obſtricti ſint Pontificibus, tum etiam Epiſcopi, & in vniuerſum illius farinæ Sacerdotes & ſacrifici omnes, ut ne mutire quidem ipſis liceat aduerſus Idolum Romanum: Hæc enim eſt vſitata ipſis formula iuramenti Epiſcopalis:

*EGO N. Epiſcopus, ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, ſanctæq; Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, dominoq; meo Papæ, eiusq; ſucceſſoribus Canonicè intrantibus. Non ero neq; in Conſilio, neq; in facto ut uitam perdat, aut membrum, uel capiatur mala captione. Conſilium quod mihi aut per ſe, aut per literas, aut per nuncium manifeſtabit, ad eius damnum nulli pandam. Papatum Romanæ Eccleſiæ et regulas ſanctorum patrum adiutor ero ad defendendum & retinendum (ſaluo ordine meo) contra omnes homines, &c.* Iuramentum Epiſcoporum Papalium.

In noua autem iuramenti formula quæ extat, inſuper etiam hoc iurant Epiſcopi: *ſe omnia quæ contra Papam uel deliberantur, uel tractantur, uel ſuſcipiuntur, reuelaturos & pro uiribus ſtrenuè impedituros: hæreticos etiam, omnesq; rebelles Pontifici, extremè infeſtaturos ac perſecuturos.* Atq; hinc eſt q Aeneas Syl. iā Papa factus, in quadā ad Moguntinū capitulū epiſt. ſcripſit: *Quod etiā*

*uerum dicere contra Papam, ſit contra Epiſcoporum iu-ramentum.*

Nec longè diuerſa eſt forma eius iuramenti, quo futu-ros Theologiæ Doctores & Canoniſtas obſtringunt: de-fenſuros ſcilicet eos Statum Pontificium, & regalia Sancti Petri contra omnes homines: & conſeruaturos autorita-tem, priuilegia & libertatem Romanæ Eccleſiæ & domini Papæ pro ſummis viribus: eaq; dicturos, ſuaſuros & fa-cturos in Concilijs ſedulò, quæ domino Papæ placeant, & ad amplificandam eius potentiam pertinere videantur.

Ex quibus manifeſtiſsimum fit, Cardinales, Epiſcopos, Monachos et Theologos Papales nihil dicturos aut factu-ros eſſe aliud, neq; etiam quidquam aliud dicere aut facere audere in hoc Concilio, quàm quod Pontifici placeat, cu-ius ſunt mancipia. Cæterum quoad hoc vinculum iu-riſiurandi durauerit, non etiam penitus ſolutum & ſubla-tum, ita ut cuilibet liberè, quæ velit, quæq; dicenda puta-uerit de religione, dicere liceat ſine vllo periculo: tantiſper neq; libertatem Concilij vllam prædicare, neq; de eius libertate polliceri quidquam nobis poſſumus. Quid enim aliud ab eo coniuratorum conuentu quis ſibi promiſerit: quàm quod idolo ipſorum (ut rectè Papam nominat ipſe Cardinalis Iacobatius) cui fidem iuratò dederunt, placeat, & tyrannidem eius confirmare & ſtabilire vi-deatur.

Quin & propria ipſorum iura, quibus vtuntur, docent: Quando caput ipſum malè ſanum ſit, & ad iudicandum minus idoneum, membra etiam ei adhærentia, & quæ ca-put ſequuntur, minus commoda & ſuſpecta veriſimiliter

præſumi.

præſumi. Quare ſicut Papa ipſe excluditur, ita pariter etiam excludendos eſſe Cardinales & Epiſcopos. Quia quando caput ſuſpectum eſt, etiam alij, qui caput veriſimiliter ſequuntur, ſuſpecti ſunt: vt præclarè dixit Abbas [a] pòſt Vicentium & Baldum. [b] Nam tales adhærent Pontifici: Et de adhærentibus, idem iudicatur quod de principali: vt rectè Decius ait. [c]

NEQVE nunc prolixè hic repetendum cenſent Delecti, quod etiam ad hunc locum pertinebat, & dictum eſt ſuprà: Laicos omnes à Concilio prorſus excludi per Pontifices, omnéq; eis adimi ſentētiæ in Concilio dicendæ facultatem. Qua ratione igitur Concilium hoc rectè dici poteſt liberum: cum in libero Concilio nemo cuius interſit (vt ſanè hic & Laicorum intereſt) rectè excludatur, ſed ex æquo admittendi ſint omnes.

Poſtremò. Conſtat Concilium illud & iudicium nullo modo liberum dici poſſe, in quo ſententia condemnatoria feratur prius, quàm uel Concilium ipſum ſit congregatum, uel iudicium conſtitutum, aut deniq; ulla de cauſa ipſa ſuſcepta cognitio: In libero namq; Concilio integra & ſine præiudicio omnia legitimæ cognitioni reſeruari debent.

Atqui omnibus notum eſt, & palàm conſtat, Leonem X. edita Bulla (quæ poſtea etiam à Paulo III. & IIII. Pontificibus confirmata fuit) doctrinam quam amplexi ſunt & tuentur Status Auguſtanæ Confeſsionis, pro hæretica damnaſſe multis modis, & omnes ei religioni addictos excommunicaſſe, ac diris omnibus deuouiſſe. Conſtat etiam Paulum III. Romanum Pontificem quibuſdam in literis grauiter & acerbè accuſaſſe Opt. Maximumq; Imperatorem Carolum V. quod neceſsitudo ipſi & con-

*a* *d. 1. n. 14. De iud. c.*

*b* *l. 1. col. 1. C. Si rector prouinc.*

*c* *In ſermone qui adiectus eſt conſil. 151. n. 20.*

iunctio cum Statibus Auguſtanæ Confeſsionis intercede-ret. Et extant non pauca edicta, in quibus Pontifices Romani crudeliſsima ſupplicia, crucem, ignes, naphta & ſulphure ſubiectis, & dira quæque interminantur, qui doctrinam noſtrarum Eccleſiarum, ut in Confeſsione oblata eſt & exhibita, amplecterentur. Quemadmodum ſanè multis in locis ex huiuſmodi edictis ſanguine ſcriptis & conſilijs Herodianis crudeliſsimè ſæuitum eſt in miſeros & innocentes homines, & multi paſsim pij propter profeſsionem veritatis diuinæ miſerrimè trucidati ſunt, et etiamnum hodié duriter excarnificantur. Quæ quidem præiudicia longè grauiſsima, & conſtantiſsimo cuique exhorreſcenda, non immeritô Status & hos Ordines à tam multis nominibus ſuſpecto & inſidioſo Concilio deterrere poſſunt, & debent. Idque hoc magis, quòd Pontifices non tantum ullam dant operam, vt hæc præiudicia aboleantur, ſed inſuper etiam ipſam Maieſtatem Cæſaream incuſare audent, quaſi iniuſtè & impiè egerit, quòd decretis Comitiorum Imperij publicis hac de re, & quæ de pace religionis cauſa ſeruanda piè ſalubriterque conſtituta ſunt, approbarit cum cæteris Statibus & Imperij Ordinibus, & Eccleſiaſticorum iuriſdictionem effrenatam interea ſuſpenſam eſſe iuſſerit: quemadmodum CAROLO V. Imp. Paulum III. et poſtea FERDINANDO Imperatori noſtro Paulum IIII. ſatis inciuiliter id obiecisse intelligimus: qui non tantum Status & hos Ordines petulanter inſectari, ſed & Imperatoriam Maieſtatem, dignitatemque Cæſaream non ferenda confidentia impudenter ac proterùe conuellere præſumpſererunt.

Certum autem eſt, Pontificem Romanum nulla alia de cauſa Status, qui Auguſtanæ Confeſsionis ſunt, à ſuo illo Concilio excludere, ne ulla in parte eius præiudicijs quidquam decedat aut præiudicetur. Itaq; intelligi facile poteſt, neq; hoc, quod nunc inſtituitur, Concilio Pontificem quidquam aduerſus præiudicia ſua admiſſurum, aut facturum quod eis vlla ex parte contrarium ſit: tantum abeſt, ut, qui ei grauiſsimè obſtricti ſunt Cardinales, Epiſcopi & Theologi, quidquã in animum inducturi ſint aut præſumpturi, multò etiam minus deciſuri quod præiudicium adferre Pontifici vlla in parte queat.

Proinde ſatis ex his efficitur quod diximus: Tridentinum hoc Concilium nõ, quale oportebat, liberum, ſed obſtrictum, ſeruum, coactum & maximè captiuum fore, atq; indignum eſſe prorſus liberi Concilij nomine & titulo.

QVINTO. Ea eſt huius Synodi Papalis ratio, vt non modò liberi, ſed nec Chriſtiani Concilij nomine cenſeri rectè poſsit aut debeat. V. *Cauſa recuſandi Concilij.*

In Chriſtiano enim Concilio ſolus Chriſtus, & verbum eius Sacroſanctum, præualere & vocem, ut loquimur, deciſiuam habere debet, hoc eſt, deliberatio & emendatio omnis ex præſcripto verbi diuini & ſanctarum ſcripturarũ, non ex humanis traditionibus & decretis Pontificum verbo Dei manifeſtè repugnantibus, liberè & Catholico Eccleſiæ conſenſu inſtitui debet, nullius pij eruditi, intelligentis, & Deum timentis iudicio ſano & voce excluſa: eaq́ue grauitate, diligentia & fide conſideranda, expendenda, atq; dijudicanda ſingula, vt veritas Orthodoxæ doctrinæ defendatur conſtanter, & inuicem erronea

omnia & falſa dogmata, abuſus & cultus ſuperſtitioſi atq; impij manifeſtò damnentur, & emendatio pia ſingulorum ex verbo Dei inſtituatur atq; fiat. Neq; etiam ſuffragiorum ut ſit numero, ſed ſcripturarum pondere & teſtimonijs luculentis ſingula dijudicanda: V t uel vnius atq; alterius ſententia manifeſtis Scripturę ſanctę teſtimonijs fundata plus valere debeat, quàm cæterorum omnium quotquot ſententiam ſuam ex verbo Dei adductis teſtimonijs manifeſtis, probare nequeant: quemadmodum Apoſtolorum Concilio Hieroſolymis habito, & poſtea Nicæno etiam, ut ſuprà de Paphnutio diximus, multisq; alijs pijs Synodis ſeruatum ſcimus. Ea enim eſt verbi Diuini autoritas, ut meritò ei omnes traditiones, arbitria, ritus, opiniones, atq; inuenta hominum cedant: tantumq; humana hæc infra Verbum Dei poſita ſunt, ut ſi uel totius Orbis terrarum, omniumq;, quotquot viuunt, hominum Concilium coiret, ſtatuere tamen nihil poſſet creatura, quod creatoris legẽ & decretũ immutabile ulla in parte tolleret: Omnis hic humana ſapientia conſileſcat oportet, omnisq; quantumuis magna in ſpeciem ſanctimonia & autoritas præpotens, aut etiam ſucceſsio ordinaria: neq; enim hæc manifeſtum Dei verbum ullo modo conuellere aut labefactare ex vlla parte poſsunt. Sed DEO loquente, & ad Diuinum eius verbum omnis humana ratio, caro omnis, & quidquid eſt ſapientiæ humanæ reuerenter conticeſcat oportet, quemadmodũ grauiter Paulus ad Romanos ſcribit, nihil ſe audere loqui in Eccleſia quod non per ipſum etiam operetur Chriſtus, in obedientiam gentium. Cap. 15.

¶ Equidem hanc ipſam ob cauſam Concilia & Synodi Chriſtianorum ex pluribus hominibus congregantur,

non ut

non ut nouos articulos fidei, & cum verbo Dei pugnantes condant, ſed ut in celebri aliqua frequentia, & inter multos aliqui exiſtant & inueniantur facilius, qui Spiritus ſancti illuminatione & gratia quadam ditiore atq; abundantiore, doctrinæ cœleſtis veritatem, & negotiorum, de quibus deliberatio inſtituitur, rationem rectè intelligant, & firmis ac perſpicuis Scripturæ ſanctæ teſtimonijs confirmare ſingula queant: Vtq; hos attentè audiamus, et ipſum ſummum & præcipuum Eccleſiæ doctorem CHRISTVM ſequamur, extra hũc alios nullos, quantumuis magno numero, non ſi arenas maris multitudine ſuperarent.

Nã, ut piè Athanaſius in principio libri ſecundi aduerſus gentes ſcripſit, *ſancta & diuinitus inſpirata Scriptura ſola ad omnem ueritatis inſtructionem abundè ſufficit:* Quod etiam Spiritus ſancti autoritate confirmatur, Pſalmo 118. vbi Propheta ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.

Hoc lumen veritatis, quod ipſe fons lucis & intelligentiæ filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus prębet in verbo ſuo per Prophetas & Apoſtolos tradito, fallere nos nulla ratione poteſt.

At hominum traditiones, Concilia, Synodi, congregationes & harum decreta profectò multipliciter labi, errare, decipi, falli poſſunt, & multis modis à verbo Dei ac veritate in omnem partem diſcedere. Idq; exemplis ſummorum quorundam & præcipuæ autoritatis Conciliorum ex hiſtorijs Eccleſię demonſtrari non difficulter poteſt, quorum pleraq; decreta impia, et cum verbo Dei pugnantia, ab ipſa tandem Eccleſia reiecta ſunt & condemnata.

In Concilio CARTHAGINENSI, quod vetuſtius eſt Nicæno, habitum temporibus Cypriani, ſcimus decretum fuiſſe: Baptizatos ab hæreticis denuò baptizandos eſſe.

In NICAENA Synodo damnati ſunt milites, qui fidem Chriſtianam ſemel profeſsi poſtea rediiſſent ad militiam etiam legitimam: quod decretum manifeſtè contrarium eſt ſententiæ Ioannis Baptiſtæ, quæ de militibus extat Lucæ capite tertio. Et eodem in Concilio facti ſunt Canones pœnitentiæ, qui dicuntur, ex quibus poſtea multum ſuperſtitionis irrepſit in Eccleſiam, vt meritum CHRISTI non parum hac ratione obſcuraretur paulatim.

Similia decreta impia facta ſunt in SIRMIENSI & SELEVCIENSI Concilio ſub Conſtantino Imp. qui cum Epiſcopos rurſus conuocaſſet Nicæam, ut noua decreta contraria prioris Concilij Nicæni decretis ſtatuerent de dogmatibus, diuinitus factum legimus, ut ſubito & horribili terræmotu Concilium diſsiparetur: quod tamen paulò poſt reſtitutum Seleuciæ, impium & blaſphemum decretum fecit: Chriſtum non eſſe ὁμοούσιον ſeu conſubſtantialem Patri.

Ita & ARIMINIENSIS Synodus, & alia quædam Concilia impium Arrij dogma approbarunt.

Concilium EPHESINVM ſecundum, Eutychis hæreſin probauit.

CHALCEDONENSE Concilium habitum circiter annum Domini CCCCLII. rectè quidem damnauit Eutychen, ſed inuicem tetro errore Monachis

& monialibus virginibus coniugij vſum interdixit: vnde poſtea multa extiterunt mala & incommoda in Eccleſia.

Synodus LAODICENA rectè etiam damnauit Nouatianos: ſed non rectè prohibuit ſecundas nuptias, Canonicis pœnis ſecundo iterantes coniugium ſubijciendo, antequàm ad Sacramentum admitterentur.

TOLETANVM Concilium quod temporibus Honorij Imp. habitum fuit, decretum fecit de excommunicandis parentibus, qui filias poſt votum virginitatis nubentes in gratiam recipiunt, & filias ita nubentes tantiſper à communione Cœnæ Dominicæ arceri iubet, dum rurſus à maritis ſuis diſcedant.

Quinta Synodus CARTHAGINENSIS inuexit impia ſacrificia, oblationes & interceſsiones pro defunctis.

Synodus MILEVITANA ſtatuit: vt diuortio poſt adulterium alterius ex coniugibus facto, nō liceat innocenti perſonæ denuò contrahere coniugium: Quod nimis profecto durum eſt & iniuſtum: ac Fabiolam nobilem matronam Romanam, quæ mariti ſcelere diuortium fecerat, alteri nupſiſſe teſtis eſt D. Hieronymus.

GREGORIVS II. Pontifex Romanus, & GREGORIVS III. Idolatricos cultus de ſtatuis & imaginibus adorandis confirmarunt, iniquiſsimo iudicio LEONEM Imperatorem condemnantes.

GREGORIVM VII. multa legimus congregaſſe Concilia, in quibus impia decreta facta fuerunt, quæ poſtea contrarijs ſequentium Conciliorum decretis damnata fuerunt & ſublata.

Pontificis FORMOSI acta STEPHANVS Papa eius nominis III. Concilio habito irrita pronunciauit. Rurſum huius decreta poſtea damnauit IOANNES X. concilio quod Rauennæ habitum fuit. Ac permulta poſſent ſimilia vetuſtorum Conciliorum exempla adduci, in quibus grauiſsimè erratum fuit, & craſsiſsimi errores contra verbum Dei & expreſſam Scripturæ ſanctæ vocem confirmati.

Recentiora Concilia, & quæ ſecuta fuerunt ſuperiora, non minus, ſæpe etiam grauius, errarunt, & cultus manifeſtè Idolatricos atque errores apertiſsimos ſtabiliuerunt, quemadmodum exemplo eſſe poteſt Lateranenſe Concilium, quod tamen præcipui nominis eſt, &, ut œcumenicum, imprimis celebre: In eo contra ſuperiorum Conciliorum omnium autoritatem, contra manifeſtam Scripturæ ſanctæ doctrinam, denique contra ipſius autoris Chriſti inſtitutionem horribili errore transſubſtantiatio, quam vocant, panis & vini in cœna Dñi, inuecta & approbata fuit.

Eodē in Concilio confirmatus eſt error impius de ſuperſtitioſa omnium delictorum enumeratione, in confeſsione, quæ ſacerdoti fit, & vulgò auricularis dicitur: cui grauiſsimè aduerſatur ipſe etiam Chryſoſtomus, inquiens.[a] *Dic tu peccata tua prior, ut iuſtificeris. Cur igitur, quæſo te, pudeſcis, & erubeſcis dicere peccata tua? Caue enim homini dixeris, ne tibi exprobret. Neque enim conſeruo confiteris, ut in publicum proferat, ſed ei, qui dominus eſt, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus eſt, ei qui medicus eſt, oſtendis uulnera, &c.* Etiam inter interpretes iuris

[a] *In quarta concione de Lazaro.*

tes iuris Pontificij præcipuus & ſummus Abbas Panor‐mitanus quodam in loco ipſe fatetur, eam exhomologiſin ſeu confeſsionem quæ fit ſacerdoti, neq; diuini neq; hu‐mani iuris eſſe, aut ad ſalutem neceſſariam, ut infrà copio‐ſius explicabitur.

Cum igitur negari ratione nulla poſsit, & ipſa luce cla‐rius ſit, Conciliorum & Synodorum congregationes er‐rare poſſe, & ſæpius erraſſe grauiter, quemadmodum is, quem modò diximus Abbas Panormitanus teſtatur: ita enim ait: [a] *Concilium errare poteſt, ſicut aliâs errauit ſuper cauſa matrimonij contrahendi inter raptam & ra‐ptorem, quando dictum Hieronymi fuit poſtea toti Cõ‐cilio prælatum. Hactenus ille, &c.* Ergo neceſſariò ex hoc conſequitur illud Concilium tantum rectè dici & eſſe Chriſtianum, in quo ex verbo CHRISTI, & non ex ho‐minum traditionibus, conſtitutionibus, decretis, ſomnijs, aut vlla deniq; quantumuis inueterata conſuetudine res re‐ligionis iudicetur, atq; determinetur, quantumuis magni in eo interſint viri: Etenim externam illam ſpeciem auto‐ritatis, ſapientiæ humanæ, excellentiæ & ſanctimoniæ de‐teſtatur & reijcit Propheta [b] inquiens: *Quomodo dicitis? ſapientes ſumus, & lex Domini apud nos eſt? Atta‐men ecce mendacium operatus eſt ſtylus, falsò & fruſtra ſcripſerunt ſcribæ: Pudefacti ſunt ſapientes, perterriti, & capti ſunt: Ecce Verbum Domini reprobrauerunt: Quæ ergò illis ſapientia reliqua eſſe poterit?*

[a] *d.c. ſignificaſti. col. 12. n. 3. ex. De elect.*

[b] Ieremiæ capite 8.

c Ad Galatas 2. cap.

Et Paulus [c] negat vllam eſſe προσωποληψίαν aut reſpectum Perſonarum apud DEVM. Recte igitur & neceſſariò fundamentum atq; regulam fidei noſtræ in ſolo verbo Dei, non in Conciliorum autoritate conſtituemus.

Neq; verò vlla mentio fit, in euulgato diplomate Pontificis de Synodo congreganda, quæ futura ſit ratio procedendi & actionis totius, aut ad quem modum in præſumpto ſuo Concilio de negocio religionis, ſint diſputaturi: Sed eo ipſo quod formam actionis, modumq; procedendi ac diſputandi in Concilio tam ſtudioſè cælant, & ex grauaminibus atq; præiudicijs ſuprà commemoratis, ſatis euidenter apparet, & non obſcurè licet conijcere, Pontificem cum ſuis ſatellitibus & mancipijs conſtituiſſe omnia ſuo more agere, omniaq; deinceps, pro ea quam ſibi in negocia omnia omneſq; cauſas liberrimè procedendi ac ſtatuendi poteſtate ſumit, in eo Concilio facturum, neq; locum vllum ibi CHRISTO & verbo eius futurum.

Quæ niſi Pontificis mens eſſet, quid opus foret tam prolixè, tam operosè diſputare imprimis, an Laici admittendi ſint ad Concilium? an in Synodo vocem deciſiuam ipſis permitti oporteat, nec ne? Si enim CHRISTVM audire, ſi verbo eius eam, quam meritò debemus, autoritatem tribuere volumus, nemo in Concilio decidendi poteſtatem præter ipſum CHRISTVM habere poterit, eumq; qui cum eius verbo conſentit: ab eo verbo qui diſſentit, aut minus eo inſtructus ſententiam dixerit, is decidendi vocem nullam habiturus eſt, etiamſi ipſo Pontifice maximo maior eſſet, ac ſatrapis Pontificijs omnibus, & vel Angelus de Cœlo delapſus.

Quare, ſi CHRISTVM audire, & verbo eius

eam, quam debuit, autoritatem tribuere vellet Romanus Pontifex, nihil prorſus in eo diſputaturus eſſet, quibus in Concilio ſententiæ dicendæ ius & vox deciſiua competat, ſed liberam audientiam pijs & eruditis omnibus, nullaq; in parte arctatam relinqueret: Et ſiquidem noſtri eius dogmatis, quod confitentur ac profitentur, rationem ex manifeſtis Scripturæ ſanctæ teſtimonijs minus demonſtrarent, & in aſſerenda doctrina ſua manifeſti erroris conuincerentur: non ſolum Concilij iudicio iuſtiſsimo, ſed & proprij oris & ſua ipſius ſententia damnarentur, vt qui ipſi hoc faterentur & adſererent, ſolius DEI verbum audiendum eſſe, & ex eo ſolo iudicandum: Et inuicem, ſi noſtri ex verbo DEI manifeſto dogmatis ſui veritatem demonſtraſſent, meritò & grato animo audiendi eſſent, neque vlla ratione à dicenda ſententia excludendi.

Cum autem nihil horum præ ſe ferat præſumptum hoc Pontificis Pij IIII. Concilium, &, quantum ex omnibus eius circumſtantijs ac ſignis manifeſtiſsimis euidentiſsimè liquet, nihil horum etiam ſperari deinceps poſsit: facile eſt intelligere, Pontificem cum ſuis in hoc, quod reſtituere conantur, Conciliabulo non CHRISTI vocem audituros, ſed hoc acturos imprimis, vt decreta & traditiones, quas contra manifeſtam & indubitatam veritatem verbi Diuini, aduerſus Dominum, & aduerſus CHRISTVM eius audaciſsimè & furenter ſtatuunt, atque decernunt, agnoſcere & approbare ſine vlla contradictione omnes cogantur, neque vel mutire quicquam contrà vlli liceat: quod quidem difficile erit, & vix effici poterit, ſiquidem ut ipſe CHRISTVS teſtatur:

Oues eius non alterius quàm ipſius Chriſti vocem audiunt aut agnoſcunt.

Quæ cum ita ſint, perſpicuum eſt Pontificiam hanc cõgregationem nulla ratione nomen Chriſtiani Concilij mereri, ſed ſentinam potius dicendam malè coniuratorum gygantum, qui, ut cœlo bellum impium inferant, fremebundi in vnum conuenerunt aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.

Ad hæc, ſi finem quoq; & effectum Chriſtianorum & piè inſtitutorum Conciliorum conſiderabimus, ſimiliter inueniemus nihil hoc Concilium ſimile habere Chriſtiano Concilio: ſiquidem Chriſtianorum Conciliorum effectus hic eſt proprius, vt ijs Idolatria et errores omnes tollantur, & inuicem veritas in lucem reuocetur, emendatio Eccleſiarum pia ex verbo Dei inſtituatur, ſalus Eccleſiæ quæratur, ac vulnera eius ſanentur, diſcordiæ omnes tollantur, deniq; ex omni parte ſalutaris pax & concordia publica conſtituatur & conſeruetur. Quæ quidem præcipua cauſa fuit Maieſtati Cæſareæ, Electoribus, Principibus, & comunibus Imperij Ordinibus, vt tot iam Imperij conuentibus hoc vnum conciliandæ concordiæ, & tollendæ de religione diſſenſionis remedium ſemper arbitrati ſint fore ſaluberrimum, et Reipublicę maximè accomodatum, vt libero atq; Chriſtiano Concilio grauiſſima diſſenſio & odia latè vagantia inter Orbis Chriſtiani proceres tollantur, & rurſus animis & voluntatibus inter ſe coirent, omnes, quotquot grauiſſimo Reipublicæ incommodo hactenus diſſenſerunt.

Quamobrem, ſi ea inſtituti huius Concilij ratio futura ſit, vt

ſit, ut ſolis Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis & Monachis iureiurando Pōtifici obſtrictis, vox deciſiua et ſtatuendi autoritas concedatur, poſthabitis & reiectis cæteris omnibus pijs & doctis, aut inani voce conſultiua his relicta tantum: non nomen tantum Chriſtiani Concilij minimè ei competet, ſed nec effectum eius aut vim ullam habere poterit: ſiquidem errores & deprauationes eo minimè tolluntur, ſed confirmantur potius & ſtabiliuntur, dum idola vetera nouis pinguntur coloribus, ne agnoſci veritas vlla ex parte queat: vt nulla unquam pax firma et concordia ſperari iſta ratione poſsit, imò multò maiores diſcordiæ & animorum diſtractiones certò certius expectandæ ac metuendæ videantur. Ex qua re quantum incommodi Orbi Chriſtiano impēdeat, cum id decretis Imperij publicis manifeſtè repugnet, & ſpei toties factæ Statibus in Comitijs contrarium ſit magnoperè, quantumq́ue Imperio Germanicæ nationis inde periculi ſupremi & certiſsimi metuendum ſit, prudentes facile exiſtimauerint.

Atq́ue ex his, quæ de Chriſtianorum Conciliorum proprietatibus breuiter diximus hactenus, planum fit, & irrefragabiliter efficitur, Pontificiam Synodum, quæ Tridenti habetur, & nunc propè finita exiſtimatur, neq́ue generalis uel vniuerſalis, neq́ue liberi, neq́ue etiam Chriſtiani Concilij nomine dignam eſſe, atq́ue adeò Concilij nomine prorſus indignam, iuxta regulam communem & vulgò tritiſsimam, qua dicitur:

*Si re priueris, nec nomen habere mereris.* [a]

Et quid opus eſt multis coniecturis in re plana & aperta? Cum ipſa forma procedendi qua vtuntur, & ſeſsiones,

[a] *Iaſon in l.* Id *quod apud hoſtes.n.* 24. *tit.* De *leg.*

quas

quas vocant, et quæ ex his conſequutæ ſunt determinatio-
nes, canones, et decreta manifeſtiſsime doceant, quàm diſ-
ſimilis ſit Tridentina illa congregatio pio, libero & Chri-
ſtiano Concilio. Opus ipſum artificem, quod dicitur, ar-
guit: exitus etiam acta probabit.

VI. *Cauſa recuſationis.* SEXTO. Præter eas cauſas, quas hactenus commemorauimus, etiam hanc recuſandæ autoritatis Pō-
tificiæ & Concilij Papalis cauſam grauiſsimam & iuſtiſ-
ſimam eſſe arbitrantur Status & Imperij Ordines: Quòd
Curia Romana & regnum Pontificium adeò ſcateat vitijs
fœdiſsimis, luxu, auaritia, ſuperbia, nefarijs libidinibus,
alijsq́; deformitatibus notorijs, ut vmbram iſtorum, nedum
ſocietatem, boni omnes deteſtari & procul fugere meritò
debeant: Quæ quidem vita intemperans, plena grauiſsi-
morum ſcandalorum & diſſolutiſsima, multis bonis & pijs
viris omnibus ætatibus grauiſsima ac deteſtabilis viſa fuit,
atq; in multorum reprehenſionem publicè & meritò incur-
rit, lippis, quod aiunt & tonſoribus etiamnum nota.

Demonſtrari id teſtimonijs permultis grauiſsimorum
autorum poſſet, qui ſingulis ætatib. floruerũt, & fide digniſ-
ſimi ſunt habiti, niſi ea commemoratio prolixior futura vi-
deretur, quàm ut lectoris tædiũ effugere queat: Ex quib. ta-
men præcipua quædã hoc in loco, ſed breuiter, referre non
grauabimur, continentia & veterum & recentiorum de
intemperiæ Status Eccleſiaſtici querimonias.

*Querelæ ueterum de tyrannide & uitijs Status Eccleſiaſtici.* ¶ Ac primum quidem ex Diui BERNHARDI ſcri-
ptis, qui non vno in loco huius Ordinis vitia enormia,
luxum, ambitionẽ, & auaritiam inexplebilẽ grauiſsimè ta-
xat. Is in ſermone ſexto ad Pſalmum XC I. cuius initium
eſt: Qui habitat in adiutorio altiſsimi, ita ſcriptum reliquit:
Ipſa

*Ipſa quoq; Eccleſiaſticæ dignitatis officia in turpẽ quæſtum & tenebrarum negocium tranſiuêre: nec in his ſalus animarum, ſed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Eccleſias, Miſſas celebrant, Pſalmos decantant. Pro Epiſcopatibus, Archidiaconatibus, Abbatijs, alijsq; dignitatibus impudenter hodiè decertatur, ut Eccleſiarum reditus in ſuperfluitatis & uanitatis uſus diſsipentur. Supereſt ut reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium nõ modò diurnum, ſed et meridianum, quod non ſolum transfiguratur in Angelum lucis, ſed extollitur ſuper omne quod dicitur DEVS, aut quod colitur, &c.* BERNHARDI querela de ſtatu Eccleſiaſticorum.

Idem ad Eugenium libro quarto ſimiliter in immoderatum luxum Pontificum, & pompas regales curiæ Papalis grauiſsima oratione inuehitur, inter cætera dicens, hæc non ad Diui Petri Apoſtoli, ſed Imperatoris Conſtantini potius imitationem eſſe comparata. Sic enim ait: *Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſsiſſe aliquãdo, uel gemmis ornatus, uel ſericis, nec tectus auro, uel uectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepẽtibus ſeptus miniſtris. Abſq; his tamen ſatis credidit poſſe implere ſalutare mandatum: Si amas me, paſce oues meas. In his enim ſecularib. uidelicet apparatib. & poteſtatib. ſucceſsiſti non Petro, ſed Conſtantino, &c.* Cap. 4. de cõſideratione.

In

EBERHARDI Epiſcopi Salisburgenſis teſtimonium.

¶ In hanc ſententiam imprimis digna relatu extat ſummi & grauiſsimi viri EBERHARDI Salisburgenſis Archiepiſcopi, qui ante annos ducentos vixit, oratio, qua in conſeſſu totius Imperij publico diram atque inexplebilem auaritiam Pontificum & Eccleſiæ Romaniſtarum, cupientium diuina atque humana omnia in ſuam redigere poteſtatem, palàm & grauiſsimè reprehendit. Verba eius extant apud Auentinum [a] libro ſeptimo Annalium: *Flamines illi Babyloniæ ſoli regnare cupiunt, ferre parem non poſſunt: non deſiſtent, donec omnia pedibus ſuis proculcarint, atque in templo DEI ſedeant, extollanturque ſuper omne id quod colitur: fames opum, ſitis honorum inexplebilis eſt. Quò plura auido conceſſeris, eò plura appetit: porrige digitum, & manum concupiſcet. Licentia omnes ſumus deteriores. Qui ſeruus ſeruorum eſt, dominus dominorum, perinde ac ſi Deus foret, eſſe cupit. Sacros cœtus atque conſilia fratrum, imò dominorum ſuorum aſpernatur. Timet ne eorum, qui aduerſus leges indies magis atque magis gerit, rationem reddere cogatur. Ingentia loquitur, quaſi Deus ſit: noua conſilia ſub pectore uolutat, ut proprium ſibi conſtituat imperium. Leges commutat, ſuas ſancit, contaminat, diripit, ſpoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille, quem Antichriſtum uocare ſolent, in cuius fronte blaſphemiæ nomen ſcriptum eſt*

[a] editum Ingolſtadij Anno 1554.

*ptum eſt DEVS SVM, errare non poſſum. In templo Dei ſedet, longè lateq; dominatur: Sed ſicut eſt in arcano ſanctarum literarum: Qui legit intelligat, docti intelligent: omnes impij impiè agent, neq; intelligent.*

Hæc ille.

Similis eſt optimi IMP. FRIDERICI II. querela, quæ extat apud eundem autorem, quadam in epiſtola ad Otthonem Bauariæ ducem, de infinita Romanorum Pontificum ambitione, & dominandi libidine, luxu, factu & moribus profligatiſsimis grauiſsimè perſcripta: Verba Imperatoris hæc ſunt, eodem lib. 7. Annaliũ Auentini: FRIDERICI II. Imp. querela. *Pontifices Romanos, auctos diuitijs et dignitate à ſe atq; cæteris Imperatoribus, æmulos eſſe pertinaciſsimos omnium Regũ atq; Principum, neq; parem ultrà ferre poſſe. Manibus pedibusq;, noctes atq; dies id eos conari, ut non tàm ſe, quàm Sacroſancto Romano Imperio, tanquam capite oppreſſo, facile cæteris membris omnibus ſeruitutem imponant: affectare eos dominationem, atq; diuinitatem, nempe, ut ab omnibus haud aliter, imò magis, quàm Deus, timeantur. Nam multos Antichriſtos ineſſe Romanenſibus illis, nec ullos alios, quemadmodum opera oſtendunt, exitio Chriſtianæ religioni eſſe. Siquidem optimè ſentire de Chriſto, atq; eius religione, prædicat,*

*dicat, nihilq; magis cupere, quàm ut ſuo tempore Reſpublica Chriſtiana priſtinam Maieſtatem, ſimplicitatem & pacem recuperet. Quod fieri nequaquam poteſt, niſi ſpinæ eradicentur, hoc eſt, ambitio, ſuperbia, faſtus, luxus, Sacerdotum Romanorum, ſubtractis opibus, atque diuitijs extirpentur radicitus, &c.* Et paulò pòſt:

*Namq; hæc (inquit) pernicies ſunt religionis, adeò, ut homo ille, qui dicitur Papa, diuitijs nimirum auctus, maximo pietatis Chriſtianæ detrimento, omnia ſibi licere more tyrannorum peßimorum putet, rationem actuum nemini, quaſi ſit DEVS, reddere uelit. Id quod ſoli DEO conuenit, uſurpet, ſe errare, ullaúe mendacij religione aſtringi non poſſe, credi ſibi impudentiſſimè, ſimulq; imperioſè poſtulat, &c.*

*ALBERICI de Roſate Iuriſconſulti teſtimonium.* His congruit & ALBERICI de ROSATE Iuriſconſulti celeberrimi, qui temporibus Caroli IIII. Imp. vixit, teſtimonium, ſimiliter conquerentis de Sacerdotum & Pontificum ambitione & auaritia, dies noctesq; meditantiũ, quomodo temporalia ſimul & ſpiritualia omnia per tyrannidẽ occupent & pedibus ſuis ſubijciant. Sic .n. ait.[a]

*a In l. Benè à Zenone col. 6 n. 18. C. De quadriennij præſcript.*

*Præſidentes Romanæ Eccleſiæ eorum actu, & ſagaci prudentia, ſecundum temporũ uarietatem ſuà uariauerunt ſtatuta, modò imperium ſublimando, modò deprimendo de tempore in tempus: Sed ad quid? niſi ut ſenſim*

omnia

*omnia et cœleſtia et terrena, ſpiritualia et temporalia (ut uocant) pedibus ſuis, ut palàm gloriantur, ſubijcerent.*

Sed præ cæteris grauiter, & nõ vno in loco, Pontificum tyrannidem & vitia taxauit nobiliſsimus Practicus IO. PETRVS FERRARIENSIS, in Commentario quem de praxi iuris eruditè ſcriptum reliquit ante multos annos. Is inter cætera quodam in loco [a] ſic habet: *In tantum excreuit hic appetitus, quòd ne dum Laici, ſed etiam ſummi Sacerdotes, et Clerici ſunt tali morbo, ac uitio penitus infecti. Vides enim quod ipſe Papa, qui deberet tanquam uerus uicarius, ueſtigia ſequi Ieſu Chriſti: poſsidere, & manu armata nititur detinere Iuriſdictionẽ in terris, ciuitatib. & uillis, et locis, quæ ſunt naturaliter et à mũdi creatione, et Chriſti ordinatione Imperij Ro. iuxta illud: Quod eſt DEI, reddatur DEO, & quod eſt Cæſaris, Cæſari. Imò ipſe Papa in ipſo Imperatore nititur ſuperioritatem habere: Quod ridiculum eſt dicere, atq; obominabile audire, &c.* Et alibi idem:

*Nota quomodo & quot modis iſti Clerici illaqueant Laicos, et ſuam iuriſdictionem ampliant. Sed heu miſeri Imperatores & Principes ſeculares, qui hoc et alia ſuſtinetis, & uos ſeruos Pontificum facitis, & mundũ per eos infinitis modis uſurpari uidetis, nec de remedio cogitatis: quia prudentiæ et ſcientiæ non intenditis.*

PETRI Ferrarienſis practici teſt.

a In forma libelli actionis cõfeſſoriæ, ſi uerbo. plenam. in p.

In forma reſponſionis rei conuenti: ad uerbũ. Tanquam publicè excommunicatum. n. 10.

*Ideo attendite et memoriæ commendate quid dicat Hieronymus, ueteres ſcrutans hiſtorias: Inuenire non poſſum ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo domini populos ſeduxiſſe, præter eos, qui ſacerdotes Deo poſiti fuerant. Iſti uero uertuntur in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum, &c.*

Multa ſunt eiuſdem autoris grauiter, & ſine vlla circuitione aduerſus Romanæ curiæ indomitam auaritiam & luxum effrenatum dicta liberrimè, & quidē eo ſeculo quo vix quiſquam mutire auſus fuit hac de re, ante annos amplius centum quinquaginta.

Longum foret referre, quæ multi alij viri docti & pij, OCCAM: GERSON & plerique Theologi Pariſienſis Scholæ, alijq́; complures prudentia & eruditione præſtantes autores annis iam amplius trecentis de Romanæ curiæ moribus corruptiſsimis, & adminiſtratione grauiſsimis ſcandalis deformata, pio zelo & monendo & increpando ſcripta reliquerunt: quæ quidem iuſtis voluminibus iampridem edita ſunt in publicum: vno quidem cui titulus eſt, Catalogus teſtium veritatis, qui ante noſtram ætatem Papæ reclamarunt: altero, quod inſcribitur: Antilogia Papæ: & tertiò, cui titulus eſt Acta Romanorum Pontificum, uel, Scriptorum Britanniæ Catalogus.

*Libri aduerſus Papatum editi.*

Quàm multi verò hac noſtra ætate, & iam annis amplius quinquaginta viri boni & docti paſsim publicè editis & ſcriptis tyrannidem ſuperbam Pontificum abominati & deteſtati ſint, grauiterq́; & certatim reprehenderint, id ſatis notum eſt, nec verboſa indiget oratione. Etenim re paulum mota

lum mota diſputationib. doctorum, nemo non vidit Pontifices relicto verbo Dei & officio ſuo poſthabito, omnem cogitationem & curam ſuam in eo conſumpſiſſe, quomodo dominatum ſuum amplificarent, regnis et Imperijs potirentur, ærarium ſuum locupletarent, gentibus dominarentur, omniũq; opes ad ſe attraherent: qua de re ſæpe vniuerſas gentes motibus grauiſsimis, bellis, & vaſtationibus inuoluerunt. Vt non paucis in locis ſummus vir, & ingenio moderatiſsimo natus, ERASMVS ROTERODAMVS hæc ſcandala grauiter & iniquo animo tulerit, atque acriter in iſtos inuehatur, dicens: rectius Pontifices comparari Iulijs, Alexandris, Crœſis, quàm CHRISTO & Apoſtolis ſuis. Sic enim ait: *Quos potius exprimant uita Pontifices, quàm quos exprimunt plumbo? quos titulis referunt, quorum uices occupant. An magis cõuenit Iulios, Alexandros, Crœſos et Xerxes, nihil aliud quàm magnos latrones, imitari Chriſti Vicarium, quàm ipſum Chriſtum unicum Eccleſiæ ducem & Imperatorem? Quos iuſtius æmulentur Apoſtolorũ ſucceſſores, quàm Apoſtolorũ Principẽ? Chriſtus palàm negauit, regnũ ſuũ huius eſſe mũdi. Et tu conuenire putas, ut Chriſti ſucceſſor, mundanam ditionem non ſolum admittat, uerumetiam ambiat, proq; hac omnem, quod aiunt, moueat lapidem?*

ERASMI ROTERODAMI *teſtimonium de tyrannide Pontificum.*

*In Prouerbio Chiliadum, Sileni Alcibiadis.*

Et paulò poſt,

*Cur Apoſtolicos Principes eis ornamentis magnos*

*uideri uis, quibus calcandis magni fuerunt Apoſtoli? Cur illud Petri patrimonium uocas, quod ipſe Petrus ſe non habere gloriatus eſt? Cur Chriſti uicarios opibus irretiendos putas? quas ipſe Chriſtus appellauit ſpinas:*

Et paulò ante:

*Vis audire uerè ſummi Pontificis diuitias? Audi à Pontificum principe proximum: Aurum & argentum non eſt mecum, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu ſurge & ambula, &c.*

Idem alio in opere ſcribit, nihil miſerius, nihil afflictius Pa[illegible] futurum, ſi verè gerere vices Chriſti, & exemplum eius æmulari atq; referre ſtuderet, pompa omni & dominatu depoſito: Sic enim ait:

In Encomio Moriæ ad finem.

*Iam ſummi Pontifices, qui Chriſti uices gerunt, ſi conentur eiuſdem uitam æmulari, nempe paupertatem, labores, doctrinam, crucem, uitæ contemptum: Si uel Papæ, id eſt, patris nomē, uel ſanctiſsimi cognomen cogitent, quid erit in terris afflictius? aut quis eum locum omnibus emat facultatibus? emptum, gladio, ueneno, omniq; ui tueatur? Quantum his abſtulerit commoditatum, ſi ſemel inceſsiuerit ſapientia?* Et mox ſubijcit.

*Tantum opum, tantum honorum, tantum ditionis, tantum uictoriarum, tot officia, tot diſpenſationes, tot ue-*

*ctigalia,*

*ectigalia, tot indulgentias, tantum equorum, mulorum, ſatellitum, tantum uoluptatum ſcilicet abſtulerit, &c. In quorum locum inducet uigilias, ieiunia, lachrymas, orationes, cantiones, ſtudia, ſuſpiria, milleq́; id genus miſeros labores.* Et paulò pòſt: *At nunc ferè, ſi quid laboris eſt, id Pontifices Petro & Paulo relinquunt, quibus abunde ſatis eſt ocij. Porrò ſi quid ſplendoris aut uoluptatis, id ſibi ſumunt.* Deniq; concludit:

*Nullos eſſe hoſtes Eccleſiæ pernicioſiores, quàm impios Pontifices, qui & ſilentio Chriſtum ſinunt aboleſcere, & quæſtuarijs legibus alligant, & coactis interpretationibus adulterant, & peſtilente uita iugulant.*

¶ Quæ quidem omnia manifeſtiſsimè docent nos, ac conuincunt, ut fateri cogamur, Pontifices Romanos non tantum olim & apud maiores noſtros, ſed etiam hoc noſtro tempore ita ob vitæ rationem corruptiſsimam innotuiſſe publicè, vt boni omnes & intelligentes grauiter re iſta ſint offenſi meritò. Ex quo deinde & hoc rectiſsimè efficitur, quod propoſuimus ab initio, non poſſe Papam vlla ratione in Concilio Chriſtiano & pio præſidentis, aut ſuperioris munus obire, aut iudicis partes ſibi ſumere.

Sic enim eo ipſo, quo vtuntur, iure Canonũ traditũ eſt: *Quando Papa eſt in Statu, qui pleriſq; eſt offendiculo, & ſcandalizat Eccleſiam, nec eſt corrigibilis, tunc non poteſt eſſe Iudex, quia uidetur malè ſentire de fide:*

ſecundum gloſſam in Canone: Si Papa, Diſtinctione 40. quam omnes ſequuntur, vt Panormitanus [a] teſtatur, qui alicubi [b] dicit, quod totus mundus illam approbet. Quod nec Iaſon negat. [c] Et licet Petrus de Monte in tractatu de Monarchia [d] Concilij eam maledictam appellet: tamen idem Nicolaus Pictauienſis illum reprehendit, ſubijciens, ſacrilegum & proteruum eſſe de ea hæſitare. Similiter & Antonius de Roſellis [e] grauiter voluit, quòd Papa perſeuerans in notorio ſcandalo, de hæreſi eſt ſuſpectus, videlicet, quod non credat, DEVM vltorem eſſe criminum, ſiue aliam vitam. Poſtremò, quod in tali caſu Papa non poſsit eſſe Iudex, ex facto Conſultus Ludouicus Romanus [f] reſpondit, citans ad hoc præclarum Canonem: [g] Quod qui rebelliter viuit, & diſcere atque agere bona recuſat, magis Diaboli quàm Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & potius infidelis quàm fidelis eſſe monſtratur. In quam ſententiam & Decius pedibus iuit, eamque multis argumentis confirmauit. [h] Vterque horum Iuriſconſultorum ſeculo ſuo magnus fuit, & ſummis negocijs Reipublicæ adhibitus: Ludouicus Baſilienſi Concilio interfuit, & diem ſuum in eo obijt, ſepultus Baſileæ: Decius Piſano Concilio cauſam Cardinalium aduerſus Pontificem Iulium II. defendit.

¶ Et hactenus quidem de ſexta cauſa recuſandi Concilium impium Pontificis, qui ob vitam profligatè impiam, & Eccleſiæ Chriſtianæ, pijsque omnibus ſupremè deteſtandam nullum omninò ſtatuendi ius aut ſuperioritatem in pio & Chriſtiano Concilio habere rectè poſsit.

SEPTIMO. Eò etiam magis Romano Pontifici de-

[a] In c. ſignificaſti n. 4. & ibidem Decius n. 9. De elect.
[b] In diſp. 1. in 2. dubio in fine.
[c] In conſil. 95. Requiſitus colum. 8. uerſu. Iſte paſſus. libro 4.
[d] Sub tit. de modo reſiſtendi Papæ n. 8.
[e] In tractatu de Poteſtat. Imp. aut Papæ, circa fi. uerſ. Vn de concluſio.
[f] In conſil. ult. n. 15. & 16.
[g] Can. nullus diſtinct. 38.
[h] In c. 115. n. 4. Vſque ad n. 10.

fici denegandum fuerit hoc, vt libero atq; Chriſtiano Concilio is præſideat, quòd non tantum in Imperio, ſed vbiq; in toto orbe Chriſtiano notiſsimum ſit publicè, & nemo neſciat, nihil non Romæ auro venale eſſe, mercatu atq; nundinatione impia ſacrorum & prophanorum omnium: grauiſsimumq; & nocentiſsimum ambitus Simoniaci crimen ita eſſe peruulgatum in Curia Papali, vt nihil eo poſsit eſſe vulgatius, nec vllius ſceleris maior ibi ſit licentia & impunitas. Neq; enim modus aut finis vllus eſt nefariarum expilationum & rapinarum, quibus omnes omnium nationum prouincias Romaniſtæ abſq; vllo pudore audaciſsimè ſunt depopulati, vexarunt, exhauſerunt, atq; etiamnum diuexant. Vnde iampridem iſta vulgò & in triuijs iactata fuerunt. VII. *Cauſa recuſationis.*

*Curia Romana non petit ouem ſine lana:* *Albericus in uerbo: Roma.*
*Dantes exaudit, non dantibus oſtia claudit.*

Et illud facetum:

*Si caput à capio, uel dixeris à capiendo,*
*Tunc eſt Roma caput, omnia namq; capit.*
*Si declinando capio, capis, ad capiendum*
*Retia laxauit, retia larga nimis.*

In gloſſa Pontificij iuris ſimilis recitatur iocus cuiuſdam Ioannis Monachi, qui Romam à rodendo dictam voluit, quòd manus roderet, & refertur eius verſiculus. *In c. fundamenta ex. de electi. in 6.*

*Roma manus rodit, quas rodere non ualet odit.*

Eundem etiam facetè dicere ſolitum refert Ioannes Andreæ Iuris Canonici interpres, Romam fundatam à latronibus adhuc ſapere primordia ſua.

DE TAXA *Cameræ Pontificiæ.*

VT AVTEM Pontificum nundinationes impiæ, et infinita illa pecuniæ aucupia diſtinctim demonſtrentur, & poſteritati pateſiant, viſum fuit Delectis TAXAM Cameræ Papalis, quam Sacræ pœnitentiariæ dixerunt, ſecundum præcipua negociorum genera diſtributam, adijcere potius ad finem huius operis, quo facilius, & velut in tranſcurſu inſpicienti appareat, quàm fuerit Pontifici quæſtuoſa hæc mercatura impia, quamq; fuerit ei odor lucri bonus ex re qualibet.

Etenim ex ea apparebit, nullum tam immane delictum, tam tetrum aut horrendum ſcelus nullum cogitari poſſe, cuius venia pecuniæ interuentu, quam quiſq; daret, parari non potuerit, aut abſolutio, aut diſpenſatio impetrari, modò pecunia ad eam rem pro ratione Taxæ neceſſaria interueniret.

Neq; vnius tantum generis ſunt hæ Taxæ, ſed, præter eas quas adiecimus, extant & aliæ, quæ luce clarius oſtendunt, quid ſit fumos, quod aiunt, vel potius, fumi vmbram vendere, aut plumbum cum auro permutare. Intitulantur autem Taxæ pœnitentiariæ Apoſtolicæ, quas longum eſſet hîc inſerere: Sunt enim prolixæ & multiplices, & reperiuntur paſsim in tractatibus iuris: præſertim in decimoſexto volumine, circa finem. Illud etiam in ijſdem ſcriptis obſeruandum eſt, quod Taxa de Turonenſibus ſeruatur, quamdiu Romanæ Curiæ ſedes eſt citra montes: Vbi verò eſt vltra montes, vel in alijs partibus Italiæ, tunc pro Turonenſibus ponuntur groſsi. Cuius rei meminit etiam Ludouicus Gomeſius in regulis Cancellariæ: regula de valore exprimendo, columna quarta.

Atque,

Atque, hi quos diximus, Taxarum libri & indices, ſatis ſuperq́ꝫ docent, quàm quæſtuoſa hæc nundinatio Pontifici ſit, qui vniuerſum propè orbem Chriſtianum his impoſturis exhauſit & exſuxit. Quam ob rem & hoc relatum eſt inter Imperij grauamina, quorum centum numero Optimus, Maximusq́ꝫ Princeps MAXIMILIANVS I. Imp. aduerſus Curiam Romanam colligi ad annum Domini M. D. X. curauit olim. Verba grauaminis hæc ſunt, articulo LXVII.

*Quemadmodum plus pecuniæ quàm pœnitentiæ peccatoribus imponant. Patrum Canonibus ſancitum eſt, ſpiritualibus ac manifeſtis peccatis ſpiritualem pœnitentiam ſeu ſatisfactionem eſſe imponendam: ut ſic non pecuniæ lucrum, ſed potius animarum ſalus quæri intelligatur. At Eccleſiaſtici Iudices & Officiales perperam animaduerſis Canonibus, dictam ſpiritualem pœnitentiam in tantum exaſperant, aggrauant & augent, ut Laici pleriq́ꝫ potius quàm eam ſatisfactionem acceptare uelint, pecunia malint ſibi ab ipſis immunitatem comparare. Quare Laici multum premuntur: Eccleſiaſtici contra multum ditantur, utputa qui in ſuum priuatum commodum & partis agunt munus & iudicis: quod tamen omnibus iuribus diſſonum eſt.*

Hactenus verba grauaminis.

¶ Quòd ſi cui hæc Taxarum ratio in pleriſque caſibus

leuiuſcula

leuiuſcula videatur: Is illud contrà cogitet, quanta & quàm grandis pecuniæ vis ex tot caſuum multitudine & negociorum varietate ſummatim conficiatur, maior profectò quàm pro cuiuſquam opinione, hæc non accuratius exiſtimantis.

DE PALLIIS *Epiſcopalibus.*

IAM verò, quàm multò eſt amplior ea ſumma, quæ per tam varias prouincias & nationes ex Palliorum Epiſcopalium redemptione conficitur? Vbi præter Palliorum redemptionem inſuper hæc præſente pecunia redimere oportet: Bullam Principalem, Bullam commiſsionis, Bullam Abſolutionis, Bullam ad Capitulum, Bullam ad Clerum, Bullam ad Populum, Bullam ad Vaſallos, Bullam ad Archiepiſcopum, Bullam ad Regem, & formam iuramenti: ſoluendumq́ in Conſiſtorialibus pro munere Conſecrationis, pro munere Benedictionis, vt omittamus tot retentiones, deuoluta, penſiones, & ſexcenta alia.

DE ANNATIS.

Pallio cohærent ANNATAE, quæ dicuntur. Appellant verò in Romana Curia ANNATAS, quod Ordinarij locorum nominant medios ſeu primos fructus, et pro confirmatione Epiſcopi ſolent appellare redemptionem Pallij, cum tamen propriè ſolus Epiſcopus Bambergenſis in Germania habeat Pallium, & Archiepiſcopi. Vt teſtatur Eccius in Enchiridio ſuo.

Quàm porrò quæſtuoſa fuerit Romanæ Eccleſiæ hæc Annatarum collectio, quantaqúe inde auri vis confecta ſit, incredibile eſt dictu. Non enim tantum Epiſcopatus & Prælaturæ, verumetiam alia minora beneficia, quę Electiua dicuntur, quorum reditus annui non excedunt viginti

dunt viginti quatuor ducatos, imò & quæ 12. ducatorum ſunt, ex conſtitutione Leonis X. Pontificis, ſingula penſiones certas Cameræ Pontificiæ perſoluere coguntur, ut autor eſt Hieronymus Gigas in tractatu de penſionibus.[a]

Non mirum igitur videri debet, Ordines Imperij etiam hoc retuliſſe inter grauamina publica, quæ in Comitijs anni M.D.XXII. Pontificio legato grauiter & prolixè ſunt expoſita. Sed fruſtra, & perinde ſi quis ſurdo, quod dicitur, fabulam narraret. Cum tamen de annatis & ſimilibus exactionibus atq; expilationibus Simoniacis tollendis grauiſsimè conſtitutum eſſet Baſilienſi Concilio. Verba decreti ſeu conſtitutionis de annatis hæc ſunt, Seſsione XXI. eiuſdem Concilij.

a q.26.n.2.

*Sacroſancta generalis Synodus Baſilienſis, in ſpiritu ſancto legitimè congregata, uniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Ad perpetuam rei memoriam in nomine Spiritus Paracleti ſtatuit hæc ſancta Synodus: quòd tàm in Curia Romana, quàm alibi, pro, ſeu in confirmatione electionum, admiſsione poſtulationum, præſentationum prouiſione, collatione, diſpenſatione, electione, poſtulatione, præſentatione, etiam à Laicis facienda inſtitutione, inſtallatione, & inueſtitura de Eccleſiis etiam cathedralibus, & metropolitanis, monaſterijs, dignitatibus, beneficijs, officijsq; Eccleſiaſticis quibuſcunq;, nec*

*Decretum Synodi Baſilienſis de Annatis*

*non*

*non Ordinibus, & ſacra benedictione, ac Pallio: de cætero nihil penitus antè uel pòſt exigatur, ratione literarum Bullæ, ſigilli, Annatarum, communium & minutorum ſeruitiorũ, primorum fructuum, deportatuum, aut ſub quocunq; alio titulo, colore, uel nomine: prætextu cuiuſcunq; conſuetudinis, priuilegij, uel ſtatuti, aut alia quauis cauſa, uel occaſione, directè, uel indirectè, ſolum ſcriptoribus, abbreuiatoribusq;, & regiſtratoribus literarum, ſeu minutarum, pro ipſorum labore competenti ſalario perſoluendo. Huic autem ſacro Canoni ſi quis exigendo, dando, uel promittendo contraire præſumpſerit, pœnam incurrat aduerſum Simoniacos inflictam: ac in ipſis dignitatibus, & beneficijs taliter obtentis, nullum ius, aut titulum acquirat. Obligationes quoq;, promiſsiones, cenſuræ, ac mandata, & quicquid in præiudicium decreti huius ſaluberrimi fieri continget, nullas obtinere uices, atq; irrita cenſeantur. Et ſi (quod abſit) Romanus Pontifex, qui præ cæteris uniuerſalium Conciliorum exequi, & cuſtodire Canones debet, aduerſus hanc ſanctionem aliquid faciendo Eccleſiam ſcandalizet, generali Concilio deferatur. Cæteri uerò pro modò culpæ iuxta Canonicas ſanctiones, per ſuos*

*per ſuos ſuperiores digna ultione puniantur.*

¶EODEM in Concilio etiam Epiſtolæ Synodales Patrum, qui Concilio interfuerunt, autoritate ad Eugenium Pontificem miſſæ ſunt, quibus grauiter hortantur, vt & ipſe huic de Annatis abolendis decreto aſſentiatur, & vectigalia iſta remittat. Fuit & grauis hac de re commonefactio propoſita à Ioanne Bacchenſtenio Doctore, oratione publicè habita, vt in actis eius Synodi prolixè eſt legere.

Verùm, hæc de Annatis, ſimilibusq; expilationibus decreta Synodi tantum abeſt, vt Eugenium & ſucceſſores Pontifices mouerint, ut etiam vi ac violentia manifeſta contra Synodi conſtitutiones ſuo more agentes, vel ex vno Franciæ regno ſupra decies centena millia coronatorum corraſa Romam quotannis exportarint. Qua de re libri fidedigni in publicum iam olim editi ſunt: et videre eſt idem in taxa Epiſcoporum Franciæ, quæ relata eſt in decimumquartum volumen tractatuum iuris, vbi ad octingenta eoq; amplius beneficia maiora, Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Prælaturarum & Abbatiarum Galliæ ordine & diſtinctim commemorantur.

Extat & Pariſienſis Curiæ ſeu Parlamenti pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ aduerſus Romanam aulam defenſio, oblata quondam Regi Galliarum LVDOVICO vndecimo: in cuius articulo ſeptuageſimo ſecundo, & ſequentibus quatuor expreſsè expoſitum eſt: Pij, eius nominis Secundi, Pontificis, tempore vacaſſe in eo regno ſuprà viginti Archiepiſcopatus, &

Epiſcopatus

Epiſcopatus, in quorum beneficiorum annatas & diplomata depenſa ſint Curiæ Papali coronatorum centum & viginti millia.

Totidem aureos ex Cœnobiarchijs ſeu Abbatijs, quæ eodem tempore ad ſexaginta numero vacarunt, à Pontifice eodem in regno eſſe redactos.

Tum deinde ex Prioratibus, Decanatibus, Præpoſituris vacantibus, non minus quàm aureorum coronatorum centum millia.

¶ Præterea conſtat, eſſe eodem in regno ut minimum, centena millia Parrochiarum & filialium Eccleſiarum, vt vocant, quæ incoluntur: harum quælibet, ſi ſummatim ratio ſubdicatur, Pontifici Pio non minus 25. coronatos dependit, quæ ſumma facit vicies quinquies centena millia coronatorum Gallicorum.

Atq; hæ exactiones Pontificiæ adeò (quemadmodum articulo 71. Parlamentum conqueritur) regnum opulentiſsimum auro exhauſerant, ut ærea tantum & minutior moneta in vſu relinqueretur incolis, auro omni Romam exportato: Quemadmodum hæc copioſius expoſita ſunt in eo libello, quem è Gallico in Latinum ſermonem conuerſum, D. Franciſcus Duarenus Iuriſconſultus doctiſs. commentario ſuo, De ſacris Eccleſiæ miniſterijs & beneficijs, adiunxit: qui editus eſt anno M.D.LI. & recuſus anno LVII. Lutetiæ cum Priuilegio Regis.

Huc pertinet, quod ſcripſit quodam in loco Archiepiſcopi Magdeburgenſis Legatus, qui Concilio Baſilienſi interfuit. Is in Sylua locorum communium, quæ extat, narratum ſibi ait ab Archiepiſcopo Lugdunenſi, in Concilio, quod Baſileæ habitum fuit, ad annum Domini

M. CCCC. XXXVI. Martini V. Pontificis tempore ex ſola Gallia Romam exportata fuiſſe nouies millena millia coronatorum, ſeu, vt nunc loquimur, uouẽ milliones coronatorum Gallicorum: quemadmodum Epiſcopi & Prælati has rationes ſubducunt, non numeratis ijs, quæ minorum ordinum Clerici, Romam ſubinde curſitantes important, qui non rarò omnes facultates ſuas in eo conſumunt. Et tandem ſubijcit hoc epiphonema: *Iudicet timoratus quæ uorago hæc.*

Atq; hæc ex vno Galliarum regno vis pecuniarum immenſa à Pontifice & eius quæſtoribus emungitur: Iam ſi & cæterorum regnorum, nationum & prouinciarum variarum ratio ineatur, quæ hactenus ab iſtis lamijs populatæ ſunt, & pleræq; etiamnum vexantur, & exſuguntur miſerè: maior profectò quàm pro opinione hominũ ſumma exiſtet, & propè incredibilis, in tantò præſertim Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum numero, dominantium per tot regna atq; prouincias, & quæſturas exercentium in Italia, Campania, Sicilia, Calabria, Apulia, Neapoli, Terra laboris, Aprucia, Tuſcia, ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, Romandiola, Piſis, Genuæ & apud Ligures in prouincia Flaminia, Inſubria quæ eſt ducatus Mediolanenſis, Patauino agro, & deinde per Dalmatiam, Iſtriam, Sclauoniam, Spaletinum, Raguſios, & Illyricum ac viciam Vngariam, & Macedoniam. Tum per omnes GERMANIAE angulos & oras: Sueuiam, Franconiam, Alſatiam, Bauariam, Auſtriam, per Rheni tractum & Danubij ripam, per ſuperiorem & inferiorem Sa-

xoniam, Marchiam, VVeſtphaliam, Belgicum & Germaniam inferiorem, per Liuoniam, et littus Balthicum latè, per Burgundiam, Allobroges qui ſunt Sabaudi. Prætereà per tot regna & prouincias Hiſpaniarum, in Arragonia, Cathalonia, Caſtilia, Legionis regno, et apud Compoſtellanos, Portugallos ſeu Luſitanos & Hiſpali: Similiter per Britannias, Angliam, Scotiam & Hyberniam: tum Septentrionalia regna Daniam, Norvvegiam et Sueciam: Rurſus per mediterranei maris Inſulas Sardiniam, Rhodum, Baleares aliaſq; complures, in quibus locis hoc hominum genus latè dominatum obtinuit, & etiamnum magna ex parte obtinet, Regeſq; & Principes tributarios ſibi fecit, vt hac de re Catalogus extat & tractatus peculiaris, *De numero titulisq; Cardinalium et Archipiſcoporum, uolumine XIIII. tractatuũ, ſeu ut uocant, iuris Oceano.*

Eſt & apud Albericum de Roſate prolixus Catalogus Cardinalium & Epiſcoporum Campaniæ & Marchiæ, adeoq; Germanicorum & Italicorum magna ex parte omnium, ad titulum Digeſtorũ. De ſtatu hominũ numero 16. vſq; ad finem. Et in libello, cui titulus eſt Prouinciale. Item apud Cardinalem Iacobatium in tractatu de Concilio lib. 5. articulo 7. col. 6. qui ad tria millia Epiſcoporum numerat, qui paſsim in orbe Chriſtiano Romanum Pontificem ſuperiorem & caput agnoſcant.

ET hactenus quidem de Annatis beneficiorum Ecclèſiaſticorum, ex quibus conſpicitur, quàm illæ Romanę Curiæ lucroſæ ſint, & quæſtum adferant vberrimum: vt interim omittamus: *taxam Cancellariæ pro gratijs expectatiuis, pro abſentibus, pro ſimplicibus prouiſionibus,* pro

*pro deuolutionibus præſulatuum & dignitatum, pro beneficiorum præuentionibus, pro commendationibus & penſionibus, pro beneficijs uacantibus in Curia Romana, pro erectionibus, pro nouis prouiſionibus, pro beneficijs uacaturis, pro prouiſionibus Eccleſiarum & monaſteriorum per conſiſtorium, pro commendis, pro facultatibus Epiſcoporum, pro facultate uiſitandi, pro expeditionibus in forma ratione congrui, pro coadiutoribus, pro literis maioris iuſtitiæ, pro officijs Clericorum, & dignitatibus ſecularibus Eccleſiaſticis, pro Vicariatibus & feudis, pro Abſolutionibus, pro Laicis, pro expeditionibus, perinde ualere, pro fructibus percipiendis in abſentia, pro unionibus, & applicationibus, pro diſpenſationibus, ad duo, uel tria, uel quatuor beneficia incomparabilia, pro gratia & facultate uiſitandi per procuratorem, pro Legitimationibus, pro re pœnitentiaria, quæ latiſsimè patet, pro Priuilegijs, pro Altaribus portatilibus, pro facultate eligendi Confeſſorem, pro Gratijs, ſi neutri, & perinde ualere, pro Diſpenſationibus ſuper uitijs corporis, pro irregularitatibus, pro infractione Votorum Religionis & peregrinationis, pro Abſolutione caſuum Papæ reſeruatorum,*

*pro Prothonothariatibus & promotionibus Capellanorum, pro non obſtantijs, pro prærogatiuis, annulationibus, & pro alijs clauſulis ſpecialibus, pro defectu ætatis & natalium ad beneficia, pro translationibus, pro confirmationibus & conceſſionibus alienationum bonorum Eccleſiaſticorum, pro indultis Clericorum ſecularium, pro conſeruatorijs, pro reuocationibus & reductionibus, pro exemptionibus, pro literis minoris iuſtitiæ, pro fundationibus, pro toleramus, ut uocant, ſeu tolerantijs concubinarum, meretricum, & pellicum:* Et quæ ſunt iſtorum aucupiorum infinita alia, de quibus extant integri libri Taxarum, vt vocant, ſeu eſtimationum, titulo: *Taxæ Cancellariæ Apoſtolicæ, cum notabilibus, iuxta ſtylum hodiernum Curiæ Romanæ:* In quibus libris hoc quoq; inter cætera notandum eſt, quod ſub Rubrica de matrimonialibus cauſis legitur, non eſſe diſpenſandum cum pauperculis, eò, quòd non habeant unde ſatisfaciant Taxæ ordinariæ. Verba Taxæ hæc ſunt:

*Diſpenſatio de contrahendo in cognatione ſpirituali gr. LX.*

*Expediui tamen unam prò gr. L. ſed de gratia.*

*Idem eſt iudicium in ſecundo gradu, & componitur cum datario in maxima ſumma aliquando CCC. & etiam*

*etiam CCCCC. & aliàs iuxta qualitatem perſonarum.*

*Et nota diligenter, quod huiuſmodi gratiæ & diſpenſationes non conceduntur pauperibus, quia non ſunt, ideo non poſſunt conſolari. In III. aut IIII. gradibus conceduntur pœnitentiario, quia contrahentes ſe attinent.*

*In II. & III. componitur pro tertio ad ducatos XXV. Si nobiles, ad ducatos LX. & fit declaratoria ſuper ſecundo, & non componitur.*

Hactenus verba Taxæ.

Nec deſunt exempla caſuum matrimonialium, in quibus ſuprà mille coronatos aut ducatos pro diſpenſationibus ſit numeratum.

¶ IAM verò quantum ex Indulgentiarum Bullis quæſtum fecerint Pontifices, & Pontificij, quantumque etiamnum inde corradant: tum quid lucri afferant Curiæ *reſeruationes pectorales, mentales, regreſſus generales, & ſpeciales acceſſus, incorporationes, uniones, relaxationes, permutationes beneficiorum, uenditiones, declarationes, &c:* Id dictu incredibile eſt, & maiorem, quàm pro cuiusquam opinione, ſummam facit: Siquidem ex ſola Gallia ſuprà bis centena millia coronatorum redegerunt, vt eſt in ea, quam diximus, defenſione Curiæ Pariſienſis pro libertate Gallicanæ Eccleſiæ, articulo 77. ad finem. *Indulgentiarum quæſtus.*

*Summa omnium uectigalium, quæ ex uniuerſo orbe Chriſtiano Curiæ Romanæ penduntur.*

¶ Breuiter: Summa vectigalium horum omnium, quæ ex diuerſis nationibus & orbis Chriſtiani prouincijs Curia Romana annuatim coëgit, eo præſertim tempore, quo adhuc integra fuit indulgentiarum autoritas, facit annua decem millionum millia, vel, vt nunc loquimur, Centum tonnas auri. Supra quam, quod ex terris, vt vocant, Eccleſiæ, & nobili illa donatione Conſtantini, ac Diui Petri patrimonio redigitur, quod & ipſum ampliſsimi regni opes facile adæquauerit.

B. MANTVANVS.

Rectè igitur optimus Poëta Mantuanus de his expilationibus auariſsimis cecinit.

*Venalia nobis*
*Templa, Sacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,*
*Ignis, thura, preces, cœlum eſt uenale, Deusq́;.*

IASON MAYNVS *in l. Qui Romæ § Seia n. 16. ff. De uerb. obligat.*

Et inter iuris interpretes præcipuus IASON MAYNVS quodam in loco inexplebilem hanc auaritiam Pötificum notans: *Imperator*, ait, *tanquam Aquila prædam ſuam partitur, nec curat omnibus epulis os ſuum apponere, tanquam ſit inſatiabilis: Secus eſt in Papa, qui quaſi totum continet omnia, &c.*

ALPHONSVS REX.

Atq; hoc eſt quod ALPHONSVM Arragonum Regem ſapientiſsimum ſalsè dicere ſolitum ferunt: Harpyas non iam amplius inſulas, vt Poëtæ exiſtimarunt, incolere, ſed ex inſulis migraſſe in Curiam Romanam, ibiq; domicilium ſuum conſtituiſſe: Vt refert Antonius Panormitanus

normitanus in libello De dictis & factis Alphonſi: & meminit L. Gomeſius in regula: de valore beneficiorum, in præfatione circa finem.

¶ Poſtremò. Quantum funeſti illi Taxarum indices & libri queſtorij ærario Pontificum emolumenti attulerint, id ſatis docet IOANNIS XXII. PONT. opulenta hæreditas, qui cùm in Taxarum rationes, vt de eo ſcripſit F. Petrarcha, acutè & vigilanter aduerteret, ne quid decederet, & taxationem ſeu æſtimationem ordinariam Ducatis Turonenſibus uel Florentinis auxiſſet: decedens reliquit coronatorum vicies quinquies millena millia, hoc eſt, tonnas auri ducentas & quinquaginta. Hoccine eſt CHRISTI Oues paſcere? imò verò deglubere, ac dilaniare minutatim, vt rectè Marſilius Patauinus in Defenſore Pacis.[a]

*Ioan. XXII. Pontificis opes immenſæ.*

[a] *Parte 2. ca. 26*

Ingens profectò hæc eſt, & immanis Pontificum auaritia, tot tantiſq; pecunijs regna omnia ac prouincias orbis Chriſtiani ſpoliantium, pugnans non modò cum expreſſo mandato CHRISTI, quo paſcere non deglubere iubet Oues ſuas: verùm etiam, cum omni honeſtate ciuili ac naturali: & patrum quorundam autoritate grauiter repreh enſa, inter quos BERNHARDVS ita ait:

*Quid aliud Sanctus dimiſit apoſtolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. quid aliud? Vnum ſcio, non eſſe aurum, neq; argentum, cum dicat ipſe: argentum & aurum non eſt mihi.*

Et pauló pôſt.

 Eſto

*Eſto ut alia quacunq; ratione hæc tibi uindices, tempora-lia ſcilicet, ſed non Apoſtolico iure.*

Et infra rurſus:

*Quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, ut dixit, ſu-per Eccleſias.*

Dubitari igitur non debet, Romano Præſuli, & ſocijs eius, diuina & humana omnia, ſacra atq; prophana vena-lia eſſe auro: ipſamq; Curiam Romanam aliud eſſe nihil, quàm impiam quandam tabernam negociationis, vt rectè quoq; is, quem modò diximus, Marſilius ait:

*Quid aliud eſt Romæ? quàm Simoniacorum un-diq; concurſus.*

Et paulò antè illa:

*Quoniam Simonia, quamuis pòſt factum expleatur, ampliſsima eſt, quod eadem poteſtate redditus, & pro-uentus beneficiorum omnium, & ubiq;, quo primum an-no uacantia fuerint, ſibi reſeruat, ſecundum hunc modum ſibi congregans omnes mundi theſauros, & eiſdem omnia Regna ſpolians, atq; prouincias. In quibus diſtribui debent miniſtris Euangelicis, & perſonis miſerabili-bus, aut in Reipublicæ, de qua ſumuntur, ſubſidium, ſi oportet, conuerti. Quoniam ad hoc ſtatuta, & ordinata fuerunt.*

Hæc cum ita ſint; facetè Abbas quidam, interroganti, Papa

Papa cuius ſit partis, auaritiam Pontificum notans, reſpondit, eſſe Participij partis: quòd partem capiat de Clero, partem de ſecularibus, cum totius orbis ſignificatione doloris, ſine modis & temporibus. Multis enim modis homines intelligentes indomitam hanc auri famem notarunt.

¶ Vt igitur ad id, quod propoſuimus, reuertamur: Satis demonſtratum exiſtimamus, Papatum non tantum criminis ambitus Simoniaci inſimulari, ſed totum, quantus quantus eſt, ea fœditate pollutum turpiſsimè, ut meritò bonis omnibus abominandus ſit. Simoniam autem vulgò dicimus à Simone mago, quam Latini ambitus crimen nominant, cum quis functiones Eccleſiaſticas, quæ mera DEI dona ſunt, pecunia nundinatur, vt Ioan. de Anania definit. [a] Vel: Simonia eſt ſtudioſa voluntas ſiue cupiditas, ſeu vitium emendi aut vēndendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum.

*a In Rubrica de Simonia n. 2.*

Quibus conſequens eſt, Status Auguſtanæ Confeſsionis, qui à Pontifice Romano diſcedunt, nullo teneri iure, vt cum Simoniacis iſtis quidquam commercij habeant aut communionis, nedum ut caput Simoniacorum atq; hæreſiarcham pro ſuperiore agnoſcant, aut ſe vlla ex parte ei ſubijciant. Nam & Canones ipſi & interpretes, eius, quo Pontificij vtuntur, iuris, omnes vno ore teſtantur crimen ambitus Simoniaci præ cæteris eſſe grauiſsimum ac ſummum ſcelus, quod etiam pro hæreſi nocentiſsima habendum ſit.

*Simoniaci enim ueluti primi & præcipui hæretici ab omnibus fidelibus ſunt reſpuendi: & omnia alia crimina reſpectu Simoniacæ hereſeos quaſi pro ni-*

*hilò reputantur, ait textus c. patet. I. Quæſt. VII.*

*Et Chriſtus Simoniacos de templo eiecit, & menſas numulariorum, et cathedras uendentium columbas euertit, dicẽs: Domus mea domus orationis uocabitur, uos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Si igitur exemplũ patientiæ Ieſus Chriſtus Simoniacos de templo eiecit, & eos latrones uocauit, et cathedras Simoniacorum euertit, quis eſt, qui in Eccleſia Dei audeat introducere tales? Si Chriſtus eorum euertit cathedras, quis eas erigere audeat? Si Chriſtus Simoniacum uocat latronem, quis eſt tam temerarius, qui talem latronem Simoniacum, qui cauendus eſt, audeat recipere, et præficere ut paſtorem, niſi qui ſe uult aſtruere Antichriſtum eius, quod Chriſtus fecit, & docuit facere. Verba ſunt aurea Guilielmi Durandi in tract. de modo Generalis Concilij celebrandi.*

Rub. 20. n. 5. & 6.

*Inſuper Simoniæ crimen eſt cæteris maius. Nam Simoniacus eſt idolorum ſeruus, quia auaritia, quæ in Simonia continetur, eſt idolorum ſeruitus. Non enim Simon magus emere uolebat ſpiritum ſanctum, ſed donum emere quærebat, ut lucrum faceret. Et quia ita eſt, quód cultor idolorum eſt hæreticus, ſequitur, quód Simoniaci, qui non niſi propter auaritiam pecunias quærunt, hæretici dicantur.*

c. ſaluator. 1. q. 3.

Act. 8.

*tur: Quod & Cardinalis Iacobatius in tract. de Conciliis de Papa Simoniaco ſcriptum reliquit.*

Hoc amplius: Crimen Simoniæ eò in ſe maius vitium habet & nocentius exiſtimandum eſt, quòd immanis hæc auaritia idolorum cultum in ſe contineat: Auaritia enim, ex qua Simonia exiſtit, idolorum ſeruitus eſt, vt Apoſtolus docet. Et in ſacris literis relatum eſt, Simonem magum, à quo crimen hoc nomen ſumpſit, impia mente, non ſpiritum Sanctum, ſed dona ſpiritus Sancti, vt ex illis quæſtum faceret, pecunia licitatum fuiſſe.

Cum autem idolorum cultor omnis rectè etiam pro hæretico habeatur. Conſequens eſt & Simoniacos omnes, vt qui ad quæſtum & lucrum omnia referunt, rectè hæreticos dici: Quæ etiam fuit ſententia Cardinalis Iacobatij [a] vbi de Pontifice hoc vitio laborante idem iudicandum docet.

[a] In tractatu de Concilijs.

Meritò igitur laudanda eſt Optimi Imp. LEONIS conſtitutio plena pietatis: cuius hæc ſunt verba: *Nemo gradũ ſacerdotij uenalitate precij mercetur. Quãtũ quiſque meretur, non quantũ dare ſufficit, æſtimetur. Profectò enim quis locus tutus, et quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi ueneranda Dei templa pecunijs expugnentur? quẽ murũ integritatis, aut uallũ fidei prouidebimus, ſi auri ſacra fames penetralia uenerãda perſerpat? Deniq; quid cautũ eſſe poterit, aut ſecurũ, ſi ſanctitas incorrupta corrũpatur? Ceſſet altarib. imminere profanus ardor auaritiæ, et à ſacris adytis repellatur piaculare flagitium, & quæ ſequuntur.*

Deniq;

Deniq́, Simoniaci criminis rei ſiunt, non tantum qui ſacra ac ſpiritualia mercantur, aut diuendunt, ſed illi etiam qui Pontifici Annatas & ſimilia vectigalia exoluunt. Etenim qui Annatas Romano Pontifici pendunt, in pœnam incurrunt, quæ aduerſus Simoniaci ambitus reos ſtatuta eſt, nec vllum ius in beneficium habent, quod hac ratione obtinuerunt. Id enim verbis decreti clarè eſt expreſſum.

Hæc cum ita ſe habeant omnia: rectiſsimè, quemadmodum ab initio propoſuimus, & iure optimo Status Auguſtanæ Confeſsionis à Pontificia autoritate, titulum Imperij in omnes ſibi arrogante, diſſentiunt atq́ diſcedunt: neq́ diuino aut humano iure ullo tenentur, ut ſeſe iſti conuentui, cuius & caput & membra coniuncta pleraq́ omnia Simoniaca hæreſi confecta ſunt, curtiſanis, præbendarum mercatoribus, Cynœdis, atheis vlla ex parte ſubmittant aut adiungant.

VIII. OCTAVO. Vt maximè hæc, quæ diximus, crimina fœdiſsima, ambitus, Simoniæ, expilationum ac ſacrilegarum nundinationum, taciti præterire vellent Status, & ſilentio tegere: vt ex Canoniſtis pleriq́ Gnathones Papiſtici faciunt, quos non pudet adſerere: Papam, etſi ſpiritualia omnia, omniaq́ ſacerdotia & beneficia promercàlia faceret, nihil tamen eo ipſo criminis admittere: Papam in Simoniacis non illaqueari, nec admittere Simoniam vendendo ſacra, vt Felinus [a] & alij pleriq́ue ab ipſo citati, voluerunt, nec non Cardinalis Iacobatius. [b] Horum, inquam, exemplo prauo, etſi notoria flagitia Pontificum, et exempla grauiſsimarum offenſionum, ſcandalo-

*Ratio recuſati Cõcilij, pertinẽs ad ipſos neruos controuerſiæ.*

a *In c. ex part. 1. De off. deleg.*

b *In tractatu de Concilijs lib. 4. cap. 4.*

ſcandalorum, & impietatis pleniſsima diſsimulare Status vellent, & minus grauiter cenſere, conſiderantes Eccleſiam in hac vita conſtare non tantum ex peccatoribus reſipiſcentibus ſeu agnoſcentibus lapſus ſuos, ſed miſceri ei, uelut in noſodochio aliquo, omnis generis morbidos, quorum pleriꝗ vlceribus etiam immundiſsimis laborent, hypocritas, epicureos, perſeuerantes in manifeſtis delictis &c. tamen alia, & prioribus longè grauiora impedimenta & cauſæ iuſtiſsimæ obſtant, quòminus Papale hoc Concilium pro Chriſtiano & libero Eccleſiæ Orthodoxæ iudicio agnoſcere aut approbare, & grauiſsimam de religiõne ac pia Eccleſiarum emendatione cauſam eius iudicio & cenſuræ ſubijcere queant.

Eſt enim in confeſſo, & negari nulla ratione poteſt, Põtifices & Monachos non tantum denſiſsimis & impijs tenebris inuoluiſſe religionem veram, ſed prorſus nouum doctrinæ genus inuexiſſe in Eccleſiam, plenum horribilium errorum, impietatis, & Idolatriæ, quodꝗ cum diuinis Prophetarum atꝗ Apoſtolorum ſcriptis manifeſtè & ex diametro pugnat, ad quod homines paſsim vi & fraude adegerunt & adhuc adigunt.

Etenim Pontificij ſcriptores & doctores, horribili audacia ſancta Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta eleuantes, eò impudentiæ progrediuntur, vt de Biblijs ſacris palàm auſint dicere, incerta ea eſſe & ambigua prorſus, præceptorem mutum, materiam litis, literam mortuam, literam quæ occidat, obſcuram, dubiam, cereum naſum, regulam Lesbiam, plumbeam, ſphingis ænigma, & quæ res controuerſas, ambiguas atꝗ dubias parum explicent, minimumꝗ neceſſaria ſint Eccleſiæ: Laicos etiam à lectione eorum

eorum & vſu in populari atq; vernacula lingua arcent. Cum contrà conſtat Nicænæ Synodi decreto grauiſsimo cautum, ne liceat cuiquam Chriſtiano eſſe ſine Biblijs ſacris: Chryſoſtomus etiam grauiter moneat populum, vt domi quoq; legant hiſtoriam Euangelicam, quò paratiores accedant ad audiendum Sacerdotem docentem pro concione in Eccleſia publicè: quemadmodum etiam Eraſmus [a] aduerſus annotata Beddæ teſtatur.

[a] In 9. Tomo fol. 378. in princ.

¶ Vtq; Iudæi cum iam reprobati eſſent diuinitus, relicta ea quæ per Prophetas et Patriarchas tradita ipſis fuerat doctrina, nouam excogitarunt, quam vulgò Thalmud nominarunt: Itemq; Turcæ, cum à doctrina in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum tradita diſceſsiſſent, Alcoranum, quem vocant, genuerunt: eodem modò & Papiſtæ, cum ſacra Biblia velut literam mortuam & ambiguam contumelioſè ſpreuiſſent, in locum eius traditiones humanas in Eccleſiam inuexerunt, quas fidei Chriſtianæ fundamentum certiſsimum, & normam iudicij de doctrina vocarunt: Cum tamen contrà certiſsimum ſit, quod & D. Hilarius in Enarratione Matthæi ſcripſit, *humanis traditionibus non eſſe locum in rebus diuinis. Propterea, quòd ſint hominum: non DEI plantatio: quodq; propter eas homines DEI traditiones negligere ſoleant & transgredi.*

Qua ex re infinita hactenus mala et incommoda in Eccleſia extiterunt, & damnum vix reparabile: Multi in doctrina errores grauiſsimi, ac dogmata falſa & manifeſtè impia: Cultus etiam Idolatrici & magicæ ſuperſtitionis pleni;

pleni: deniq; tyrannis grauiſsima & intollerabilis, quæ paulatim religionem omnem miſerrimè peſſundedit, orbis Chriſtiani damno irreparabili. Id quod hoc in loco, ita nos apertè & plenè demonſtraturos, DEO adiuuante, confidimus, ac planum facturos, vt quiuis intelligere poſsit, Status atq; Ordines qui ſunt Confeſsionis Auguſtanæ, non ſine grauiſsimis, neceſſarijs, atq; vrgentibus cauſis Tridentinum hoc & cætera Pontificum Concilia recuſare.

¶AC PRIMVM quidem, collatione facta vtriuſq; doctrinę, eius ſcilicet quæ in Eccleſijs noſtris ſonat, & Papiſticæ, errores Pontificiorum in præcipuis fidei Chriſtianæ articulis ob oculos ponemus lectori, ordine oſtendentes quomodo contra manifeſtam ſcripturam & patrum Eccleſiæ Orthodoxæ conſenſum noua & impia dogmata in Eccleſiam inuexerit Papatus: Poſt deinde de Idolatricis & magicis cultibus ac ſacris quibus Eccleſiam prophanarunt, explicantes: Ac tandem de tyrannide quam Clauium & Eccleſiaſticæ poteſtatis prætextu duriter in Eccleſiam Pontifices exercuerunt.

# ANTITHESIS VTRIVSQVE DOCTRINAE.

*Et primum.*

## DE INVOCATIONE.

SCRIPTVRA SANCTA PROPHETARVM & Apoſtolorum de inuocatione magno conſenſu docet, vnum & ſolum DEVM inuocandum eſſe, & adorandum: atq; ab hoc ſolo petendum et expectandum auxilium in neceſſitatibus omnibus. Hæc doctrina tradita eſt, cùm alijs, tùm his præcipuè locis.

*Teſtimonia ſcripturæ.*

*Deut. 6. & Matth. 4.*

Dominum DEVM tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies.

*Pſalm. 50.*

» Inuoca ME in die tribulationis, & eruam te,
» & glorificabis ME.

*Eſaiæ 63.*

» TV enim pater noſter, & Abraham neſciuit
» nos, & Iſrael ignorauit nos. TV DEVS pa-
» ter noſter, redemptor noſter, &c.

Rom.

Rom. 10.

Quomodo inuocabunt? in quem non crediderunt. Iam ſi prohibitum eſt credere in Sanctos, homines mortuos, certè nec licebit eos inuocare.

Apocal. 19

Angelus Ioannem procidentem ad pedes ipſius et adoraturum ſic alloquitur: Vide ne id feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum. Quod ſi Angeli nolunt ſe adorari, quomodo cultum hunc ſancti homines ſibi arrogare poterunt, aut delatum ſibi admittere vel approbare?

HIS CONGRVVNT ET PATRVM DE INVOCATIONE teſtimonia apertiſsima. Etſi enim fides Chriſtiana non nitatur humanæ autoritatis fundamento, & conſtet Patres pleroſq; ſæpenumero à ſeipſis diſſentire, & non raro contraria ponere: tamen quatenus cum verbo DEI conſentiunt & ſcripturæ Propheticæ atq; Apoſtolicæ conſentanea loquuntur, iure optimo teſtes veritatis diuinæ & doctrinæ veræ atq; antiquiſsimæ adhibentur.

*Teſtimonia Patrum de Inuocatione.*

*Ambroſ. in Epiſtolam ad Rom.*

Solent, inquit, miſera vti excuſatione, dicentes: Per iuſtos poſſe ire ad DEVM, ſicut per Comites peruenitur ad Regem. Age: Nunquid tam demens eſt aliquis, & ſalutis ſuæ immemor, vt honorificentiã Regis vendicet Comiti, cum hac de re, ſi qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei dam-

nentur Maieſtatis? Et iſti non putant reos, qui honorem nominis DEI deferunt creaturæ, & relicto Domino, conſeruos adorant, quaſi ſit aliquid plus, quod ſeruitur DEO. Nam & ideo ad Regem per Tribunos, & Comites itur, quia homo vtiq; rex, & neſcit, quibus debeat Rēpublicam credere. Ad DEVM autem, quem vtiq; nihil latet, omnium enim merita nouit, promerendum ſuffragare non eſt opus, ſed mente deuota. Vbicunq; enim talis locutus fuerit, nihil reſpondebit.

*Chryſoſtomus in Homilia de prouectu Euangelij ad dictum Apoſtoli: Siue occaſione prædicetur, &c.*

Cæterum, non eſt opus Patronis apud DEVM, neq; multo diſcurſu, vt blandiaris alijs. Sed licet ſolus ſis, Patronoq; careas, & per teipſum preceris, omnino tamen voti compos eris.

*Idem de Pœnitentia: Homilia 4.*

Hæc igitur ſcientes, ad DEVM ſemper confugiamus, & volentem & potentem noſtras moleſtias ſoluere. Atqui homines, ſi quando exorare oportet, & ianitoribus prius occurrere conuenit, paraſitisq́;, hiſtrionibusq́; ſuadere, & longam ſæpenumero viam abire. In DEO nihil eſt tale: Sine mediatore exorabilis eſt, ſine pecunia, ſine impenſa precibus annuit.

Et poſt

Et poſtea: Cum enim me volueris precari, ſolus accede, aſtante nemine, corde videlicet clama, neq; labia mouens, oſtium tuum claude.

*Auguſtinus in libro de uera religione.*

Non ſit nobis religio cultus hominum. Quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, vt tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſeruos. Honorandi ergò ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.

¶ Sunt alia huius doctrinæ teſtimonia innumera ſacrarum literarum & antiquitatis. Non enim aſpernamur conſenſum antiquitatis. Sed ex his paucis ſatis manifeſtum eſt, quæ ſit de hoc articulo Sanctæ ſcripturæ & Patrum ſententia.

PAPATVS ex aduerſo & Eccleſia Romana docet, inuocandos etiam eſſe Sanctos, homines mortuos, et ab illis petendum auxilium. Ita enim tradiderunt: *Pontificum doctrina de Inuocatione.*

*Petrus Lombardus lib. 4. Sentent. Diſt. 45.*

*Orandum ut intercedant pro nobis Sancti, hoc eſt, ut merita eorum nobis ſuffragentur.*

*Bonauentura eadem diſtinct. quæſt. 3.*

*Vtile eſſe inuocare Sanctos, ualdè prolixè diſputat.*

*Caſpar Satzgerus, fratrum minorum per Germaniam prouincialis, de Sanctorum inuocatione indagine 8.*

*Sanctos cum Chriſto regnantes, in patria licitè et meritoriè poſſe à nobis in uia conſiſtentibus implorari ad duo beneficia in communi nobis impendenda, tum ut pro nobis apud Deum intercedant, tum ut nobis ſiue uiſibiliter, ſiue inuiſibiliter adiutorium impendant.*

*Pſalterium Diuæ uirginis Mariæ, ante annos 86. per Ioannem de Hallis Venetijs impreſſum, ubi à Diua uirgine petuntur beneficia, quæ Rex Dauid à DEO petijt:*

*In te DOMINA ſperaui, non confundar in æternum. In gratia tua ſuſcipe me, inclina ad me aurem tuam, & in mœrore meo lætifica me. Tu es fortitudo mea, & protectio mea, ad te clamaui cum tribularetur cor meum, & exaudiſti me de uertice collium æternorum. In manus tuas DOMINA commendo ſpiritum meum, totam uitam meam, & ultimum diem meum.*

## DE STATIBVS ET IMAginibus.

EADEM RATIONE, SCRIPTVRA SANCTA uetat ullã imaginẽ rerum, quę uel in cœlo, uel in terra, uel etiam infra terram ſint, ſiue ea picta ſit

ſit, ſiue ſculpta, ſiue ficta, adorandam eſſe, aut preces ad eam fundendas.

*Exodi 20.*

Non facias tibi ſculptile, aut vllam ſimilitudinem rerum quæ vel in cœlo deſuper, vel in terra deorſum ſunt, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra: Non adorabis ea, neq; coles. *Teſtimonia Scripturæ.*

*Leuitici 19.*

Non facietis vobis Idola, nec ſculptile. EGO Dominus Deus veſter.

4. *Regum* 18.

Rex Ezechias confregit Serpentem æneum, quem fecerat Moſes in deſerto: ſiquidem filij Iſraël adolebant ei incenſum.

1. *Corinth.* 10

Fugite cultum Idolorum.

1. *Ioannis* 5.

Cuſtodite vos à ſimulachris.

¶ Idem & PATRVM teſtimonijs in Eccleſia traditum fuit. *Teſtimonia Patrum.*

*Ambroſius de obitu Theodoſij.*

Inuenit ergo Helena titulum, Regem adorauit, non lignum: Vtiq; quia hic gentilis error eſt, & vanitas impiorum: Sed adorauit illum qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo, &c.

*Auguſtinus lib.1.* DE *moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap.34.*

Noui multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores, idq́ꝫ deputant religioni, &c. Sed Eccleſia ipſa condemnat hos mores, & tanquam malos filios corrigere ſtudet.

*Idem de hæreſibus Ad quod uult deus.*

Sectæ ipſius (ſcilicet Carpocratis) fuiſſe traditur ſocia quædam Marcellina, quæ colebat imagines Ieſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſumq́ꝫ ponendo.

*Pontificia doctrina de imaginibus ſanctorum.*

RVrſus, ex aduerſo PAPISTAE docent, quod etiam notiſſima conſuetudine obſeruatum eſt ubiq́ꝫ, ut imagines Dei & Sanctorum demortuorum, Crucis etiam ex luto, ligno, aut ſaxis, argentoúe & auro fictæ adorentur, & coràm ipſis ſe prouoluerent homines adorabundi: peregrinationes etiam religionis ergò ad illas ſtatuas fierent ex locis remotiſſimis, & uota perſoluerentur ſolenniter: Ac præ cæteris in Germania noſtra celebris fuit Ratiſbonenſis ſtatua, & Aquenſis Mariæ, & multæ aliæ: Hanc impietatem confirmarunt præ cæteris hi Scriptores.

*Thomas parte 3. q. 25. artic. 3.*

*Omnis imago eſt ueneranda, ſicut illud, cuius eſt imago. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt, quòd etiam eius imago ſit adoranda adoratione latriæ, id eſt, diuini cultus.*

*Bonauentura ſuper Sentent. lib. 3. D. 9. q. 2.*

*Quoniam ergò imago Chriſti introducta eſt ad repreſentandum eum, qui pro nobis crucifixus eſt, nec offert ſe nobis pro ſe, ſed pro illo: Ideo omnis reuerentia, quæ ei offertur, offertur Chriſto, & propterea imagini Chriſti debet cultus latriæ exhiberi: Vnde ſunt hi Verſus.*

*Effigiem Chriſti dum tranſis ſemper adora:*
*Non tamen effigiem, ſed quod deſignat, honora.*

*Extat et Sententiariorum concluſio: Imagines rerum adorandarum, eadem adoratione eſſe adorandas, qua res ipſæ.*

*Et in Pontificali, conſecratur ſignum crucis tali precatione: Oramus te Domine ſancte pater, Omnipotens, ſempiterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis tuæ, ut ſit remedium ſalutare generi humano: ſit ſoliditas fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum: ſit ſolamen, et protectio, ac tutela contra ſæua iacula inimicorum: Per Dominum noſtrum. &c.*

# DE MEDIATORE SEV INtercesſore generis humani apud DEVM.

SACRAE LITERAE, VNVM NOBIS PROPOnunt Mediatorem inter Deum & genus humanum, filium Dei dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, verum Deum et hominem: quodq́ per eius merita ſolius conſequamur gratiam apud æternum patrem, condonationem peccatorum noſtrorum, & uitam æternam.

*1. Timoth. 2.*

„ Vnus DEVS, vnus etiam conciliator DEI
„ & hominum, homo CHRISTVS IESVS,
„ qui dedit ſemetipſum precium redemptionis pro
„ omnibus.

*Ioannis 14.*

„ Nemo venit ad Patrem, niſi per ME.

*1. Ioannis 2.*

„ Si quis peccauerit, aduocatum apud Patrem ha-
„ bemus, IESVM CHRISTVM, iuſtum,
„ qui ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris.

¶ Idem docent & PATRES, vt

*Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 42.*

*Patrum teſtimonia.* Quem inuenirem, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? Multi conantes, & digni

digni habiti ſunt illuſionibus. Mediator autem inter DEVM, & homines, oportebat, vt aliquid haberet ſimile DEO, aliquid ſimile hominibus: ne in vtroque ſimilis hominib. longè eſſet à DEO, aut in vtroque ſimilis DEO, longè eſſet ab hominibus, atque ita Mediator non eſſet.

*Et iterum in Ioannem 84.*

Etſi fratres pro fratribus morimur, nullius tamen ſanguis, nullius Martyris in fraternorum peccatorum remiſsionem funditur, quod fecit Chriſtus pro nobis. Neque in hoc quod imitaremur, ſed quod gratulemur, contulit nobis.

*Rurſus in libro 4. ad Bonifacium cap. 4.*

Sicut ſolus filius DEI factus eſt filius hominis, vt nos ſecum filios DEI faceret: ita pro nobis ſolus ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, vt nos per ipſum ſine bonis meritis conſequeremur indebitam gratiam.

*Leo in Epiſtola 81. ad Palæſtinos.*

Quamuis multorum Sanctorum in conſpectu Domini precioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propiciatio fuit mundi. Acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona iuſtitiæ. Singulares quippe eorum mortes fuêre, nec alteri-

G v usquiſ-

us quiſpiam debitum ſuo fine perſoluit, cum vnus extiterit Dominus Chriſtus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, ſepulti, ſuſcitati. Eandem ſententiam repetijt in Epiſtola 95.

*Ambroſius de Iſaac: & anima.*

Ipſe Chriſtus os noſtrum eſt, per quod patri loquimur: oculus noſter, per quem Patrem videmus: dextra noſtra, per quam nos Patri offerimus: quo niſi intercedente, nec nobis, nec ſanctis omnibus quicquam cum DEO eſt.

*Papiſtica doctrina de pluribus mediatoribus.*

PAPISTAE contrà docent, etiam Sanctos mortuos intercedere pro nobis apud æternum patrem: quodque iſtorum meritis, interceſſione, ſuffragijs apud Deum conſequamur ueniam delictorum. Vnde et Sanctos nominant mediatores noſtros per interceſſionem.

*Petrus Lombardus lib. 4. Sent. D. 45.*

*Intercedunt ergò ad Deũ pro nobis ſancti, & MERITO, dum illorum merita ſuffragantur nobis, & AFFECTV, dum uota noſtra cupiũt impleri. Oramus igitur, ut intercedant pro nobis, id eſt, ut merita eorum nobis ſuffragentur, & ut ipſi uelint bonum noſtrum, quia eis uolentibus Deus uult, & facit.*

Bonauen-

*Bonauentura D. ead. Art. 2.*

*Dicendum, quòd ſanctorum orationes multa nobis bona impetrant. Sicut dicit Magiſter, merito & affectu: Merito quidem præcedenti, quo Deo facilimè ſeruierũt, & tamen locum meritis ſuis ſunt adepti, ut non ſolum ſibi beatitudinem, & gloriam meruerunt, ſed etiam alijs ſuffragari. Multa enim ſupererogauerunt affectu, quia amici Dei ſunt facti: Et amicitia eſt idem uelle & nolle. Et cum aliquem amant Sancti, compellunt, ut ſic dicam, Deum diligere.*

His addendus etiam eſt HORTVLVS ANIMAE, cuius publicus fuit uſus in Papatu, & in quo ſolennis precandi forma eſt, ut per merita & interceſsionem Sanctorum liberemur ab omnibus periculis, morte & gehenna.

## DE MERITO ET SATISfactione filij Dei, & noſtris Operibus bonis.

ITEM DOCENT SACRAE LITERAE MAGNO conſenſu, quòd ſola paſſio & mors filij Dei, domini noſtri Ieſu Chriſti, pro peccatis noſtris ſatisfecerit æterno Patri: & quòd exigantur à nobis bona opera ſecundum præcepta Decalogi, non ut his peccata aboleamus coràm Deo, ſed ut fidem noſtram & debitam Deo obedientiam his teſtificemur.

Eſaiæ

*Eſaiæ 43.*

„ Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tu-
„ as propter me, et peccatorum tuorum non recorda-
„ bor.

*Rom. 3*

„ Omnes peccauerunt & egent gloria DEI: Iu-
„ ſtificantur autem gratis per gratiam eius, per redem-
„ ptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit
„ DEVS propitiatorem per fidem in ſanguine
„ eius.

*Rom. 4.*

„ Ei verò qui non operatur, credenti autem in
„ eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad
„ iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ DEI.

*Epheſ. 2.*

„ Gratia eſtis ſeruati, per fidem, & hoc non ex vo-
„ bis: DEI donum eſt, non ex operibus, ne quis
„ glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chri-
„ ſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit DE-
„ VS, vt in eis ambularemus.

*Ad Tit. 3.*

„ Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed
„ ſecundum SVAM miſericordiam ſaluos nos
„ fecit.

*1. Ioan. 1.*

„ Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni pec-
„ cato.

Cum

¶ Cum hac doctrina conſentiunt & PATRES, vt *Patrum teſtimonia.*

*Auguſtinus de tempore. Sermone 114.*

Indubitanter credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quàm totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas inſignis precij ſupergreſſa eſt. Inter redemptum, & redimentem diſpenſatio fuit, compenſatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata propria, dignè deleuit aliena. SOLVS hic pia victima pro omnibus cecidit, vt omnes leuaret. Et quia debitum ſolus non habuit, rectè fœnus miſericordiæ pro debitoribus erogauit.

*Bernardus ſuper cantica. Serm. 61.*

Et reuera, vbi tuta firmaq́ infirmis ſecuritas, & requies? niſi in VVLNERIBVS Saluatoris. Tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſaluandum: Fremit mundus, premit corpus, Diabolus inſidiatur, non cado. Fundatus enim ſum ſupra firmam petram. Peccaui, peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerũ Domini recordabor, nempe, vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſaluetur? Si ergò in mentem venerit tam potens, tamq́ efficax medicamentum, nulla iam poſſum morbi malignitate terreri.

PAPI-

PAPISTICI contrà: bona opera, quæ non tantum ſecundum legem Dei facimus, ſed quauis etiam intentione bona, item caſtigationes, quas ultrò nobis eligimus, ſatisfacere pro peccatis noſtris, et eſſe meritum omnis gratiæ diuinæ.

*Antoninus parte 3. tit. 14. cap. 20.*

*Satisfactio curat peccata præterita recompenſando, & præſeruat à futuris cauendo.*

*Bonauentura: Sent. lib. 4. Diſt. 15.*

*Sed quia miſericordia non poteſt præiudicare iuſticiæ, cuius eſt mala punire: ideò ſic ſoluit à culpa, & pœna, ut nō maneat obligatus ad pœnam temporalem. Sed quoniam peccator ipſum offenderat, et Eccleſiam ipſam damnificauerat, commiſit Dominus iudiciariam poteſtatem ſuper peccatores, rectoribus Eccleſiæ, & in eos compromiſit tanquam in arbitros, ut ſic innoteſcat uoluntas Dei pœnitentibus per ſacerdotes, & per illos imponatur pœna peccatoribus, & Domino ſatisfaciat principaliter, & Eccleſiæ per conſequens. Vnde Satisſactio propriè de peccato fit ipſi Deo, tamen per Eccleſiam, & in Eccleſia.*

*Bernardinus Roſetus. Sermo. 20.*

*Probandum ſuſcipit nos operibus poſſe uitam æternā promereri.*

promereri. *Et addit: Ergò debemus præſumere, et pro certo tenere, quòd poſt hanc uitam ſine dubio habebimus æternam, pro remuneratione bonorum operum.*

In compendio Theologico de gratia Sanctific.

*Opera bona ſunt meritoria trium, ſcilicet, uitæ æternæ, augmenti gratiæ, remiſsionis pœnæ.*

Petrus Sotus in Aſſertione Catholica, de bonis operibus.

*Sentiendum eſt, inquit, iuxta Eccleſiæ Catholicæ ſenſum, bonis operibus, quæ ex diuina gratia fiunt, ita eſſe fidendum, ut ad expianda peccata, iram Dei placandam, & uitam æternam conſequendam, neceſſaria ſint, &c.*

## DE SACRAMENTO Cœnæ Domini.

IAM DE COENA DOMINI PERSPICVIS Scripturæ ſanctæ teſtimonijs conſtat primum: Eam inſtitutam eſſe à Chriſto ipſo, non vt vi conſecrationis ſeu recitationis verbi Diuini fiat transſubſtantiatio Panis & Vini, ſed vt vnà cum his elementis verũ Corpus & verus Sanguis Domini verè, ſubſtantialiter;

ſtantialiter, & præſens detur ac diſtribuatur: Deinde quod ſumptio hæc, quemadmodum dignè hoc eſt cum fide ſumentibus, ad confirmandam fidem ipſorum, ad conſolationem & ſalutem piorum cedet: Ita indignis, & ſine fide accedentibus, iudicium & damnationem operetur: Neq; ideo inſtitutum eſſe Sacramentum hoc, vt ſit oblatio vel ſacrificium, quod nos offeramus Deo, ac multò minus vt pro ſpectaculo adoratione impia circumgeſtetur aut reponatur: Sed vt ſit communicatio Corporis & Sanguinis Domini cum Pane & Vino, quorum ſumptio ac diſtributio fiat cum recordatione mortis & reſurrectionis Chriſti, & omnium beneficiorum eius, quibus afflictæ conſcientiæ erigantur ac conſolationem inueniant.

¶ Hæc primum ipſa verba inſtitutionis et ritus clarè docent Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. quibus locis nominatim & expreſsè traditur: Dominum accepto Pane & Vino, cum illis diſtribuiſſe verum Corpus ſuum & Sanguinem. Neq; vlla ibi legitur ſyllaba de oblatione Papiſtica, quæ fiat pro viuis & mortuis: Sed ſumptio inſtituitur, & ita inſtituitur, vt fiat cum recordatione paſsionis & mortis Domini, qua fides noſtra confirmetur.

*Hebræos 7.*

„ Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex Sanctus, „ innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, „ & excelſior Cœlis factus, qui non habet neceſsitatem „ QVOTIDIE, quemadmodum Sacerdotes „ prius, pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde „ pro populi. Hoc enim fecit ſemel, cum ſemetipſum „ obtulit.

*Hebr. 9.*

Non in manufacta ſancta ingreſſus eſt Chriſtus, „
exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum. Vt ap„pareat nunc in conſpectu Dei pro nobis, Neq; vt „
SAEPIVS offerat ſemetipſum (quemadmodū „
Pontifex ingreditur in ſancta ſingulis annis, per „
ſanguinem alienum) alioqui oportuiſſet illum ſæ„pius paſſum fuiſſe à condito mundo. Nunc autem „
SEMEL ſub conſummationem ſeculorum, ad „
profligationem peccati, per immolationem ſui ipſi„us apparuit. „

*Et mox deinde:*

Chriſtus SEMEL oblatus eſt, vt peccata „
multorum tolleret. „

*Hebræos 10.*

Omnis quidem ſacerdos aſsiſtit quotidiè ſacra
peragens, & eaſdem ſæpius offerens hoſtias, quæ „
nunquam poſsint peccata auferre. Hic vera VNA „
pro peccatis oblata victima, perpetuò ſedet ad de„xtram Dei. „

*Et mox:*

VNICA oblatione perfectos effecit in perpe„tuum eos, qui ſanctificantur. „

*Ac iterum:*

Vbi peccatorum eſt remiſsio, ibi non eſt ampli„us oblatio pro peccatis. „

 Idem

*Teſtimonia Patrum.*

¶ Idem docent & PATRVM ſcripta:

*Gelaſius in libro de duabus naturis in Chriſto, aduerſus Eutychen & Neſtorium.*

Sacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti, diuina res ſunt. propter quod & per eadem diuinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia uel natura panis & vini. Et certè imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti, in actione miſteriorum celebrantur. Satis ergò nobis euidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendum, quod in eius imagine profitetur, celebramus & ſumus: vt ſicut in hanc, ſcilicet in diuinam tranſeant, Sancto ſpiritu perficiente, ſubſtantiam, permanente tamen in ſuæ proprietate naturæ, ſic illud ipſum miſterium principale, cuius nobis efficientiam virtutemq́ue veraciter repreſentant, ex quibus conſtat propriè permanentibus, vnum Chriſtum, quia integrum, verumq́ue permanere demonſtrant.

*Chryſoſtomus in Ioannem. Homilia 45.*

Non ſe tantum videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri.

*Et paulò pòſt:*

Veſter ego frater eſſe volui, & communicaui carnem

carnem propter vos, & ſanguinem, per quæ vobis coniunctus ſum, ea rurſus vobis exhibui.

*Idem in Homilia de proditione Iudæ.*

O Chriſti miſericordia, ô Iudæ dementia. Ille triginta denarijs paciſcebatur, vt eum venderet: & Chriſtus ei ſanguinem, quem vendidit, offerebat, vt haberet remiſsionem peccatorum, ſi tamen impius exiſtere noluiſſet. Nam affuit Iudas, & illius ſacrificij communicationem meruit, &c.

*Auguſtinus in Expoſitione in Euangelium Ioannis. Tractatu 27.*

Hoc ergò totum ad hoc nobis valeat dilectiſsimi, vt carnem Chriſti & ſanguinem Chriſti non edamus tantum Sacramento, quod & multi mali, ſed vſq; ad ſpiritus participationem manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus, vt eius ſpiritu vegetemur, & non ſcandalizemur, etiamſi multi modò nobiſcum manducant et bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.

¶ Quòd autem attinet ad oblationem illam, qua Sacrificuli Papiſtici dicunt ſe in miſſa ſacrificare uel offerre filium Dei pro uiuis & mortuis, conſtat etiam TOLETANO CONCILIO ordinatum ac decretum, ne quid præter Pſalmos & pſallentium uoces pias de reſurrectione

mortuorum in ſepultura funerum adhibeatur: Verba decreti hæc ſunt Concilio Toletano III.

Qui diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum Pſalmis tantummodò & pſallentium vocibus debent ad ſepulturam deferri. Sufficiat autem, quod, in ſpe reſurrectionis, Chriſtianorum corporibus famulatus diuinorum impenditur canticorum, etc. Ecce hic tantum Pſalmi et cantiones de reſurrectione cani iubentur, cum exuuię piorum efferuntur, non miſſæ ad expianda eorum peccata demurmurari.

AT PAPISTICI Monachi & Sacrificuli contra huius Sacramenti pium vſum multiplices prophanationes in Eccleſiam inuexerunt, docentes, quòd in miſſa, cum recitantur uerba inſtitutionis, fiat tranſſubſtantiatio panis & uini hoc modo, ut tantum maneat externa ſpecies ſymbolorum panis & vini, etiam non accedente ſumptione vlla: transformantes etiam cœnam in opus toto genere diuerſum ab eo fine, qui à Chriſto propoſitus fuerat, cum dicunt ſe offerre filium Dei pro uiuis et mortuis, ac mereri eis remiſſionem peccatorum. Item pro ſpectaculo panem extra uerum uſum circumgeſtantes adorandū, ac in repoſitorio ſeu theca reponentes. Et quæ ſunt ſimiles prophanationes.

Hæc notoria ſunt, & adeò manifeſta publicè, ut minimè neceſſarium uideatur in eo probando quidquam elaborare: Superuacaneis enim, ut Anacletus Papa dixit, impendijs laborat:

diis laborat, qui Solem facibus certat adiuuare. Qui uolent, & quibus ea, quæ dicimus, ulla in parte dubia ſunt, legant Enchiridion Eccij, in loco communi, de tranſſubſtantiatione, qui eſt 36. Et Ioannis Gropperi uolumen de cœna domini: articulo principali 2: De tranſſubſtantiatione, & aſſeruatione c. 1. 2. 8. Et in tertio articulo principali: De adoratione c. 1. 2. et multis ſequentibus. Item Guilielmum Lindanum lib. 4. Panopliæ Euangelicæ, c. 24. Quibus locis hæc diſputatio prolixè tractata eſt.

## DE PECCATO ORIginis.

AFFIRMAT SCRIPTVRA, OMNES HOMInes naturali modo pòſt lapſum primorum parentum, Adæ et Euæ propagatos, concipi ac naſci in peccato originis, quod ſic uocant ſancti patres, cuius quidem peccati fundamentum ſeu reatus tollatur per Baptiſmum, condonatione facta propter Chriſtũ, actu autem manet ipſum materiale, & effectus huius mali, adhærens homini donec in hac uita manet; adeò ut hæc prauitas nobiſcum naſcens, ſpiritui ſancto, quo renati donantur, uſq; et aſſiduè aduerſetur, & omnia bona opera cõtaminet, ne in ea perfectione et integritate perſiſtant, quam lex Dei requirit: Vt etiam Sancti aſſiduè ingemiſcere cogantur ſuper hoc malo ꝙ hæret in natura humana, & clamitent: Domine, ne intres in iudicium cum ſeruo tuo. Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? Item, Remitte nobis debita noſtra.

*Rom. 7.*

" Scio quod non habitat in me, hoc eſt, in carne
" mea, bonum.

*Et iterum.*

" Non, quod volo bonum, hoc ago: Sed, quod
" odi, malum illud facio.

*Et ibidem.*

" Velle quidem adiacet mihi, perficere autem bo-
" num non inuenio.

*Rom. 8.*

" Affectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum.
" Nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem nec poteſt
" quidem

*Galat. 5.*

" Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus
" autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem
" aduerſantur, vt non, quæcunque volueritis, eadem
" faciatis.

*Teſtimonia Patrũ de peccato originis.*

¶ His addantur & PATRVM teſtimonia.

*Auguſtinus lib. 1. DE nupt. & concupiſc. cap. 25.*

Dimitti concupiſcentiam carnis in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Quamuis autem reato ſuo iam ſoluto, manet tamẽ donec ſanetur omnis infirmitas.

Idem

*Idem lib. 4. contra Iulia. Pelagianum.*

Sicut cæcitas cordis, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur, & cauſa peccati, cum aliquid cæci cordis errore committitur. Ita concupiſcentia carnis, aduerſus quã bonus cõcupiſcit ſpiritus, & peccatũ eſt, quia illi ineſt inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati, quæ reddita eſt meritis inobedientiæ, & cauſa peccati defectione conſentientis vel contagione naſcentis

*Idem in enarratione Pſal. 140.*

Condelector enim lege Dei ſecundum interiorem hominẽ. Ecce iuſtus. An non eſt iuſtus qui cõdelectatur legi Dei? Vnde ergò peccator? Video aliam legem in membris repugnantem legi Dei, & captiuantem ne ſub legem peccati quæ eſt in membris meis, &c.

PAPISTAE contrà docent: Peccatum originis in Baptiſmo ita tolli & aboleri, ut homo in hac uita Deũ ex toto corde amare poſſit, & non tantum legi diuinæ ſatisfacere, ſed etiam plura & meliora opera, quàm quæ in Decalogo præcepta ſunt, præſtare poſſit, quæ Supererogationis opera uocant. *Error Papiſtarũ de peccato originis.*

*Petrus à Soto in aſſertione ſua de lege.*

*Credit Catholica Eccleſia, quòd lex naturæ à Deo*

*ipſi naturæ congenita ſit in omnibus, et à Moſe deinceps explicata et ſcripta, et Decalogo aptiſsimè collecta, breuiusq́ue ab ipſo Saluatore, duobus mandatis dilectionis. Quodq́; hæc lex ad ſui obſeruantiam omnes aſtringat, & obſeruatores ſuos coràm Deo iuſtos reddat, ſaluteq́; æterna dignos, quæ per gratiam Dei, quam per Chriſtum habemus, impletur, ea integritate, quam exigit ab hominibus in hac uita.*

Et mox deinde.

*Quod ad rerum externarum uſum attinet, habet uera fides iuxta Propheticam, & Apoſtolicam doctrinam, quædam iuberi, et prohiberi præceptis, quibus non obedire, peccatũ eſt: Quædam uerò proponi ſub conſilio, cui non parere nullum eſt peccatum, ſed minus bonum. Obedientia uerò illorum gratior, per quam uidelicet SVPEREROGAMVS nonnihil his, ad quæ ex neceſsitate tenemur.*

Et iterum.

*Paulus apertè dicit, ſe iuſticiam legis impleſſe.*

Ac mox.

*Et ſe ſupererogaſſe quædam ultra ea, quæ neceſſariò impoſita erant.*

DE

# DE LIBERO ARbitrio.

EODEM MODO SACRIS LITERIS TRADItum eſt, arbitrium uoluntatis humanæ poſt lapſum & uires naturales hominis adeò eſſe uitiatas ac debilitatas peccato, ut nec Deum uerè agnoſcere, nec ad gratiam eius peruenire aut conuerti ſuis uiribus, ſine Deo ullo modo poſſit homo; Sed ſolius miſericordiæ diuinæ hoc opus ſit: qua, ſine omni uirium humanarum prærogatiua aut meritis præcedentibus, recipimur in gratiam à Deo, per & propter filium Ieſum Chriſtum, regenerati per ſpiritũ ſanctum. Id his locis traditur:

*Ioannis 14.*

Sine me nihil poteſtis facere.

*Teſtimonia Scripturæ.*

*2. Corinth. 3.*

Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis: Sed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.

*Epheſ. 2.*

Cum eſſetis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulaſtis, iuxta ſeculum mundi huius.

*Et iterum ibidem.*

Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri.

*Patrum teſtimonia.*

¶ Hæc eiſdem uerbis tradunt & PATRES.

*Auguſtinus.* De nouo *cantico cap.* 8.

Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi: ad bonum non, niſi adiuuetur à DEO &c.

*Idem lib.* 3. *Hypognoſt.*

Liberum arbitrium comparatur iumento, gratia autem ſeſſori.

*Et idem in lib.* De *peccatorum meritis & remiß. lib.* 2. *cap.* 18.

Laborant homines inuenire in noſtra voluntate, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex DEO, Et quomodo inueniri poſsit, ignoro.

*Ambroſius in* Epiſt. *ad* Rom. *cap.* 4.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requiſita pœnitentiæ opera, niſi tantum vt credant, &c.

*Idem de uocatione gentium.*

Vileſceret redemptio ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ DEI humanorum operum prærogatiua ſuccumberet, ſi iuſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus

nus largientis, ſed merces eſſet operantis.

*Et Diuus Bernhardus ſuper Cantica. Serm 17.*

Non eſt quò gratia intret, vbi iam meritum occupauit. Deeſt gratiæ, quidquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat.

*Item Auguſtin. de prædeſtinat. ſcribit.*

Humana merita hic conticeſcant, quæ perierunt per Adam: Et regnet, quæ regnat gratia per Ieſum Chriſtum.

PAPISTARVM & Monachorum doctores contrà, tantum tribuunt uiribus humanis & libero arbitrio, ut tradant hominem uiribus liberi arbitrij poſſe conuerti ad Deum, & promereri gratiam diuinam ex congruo, Sic enim loquuntur.

*Antoninus part. 4. tit. 9. cap. 7. §. 1.*

*In gratia conſtitutus meretur per opera ſua uitam æternam ex condigno ex parte gratiæ, ex congruo ex parte liberi arbitrij.*

*Gabriel lib. 3. d. 30. Concluſ. 5.*

*Ex illo ſequitur, licet Chriſti paſsio ſit principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni, & gloria, nunquam tamen eſt ſola, & totalis cauſa meritoria. Patet: Quia ſemper merito Chriſti concurrit aliqua*

operatio,

*operatio, tanquam meritũ de congruo, uel condigno, reci-pientis gratiam, uel gloriam, ſi fuerit adultus, rationis uſum habens, aut alterius pro eo, ſi caret rationis uſu.*

*Antoninus iterum parte 1. Tit. 11. cap. 3.*

*Homo poteſt inclinare aurem ſuam in uerba legis. In-clinare autem aurem, eſt implere integritaliter, obedire intentionaliter, & agere conſtantionaliter. Integritaliter implere, eſt totam legem facere. Intentionaliter obedire, eſt ſecundum intentionem legiſlatoris, & non ſecundum uerba legem facere. Conſtantionaliter eſt, propter timo-rem pœnarum non declinare.*

## DE IVSTIFICA-tione.

SACRA PROPHETARVM ET APOSTOLO-rum ſcripta magno conſenſu docent, hominẽ iuſtificari corãm Deo ſola fide, credentẽ quod propter ſolius CHRISTI meritum recipi-atur à Deo: Atq; ita meritum filij Dei gratis donari, & ex mera gratia diuina, qua homo in iudicio Dei ſola nitatur, & conſolationem accipiat.

*Ioannis 3.*

23 Sic DEVS dilexit mundum, vt filium ſuum

vnigeni-

vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non ,,
pereat, ſed habeat vitam æternam. ,,

*Rom. 3.*

Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iuſtifi- ,,
cati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, ,,
quæ eſt in CHRISTO IESV, quem propo- ,,
ſuit DEVS propiciatorem per fidem in ſangui- ,,
ne ipſius. ,,

*Rom. 4.*

Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum ,,
qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſti- ,,
tiam. ,,

*Galat. 3.*

Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, vt pro- ,,
miſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. ,,

¶ Cum his Scripturę teſtimonijs euidentiſſimis conſentiunt & PATRVM teſtimonia. *Teſtimonia Patrum.*

*Auguſtinus de natura, & gratia. cap. 44.*

Ita ego, etiam ſi fuiſſe, vel eſſe conſentiam (aliquos ſine peccato) nullo modo tamen potuiſſe, vel poſſe confirmo, niſi iuſtificatos gratia Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & hunc crucifixum. Ea quippe fides iuſtos ſanauit antiquos, quæ ſanat & nos, & Mediatoris Dei, et hominum, hominis IESV Chriſti fides ſanguinis eius, fides

crucis

crucis eius, fides mortis, & reſurrectionis eius.

*Idem in Pſalmo 70. parte 1.*

In tua iuſtitia erue me.) Non in mea, ſed in TVA. Si enim in mea, ero ex illis, de quibus ille ait: Ignorantes Dei iuſtitiam, et ſuam volentes, &c. Ergo in iuſtitia tua, & non in mea. Quia mea quid eſt? præceſsit iniquitas. Et cum ero iuſtus, in tua iuſtitia erit, quia iuſtitia abs te data erit, iuſtus ero: & ſic erit mea, vt tua ſit, hoc eſt, abs te mihi data. In eum enim credo, qui iuſtificat impium, vt deputetur fides mea ad iuſtitiam.

*Ambroſius.*

Hoc conſtitutum eſt à Deo, vt qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit, ſine opere, ſola fide, Gratis accipiens remiſsionem peccatorum.

*Et Diuus Auguſtinus Pſalmo 139. præclarè ſcripſit.*

Meritis ſuis nihil tribuunt ſancti, totum non niſi miſericordiæ tuæ tribuent, ô Deus.

*Et in Pſalmo 88. ait:*

Quum viderit homo, quicquid boni habet, non ſe habere à ſe, ſed à Deo ſuo, videt id totum, quod in eo laudatur, non de ſuis meritis, ſed de miſericordia Dei eſſe.

Item

*Item in Pſalmo 31. & 70.*

Si gratia eſt, gratis datur. Quid eſt gratis datur? Gratis conſtat: Nihil boni feciſti, & datur tibi remiſſio peccatorũ. Attenduntur opera tua, et inueniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus Dominus redderet, vtiq; damnaret. Stipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur, niſi damnatio? Bonis quid debetur? regnum cœlorum. Tu autem in malis operibus inuentus es. Si reddatur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergò fit? Non Deus tibi reddit debitam pœnam, ſed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam, dat indulgentiam. Si vis eſſe alienus à gratia, iacta merita tua.

*Et in Epiſt. 52.*

Nihil es per te, peccata ſunt tua: merita autem Dei. Supplicium tibi debetur, & cum præmium venerit, ſua dona coronabit, non merita tua.

ADuerſus hæc PAPISTICI docent, Iuſtificationem conſiſtere in bonis operibus, ut qui coràm Deo conſequi uelit iuſticiam, hunc oporteat tot ac tanta merita bonorum operum adferre, ut his niti & fidere tutò queat. Ita inter cæteros Petrus à Soto in aſſertione fidei Catholicæ, de bonis operibus. *Papiſtarum doctrina de Iuſtificatione.*

Sciendum

*Sciendum, iuxta Eccleſiæ Catholicæ ſenſum, bonis operibus, quæ ex diuina gratia fiunt, ita fidendum eſſe, ut & ad expianda peccata, iram Dei placandam, & uitam æternam conſequendam, neceſſaria ſint & utilia: Nec propterea nobis, ſed diuinæ gratiæ per Chriſtum fidimus &c.*

Vide autem uertiginem Sophiſticam: Apertè dixit Aſotus, fidendum eſſe bonis operibus. Et tamen mox ſubijcit: non eſſe nobis fidendum.

Non coaceruabimus hoc loco plura ex aduerſariorum libris teſtimonia, in re quæ per ſe eſt notiſſima. Longius enim Iliade naſceretur opus, ſingula ſi perſequi uellemus. Pergamus igitur ad ſequentia.

## DE FIDVCIA CERTA ET Indubitata diuinæ gratiæ & Promiſſionum *æternarum.*

CATHOLICAE ET ORTHODOXAE Doctrinæ conſentiens uox eſt, quòd in conuerſione oporteat indubitata fide accipi remiſſionem peccatorum, propter meritum filij Dei, & certò ſtatuere, quòd ſimus in gratia: Item in inuocatione minimè dubitandum, an Deus recipiat preces noſtras, ſed hanc fidem afferendam omninò ad precationem, uerè recipi et exaudiri à Deo preces noſtras, et exaudiri propter filium mediatorem, iuxta promiſſiones,

Pſalm.

*Pſalmo 26.*

Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum.

*Matthæi 14.*

Chriſtus increpat Petrum Apoſtolum dubitantem ac hæſitantem: modicè fidei, quare dubitaſti.

*Marci 9.*

Si potes credere, omnia poſsibilia ſunt credenti.

*Rom. 4.*

Abraham non hæſitabat ad promiſsionem Dei, ob incredulitatem, ſed robuſtus factus eſt fide, tribuens gloriam Deo, certa perſuaſione concœpta, quod is qui promiſerat, idem potens eſſet & præſtare. Quapropter imputatum eſt etiam ei ad iuſtitiam.

*Rom. 8.*

Certus ſum ego, quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; creatura vlla poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro.

*1. Petri 5.*

Aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide.

*Iacobi 1.*

Petat autem in ſide, nihil hæſitans. Qui enim
" hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris à vento commoti:
" Non ergò exiſtimet homo ille, quod impetrabit
" aliquid à Deo.

*Teſtimonia Patrum.*

¶ Eadem eſt hac de re & conſentiens PATRVM ſententia.

*Auguſtinus in expoſitione propoſi. ex Epiſt. ad Rom. Num. 58.*

Certus ſum enim, & non dixit, opinor: plena fide tenuit, quod neq; mors vlla, nec temporalis vita promiſſa, nec cætera ſubſequentia poſſunt credentem à charitate Dei detorquere.

*Et iterum in tractatu, de non cogitando in craſtinum.*

Diſcedat de corde petitoris dubitatio, et veniet ei largitoris inundatio. Non trepidet qui rogat, & ſe non ſubtrahat qui erogat.

*Et idem alibi.*

Precatio ſine fide peccatum eſt.

*Item.*

Tota ſpes mea eſt in morte Domini mei.

*Item.*

Totius fiduciæ certitudo eſt in precioſo ſanguine Christi, &c.

Chryſo-

*Chryſoſtomus in Epiſt. ad Galat. cap. 5.*

Nos pro noſtra virili ex nobis ipſis hic addemus, demonſtrabimusq́ue, quomodo circumciſis nihil profuturus ſit Chriſtus. Qui circumciditur, tanquam metuens legem circumciditur. Eam qui metuit, diffidit viribus gratiæ. Porrò qui diffidit, nihil fructus capit ab ea, cui diffidit.

*Idem in 1. ad Timoth. Homilia 8.*

Nemo cum angore animi, ac diſceptatione orans, exaudiri ſe putet. Quid autem ſit diſceptatio intentius accipito. Non licet prorſus ambigere, ſi puras ad Deum leuemus preces, non exauditum iri.

PONTIFICII contrà delent hanc conſolationem, & iubent ſemper dubitare, an ſimus in gratia, an Deus nos exaudire uelit inuocantes propter Chriſtum: Imò temerarium uideri, quòd inuocans ſtatuat ſine dubitatione ſibi remiſſa eſſe peccata. Suſpenſa igitur aſſeueratione perpetuò hæſitandum Chriſtiano precanti, an exaudiatur necne. *DE dubitatione Papiſtica.*

*Antoninus parte 4. tit. 6. cap. 2. §. 7.*

*Nullus poteſt eſſe certus in uia præſenti, ſi habet charitatē, niſi ei ſit ſpecialiter reuelatum. Vnde dicitur Eccleſiaſt. ix. Neſcit homo, utrum odio, uel amore dignus ſit, &c.*

*Stanislaus Hoſius Cardinal. de hæreſibus noſtri temporis. lib. 1.*

*Ex quo (inquit) uidere licet, quàm falſum ſit Lutheranum illud axioma: cuiuis homini ad peccatorum remiſſionem aſſequendam, neceſſarium eſſe, ut firmiter credat, certoq́; ſtatuat, abſq; ulla dubitatione propriæ infirmitatis, & diſpoſitionis, eſſe peccata ſibi remiſſa.*

*Et paulò pòſt.*

*Nulla poteſt eſſe apud Deum maior abominatio, quã ſit hæreticorum tanta præſumptio.*

## DE DISCRIMINE LEGIS & Euangelij.

SCRIPTVRA MANIFESTISSIMVM FACIT diſcrimen inter Moſen & Chriſtum, et inter doctrinam legis & Euangelij.

*Hiere. 31.*

„ Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam do-
„ mui Iſraël et domui Iuda fœdus nouum, non ſecun-
„ dum pactum quod pepigi cum patrib. veſtris, &c.

*Rom. 3.*

„ Nunc autem ſine lege Iuſtitia Dei manifeſtata
„ eſt, dum comprobatur teſtimonio legis et Prophetarum.

tarum. Iuſtitia verò Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper eos qui credunt.

*Ioannis 1.*

Lex per Moſen data eſt. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt:

*Rom. 4.*

Non enim per legem promiſsio contigit Abrahæ & ſemini eius, illum hæredem fore mundi, ſed per Iuſtitiam fidei.

*2. Corinth. 3.*

Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non literæ ſed ſpiritus. Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat.

¶ Idem diſcrimen utriuſq; doctrinæ notiſſimum fuit PATRIBVS & antiquitati, quemadmodum conſtat ex ſequentibus teſtimonijs:

*Chryſoſtomus 2. Corinth. 3.*

In lege, qui peccatum habet, punitur: hic autem qui habet peccata, accedens, baptizatur, & fit iuſtus. Iuſtus autem factus, viuit liberatus à morte peccati. Lex ſi præhenderit homicidam, tollit è viuis: Gratia ſi acceperit homicidam, illuminat ac viuificat.

*Ambroſius lib 9. Epiſt. 22.*

Ideo lex ſeueritatem gladij habet, tanquam pæ-

dagogus baculum, vt imperfectæ plebis infirmitatem, pœnæ ſaltem denunciatione, deterreat. Euangelium autem indulgentiam habet, qua peccata donantur. Iure ergò ait Paulus: Quod litera occidit, Spiritus autem viuificat.

PAPISTICI Theologi & Monachi in omnibus libris ſuis hæc diuerſiſſima doctrinarum genera prorſus confundunt, ex CHRISTO Moſen ſeu legiſlatorem, & inuicem ex Moſe Chriſtum, ſeu ex Euangelio legem facientes.

## DE PERFECTIONE LEgis diuinæ: & de Conſilijs.

SIMILITER TRADITVM EST IN DOCTRIna ſcripturę ſanctæ, legem Dei integram eſſe & perfectiſſimam, cui nihil quidquam ad perfectionem addi poſſit ſecundum verum eius intellectum: Ac ſummam eius breuiter in eo conſiſtere, vt DEVM amemus toto corde, tota mente atque anima, omnibusque viribus noſtris: deinde proximum noſtrum ſicut noſmetipſos.

*Deut. 6.*

" Diliges Dominum DEVM tuum ex toto
" corde tuo, & ex tota anima tua, &c.

*Deut. 10.*

" Circumcidite præputium cordis veſtri.

*Leuitici 19.*

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. „

*Deuter. 30.*

Conſidera quod hodiè propoſuerim in conſpe- „
ctu tuo vitam & bonum: Et è contrario mortem „
& malum, vt ambules in vijs eius. „

*Et mox deinde:*

Teſtes inuoco cœlum & terram, quod pro- „
poſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem „
& maledictionem. „

*Rom. 7.*

Lex Spiritualis eſt, ego autem carnalis. „

Quæ autem dominus Matthæi cap. 5. & 6. commemo- rat de lege, ea non ſunt noua lex, ut aduerſarij ſomniant, ſed potius interpretatio ueteris legis.

PAPISTICI Scriptores, theologi & Monachi contrà nugantur, Chriſtum tradidiſſe legem, et quidem perfectiorem quàm ſit lex diuina olim Moſi in monte Sinai tradita, & deinde per Prophetas declarata: hanc Chriſti legem qui ſeruet, eum meritis & operibus bonis conſequi poſſe uitam æternam: Tradita etiam eſſe à Chriſto CONSILIA in Euangelio, quæ pro cuiuſq; arbitrio liberè ſeruari poſſint & omitti, ſine ſalutis periculo.

*Sic Antoninus parte 1. Tit. 15. cap. unico § 3.*

*Alio modo lex noua eſt alia à ueteri. Quia lex uetus*

*eſt pædagogus puerorum, & lex noua eſt lex perfectio-nis, quia lex dilectionis. Et omnes differentiæ, quas po-nunt doctores inter legem ueterem, & nouam, hoc oſten-dunt, quòd differunt, ſicut perfectum & imperfectum.*

Et mox:

*Comparatur noua lex ad ueterem, ſicut perfectum et imperfectum: & ſic noua lex continetur in ueteri, ſicut frumentum in ſpica.*

Ac iterum:

*Omne perfectum adimplet quod deeſt imperfecto, & ſe-cundum hoc Lex noua implet ueterem, in quantum quod ueteri deerat, implet.*

## DE MERITO PASSIO-nis & mortis filij DEI.

SACRAE LITERAE PERPETVA ET CON-ſentienti uoce docent nos de merito paſſionis & totius obedientiæ filij Dei, domini noſtri Ie-ſu Chriſti, quòd is morte ſua pleniſſimè ſatisfe-cerit pro omnibus peccatis totius generis hu-mani.

*Eſaie 53.*

5. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, et at-tritus

tritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis no- „
ſtræ ſuper eum, & liuore EIVS ſanati ſumus: & „
poſuit Dominus in eo iniquitates omniũ noſtrum. „

Non dicit Propheta, uulneratum eſſe Meſſiam propter bona opera noſtra, ut accedente ipſius merito hæc fierent propitiatio pro iniquitatibus noſtris; ſed ait uulneratum eſſe propter iniquitates noſtras, & mala opera noſtra, ut ea expiarentur.

*Ioan. 1.*

Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi. „

Agnus Dei non in hoc mactatur uel offertur, ut bona opera noſtra tollant peccata mundi, ſed ut ipſe ſua ipſius oblatione ea tollat.

*1. Pet. 2.*

Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuper „
lignum. Non dicit filium Dei reieciſſe peccata noſtra in „
bona noſtra opera, ut per ipſa expiarentur, ſed pertuliſſe ea in ſuo ipſius corpore.

*1. Timoth. 2.*

Dedit ſemetipſum precium redemptionis pro o- „
mnibus. Non ait; Effecit ut noſtra bona opera eſſent „
precium redemptionis, ſed dedit, inquit, SEMETIPSVM redemptionis precium.

¶ Teſtimonia PATRVM de hoc articulo.

*Auguſtinus ſuper Pſal. 129. Tom. 8.*

Vendere homo ſe potuit, & venundatus fieri

ſub peccato: redimere ſe ab iniquitatibus non poteſt. Ille ſe potuit redimere, qui ſe non potuit vendere. Qui non commiſit peccatum, ille eſt redemptor à peccato: ipſe redemit Iſraël ab iniquitatibus. Non ergo timeat acceſſurus ad Deum aliquas iniquitates ſuas: tantummodo accedat pleno corde, & deſinat iam facere, quæ faciebat.

*Et ſuper Pſal. 58. Serm. 2. ait:*

Mortuus eſt Chriſtus inter manus Iudæorum, & redemit multitudinem gentium: Effuſus eſt ſanguis, & profuit, ſed conuerſis omnibus profuit.

*Et Diuus Ambroſius in 1. ad Corinth. c. 6.*

Precio empti eſtis, ait, nolite fieri ſerui hominũ. Verum eſt, quia carè empti ſumus: vt à nullo redimi potuiſſemus, niſi à Chriſto, qui omnium diues eſt. Qui ergo precio emitur, magis ſeruire debet, vt aliquatenus vicem reddat emptori. A Deo igitur empti, id eſt, à Chriſto, ſerui hominum eſſe non debent. Serui autem hominum ij ſunt, qui humanis ſe ſubijciunt ſuperſtitionibus. Hæc ille.

PAPISTAE & Scholaſtici doctores contrà, merito et ſatisfactioni Chriſti impiè detrahentes, docent, Chriſti paſſionem propter noſtra bona opera factã, ut hæc ab ipſa uirtutem ſatisfaciendi conſequantur.

¶ Ita ſcribũt, cum alij, tum præcipuè Petrus à Soto in aſſertione ſua fidei Catholicæ, titulo de ſatisfactione.

Credit

*Credit eadem fides Catholicæ Eccleſiæ, paſsionem Chriſti ita ſufficientem eſſe ſatisfactionem pro peccatis o-mnibus, ut nullum opus noſtrum, niſi ab ipſa uirtutem ſa-tisfaciendi habeat, à qua & gratiam, ut id operemur, acci pimus, atq; idem de uirtute meriti, & cæteris, quæ de lau de operum noſtrorum dici poſſunt, confitemur.*

## DE STATV DEFVNCTO-rum poſt hanc vitam, & de purga-torio *Papiſtico*.

SCRIPTVRA AIT: QVI CREDIDERIT ET baptizatus fuerit, hunc fore ſaluum: Qui non crediderit, hunc condemnatum iri. Atq; ita to-tum genus humanum poſt hanc vitam ſepara-tum iri in duos ordines, quorum alter ſit credentium, qui perpetuo conſpectu Dei fruentur in cœlis: alter impiorũ, qui non crediderunt, abijciendi à conſpectu Dei in infer-num & cruciatus æternos.

*Ioannis. 3.*

Qui credit in eum, non iudicatur: qui non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomen vnige-niti filij Dei.

*Ioannis. 5.*

Amen, amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æter-nam, & in condemnationem non ueniet, ſed trans-iuit per mortem in vitam. 1. Theſ.

*1. Theſſal. 4.*

„ Nolumus ignorare vos, fratres, de dormientibus, ne contriſtemini ſicut cæteri, qui ſpem non habent, &c: quo in loco Apoſtolus grauiſſimè et prolixè loquitur ac docet de ſtatu eorũ, q piè & in fide ex hac vita excedũt: Neq; vllam purgatorij Papiſtici vel minimam facit mentionem, ſed docet, non eſſe indulgendum luctui & dolori propter defunctos, ſpe lætiſſima glorioſæ reſurrectionis mortuorũ. Quòd ſi ullus eſſet Purgatorius ignis, qualem commenti ſunt Papiſtæ, in quo animæ hominum qui deceſſerunt, antè quam ſatisfactionem integrè præſtiterunt, & antè quam integrè purgati fuerunt, acerbius & maiore quàm in hac vita, cruciatu, pro peccatis cruciantur, graui profectò & reprehendenda negligentia id à Paulo omiſſum eſſet, imò crudeliter ab eo factum, qui ab hoc officio humanitatis, ne acerbiſſimis cruciatibus fratrum commoueremur ac cõdoleremus, Chriſtianos prohiberet. Præſertim cum idem non vno in loco moneat, vt cum dolentibus doleamus, & ad ſocietatem doloris grauiter adhortetur: Gaudete, inquiens, cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Ro. 12. et alibi ſæpe.

Ac pertinent huc exempla luculentiſſima, Lazari, Latronis in cruce, Stephani, Pauli & aliorum quibus manifeſtiſſimum fit & irrefragabiliter conuincuntur aduerſarij, eos qui piè & fide filij Dei ex hac vita diſcedunt, nõ ad cruciatus Purgatorij ignis abripi, ſed diſſolui & protinus eſſe cum Chriſto.

*Patrum teſtimonia, contra Purgatorium Papiſticum.*

¶ Ita & PATRES in Eccleſia docuerunt, quorum teſtimonia quædam videamus.

Auguſti-

*Auguſtinus ad Macedon. Epiſt. 54.*

Morum porrò corrigendorum nullus alius, quàm in hac uita locus. Nam poſt hanc vitam quiſque id habebit, quod in hac ſibi conquiſierit.

*Et in Sermone 66. de tempore.*

In hac uita tantum pœnitentiæ patet libertas, poſt mortem nulla correctionis licentia, &c.

*Idem de uerbis Apoſtoli Sermo. 18.*

Duæ quippe habitationes ſunt, vna in igne æterno: altera in regno æterno.

*Idem de peccatorum meritis & remiſſione. lib. 1. cap. 28.*

Nec eſt vlli vllus medius locus, ut poſſit eſſe, niſi cū Diabolo, qui non eſt cum Chriſto. Hinc & ipſe Dominus uolens auferre de cordib. malè credentium, iſtā, neſcio quam, medietatem, quam conantur quidam paruulis non baptizatis tribuere, ut quaſi merito innocentiæ, ſint in vita æterna: Sed quia nō ſunt baptizati, nō ſint in Chriſto, in regno eius, definitiuam protulit, ad hæc ora obſtruenda ſententiam, vbi ait: Qui non eſt mecum, contra me eſt.

*Et iterum contra Pelag. Hypognoſt. lib. 5.*

Primum enim fides Catholicorum diuina autoritate credit regnum eſſe cœlorum, vnde, ut dixi, nō baptizatus excipitur. Secundum, gehennam, vbi

omnis

omnis Apoſtata, vel à Chriſti fide alienus, ſupplicia experitur. Tertium penitus ignoramus, imò nec eſſe, in ſcripturis ſanctis reperimus.

*D. Chryſoſtomus de Lazaro concione 2. ait.*

Omnia hîc diſſolue, ut citra moleſtiam illud uideas tribunal. Donec hîc fuerimus, ſpes habemus præclaras, ſimulac uerò diſceſſerimus illuc, non eſt poſtea in nobis ſitum pœnitere, neq; cõmiſſa diluere.

*Et alibi idem Chryſoſtomus ſic ſcribit.*

Nec putemus nobis, cum illuc venerimus, miſericordiam eſſe tribuendam, qui non agimus, vt ueniam mereamur accipere, etſi Abraham pro nobis roget, etſi Noë, etſi Iob, etſi Daniel. Dum igitur eſt tempus in manibus, plurimam nobis apud Deum fiduciam præparemus, &c.

PAPISTAE his addiderunt commentum Purgatorij ignis, quo piorum animæ excrucientur ad tempus, pro ſatisfactione eorum peccatorum, quibus in hac uita nondum condignè ſatisfeciſſent meritis & operibus bonis: quod tamen ſupplicium Indulgentijs Papalibus, miſſis, & uigilijs aboleri poſſit, ne animæ eo in loco grauius aut diutius affligantur.

*Libro VII. Compendij Theologici cap. 2.*

*Purgatorius ignis corporeus eſt, per quem tantummodo*

*modo ſpiritus iuſtorum, qui in hac uita non impleuerunt pœnitentiam, neq; ſatisfactionem condignam, affliguntur.*

Bernhardinus de Buſtis in Roſario, Sermone 2. parte 1.

*Quarto dico ſecundum prædictos Doctores, quòd aliquæ animæ uadunt ad Purgatorium: & ſunt illæ, quæ moriuntur cum peccatis uenialibus ſolum, uel ſi qua mortalia commiſerunt, & tempore mortis contritionem habuerunt: ſed pœnitentiam debitam non impleuerunt, tales animæ uadunt ad aliquem locum, in quo purgantur: & ille locus dicitur Purgatorium, à purgando.*

Et paulò pòſt, parte 3.

*Cum ergo per ſuffragia liberentur animæ ab horribiliſsimo igne Purgatorij, ergo qui illud faciunt, maiorem eius gratiam, & charitatem impendunt, quàm ſi illis uiuis, & indigentibus totum mundum largirentur. Darent enim mille mundos, imò centum mille millia, ſi tot haberent, ut poſſent ab illis cruciatibus liberari.*

*Nam (ut inquit Gregorius) ſub eodem igne electus purgatur, & damnatus crematur.*

DE

# DE RECONCILIATIONE & Gratia diuina.

PRAETEREA DOCET SCRIPTVRA (quod modo etiam attigimus) reconciliari DEO peccatores, & impetrare gratiam, ſolius Chriſti meritis & interceſſione: ſi fide certa hęc appræhendant, idq́ſ ſine ullis meritis noſtris, aut dignitate noſtra.

*Actor.* 4.

Non eſt in alio aliquo ſalus, nec aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

*Rom.* 4.

CHRISTVS traditus eſt propter peccata noſtra, & reſuſcitatus propter iuſtificationem noſtram.

*Rom.* 5.

Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi.

¶ Teſtimonia PATRVM.

*Auguſtinus ad Pſal.* 144.

Vbi audis gratiam, gratis intellige. Si ergo gratis, nihil tu attuliſti, nihil meruiſti. Nam ſi meritis aliquid

aliquid redditum eſt, merces eſt, non gratia.

*Chryſoſtomus ad populum Antiochenum. Homil. 25.*

Gratias agamus, quoniam ex eorum numero, qui ſalui fiunt, cenſemur: & quoniam, cum ex operibus ſaluari non potuerimus, ex Dei munere ſaluati ſumus.

*Hieronymus lib. 1. aduerſus Pelagianos.*

Tunc ergo iuſti ſumus, quando nos peccatores fatemur: & iuſtitia non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia, dicente ſancta ſcriptura: concluſit Deus omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur.

SED PAPISTICI planè his contrarium dogma conantur defendere: et docent, homines poſſe ſic implere Dei præcepta, vt legi omninò ſatisfaciant, iram Dei placent, peccata deleant meritis, & coronam iuſtitiæ conſequantur.

*Sic Papiſtici collocutores in poſtremo colloquio Ratisbonenſi anni 1546.*

*Is, cui remiſſa ſunt peccata, poteſt auxilio gratiæ Dei ſic implere Dei præcepta, ut DEO & proximo reddat, quod debet. Quod dum facit, non ſolum non peccat mortaliter, ſed potius eſt iuſtus apud Deum, &*

*LEGIS IMPLETOR, & eiuſmodi homines uerè iuſti ſunt apud Deum, & legem eius implent, quia gratiam habent omnia omninò peccata delentem, & ſuggerentem uires ad implendam legem.*

*Et mox:*

*Dicimus opera hæc, quibus legem iuſti implent, & Dei uoluntatem ſequuntur, ſic eſſe uitæ æternæ meritoria, ut eis, Pauli teſtimonio, reddenda ſit corona Iuſtitiæ.*

*Similitudo Turcicæ, Iudaicæ & Papiſticæ religionis.*

¶ Atq; ex his apparet, religionem blaſphemorum Iudæorum, Turcarum ſeu Mahometiſtarum, & Papatus, etſi verbotenus & externis ritibus ac ceremonijs diſſimilitudinem quandam præ ſe ferant, reipſa tamen & in rei ſubſtantia parum aut nihil diſcrepare: Idem enim ſentiunt & dicunt omnes, videlicet, quod homo mereatur vitam æternam externa honeſtate, virtute, & vitæ innocentia, & per hanc externam & ciuilem iuſtitiam placere DEO homines, quorum mores ſunt honeſti & vita integra.

## DE NVMERO SACRAmentorum in Eccleſia.

SACRAMENTA IN NOVO TESTAMENTO inſtituta à Chriſto, ut ſint ſigna diuinæ gratiæ, duo nominantur et numerantur in Euangelio, ſcilicet Baptiſmus & cœna domini.

Matth.

*Math. 28.*

Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.

Item Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Corinth. 11. quibus locis recitantur verba inſtitutionis cœnæ Dominicæ.

¶ Idem & PATRES docent.

*Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarij cap. 1.*

Vnde Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit: ſicut eſt baptiſmus TRINITATIS nomine conſecratus: communicatio corporis, & ſanguinis ipſius, &c.

*Et in libro de Cataclyſmo cap. 4. ait:*

Os non comminuatis ex eo: ſed vnus ex militibus eius aperuit latus, & continuò exiuit ſanguis, & aqua, quæ ſunt matris Eccleſiæ gemina Sacramenta.

Sed & Diuus Ambroſius in tractatu, cui de Sacramentis Titulum fecit, tantum duorum meminit Sacramentorum: nempè Baptiſmi et Synaxeos.

*Et idem Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 9. tantum duo Sacramenta ab ipſo Domino & Apoſtolis tradita, numerat. Sic enim ſcribit:*

Hoc verò tempore, poſteaquam reſurrectione

Domini noſtri manifeſtiſſimum indicium noſtræ libertatis illuxit, ne ipſorum quidem ſignorum, quæ iam intelligimus, operatione graui onerati ſumus, ſed quædam pauca pro multis, eademq́ factu facilima, & intellectu auguſtiſsima, & obſeruatione caſtiſsima, ipſe Dominus, & Apoſtolica tradidit diſciplina, ſicuti & Baptiſmi Sacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini.

AT PAPISTAE, pro ea quam ſibi ſumũt in diuina omnia poteſtate, his duob. Sacramentis inſuper alia quinq; addiderunt, quę eadem cum ſuperioribus autoritate cenſent. Eius rei longiorem commemorationem hîc omittimus, nec enim opus eſt procul quærere teſtimonia autorum, qui hæc docuerunt in Eccleſia. Extat enchiridion locorum communium Eccij, vbi ordine enumerantur ſingula; de confirmatione, ſexto loco communi: de ordine, loco ſeptimo: de confeſſione, loco octauo, & deinde nono loco, de matrimonio. Itẽ in Panoplia Guilielmi Lindani lib. 4. cap. 57. Et in locis communibus Conradi Clingij Monachi cuiuſdam Franciſcani: vbi hæc verboſe adſtruuntur.

## DE BAPTISMO.

BAPTISMVM CONSTAT INSTITVTVM IN Euangelio ab ipſo Chriſto, iubente omnes gẽtes baptizari in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti; neq; exorciſmos vllos, aut vllum chriſma-

chriſma addi Baptiſmo mandatum legitur Matth. 28. Cum igitur horum vtrumq; inſtitutum ſit & additum Baptiſmo hominum traditione, extra verbum Dei, conſequens eſt pertinere hæc ad regulam quæ traditur

*Matthæi 15.*

„ Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominum.

*Et Colloſſ. 2.*

„ Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes mundo decernitis? &c.

PAPISTAE aduerſus hæc vociferantur, eos qui in Baptiſmo non adhibent vnctiones magici olei Pontificia precatione & exorciſmis conſecrati, facere ſeceſſionem ab Eccleſia, & pro ſchiſmaticis atq; hoſtibus Eccleſiæ eſſe habendos.

*Petrus Sotus in Catholica aſſertione.*
*De Baptiſmo.*

*Non ſolum Chriſma, ſed reliquas cæremonias ſalis, ſaliuæ, & ueſtium, quæ omnia conſtat in Eccleſia ſemper reuerenter ſeruata, amplectitur Catholica Eccleſia: quodlibet iuxta gradum ſuum, ſic tamen, ut apertum ſit, propria autoritate aliquid mutantem, hoc ipſo ab Eccleſiæ unitate ſecedere, & ſchiſmaticum eſſe.*

# DE DONIS SPIRItus Sancti.

IN HISTORIA EVANGELICA LEGIMVS, Chriſtum in die Pentecoſtes, & deinceps etiam donaſſe Apoſtolis & alijs quibuſdam diſcipulis admiranda Spiritus ſancti dona, videlicet donum linguarum, item ſanandi ægrotos quoſcunque in nomine Chriſti, & ſimilia miracula faciendi. Actor. 2. Galat. 3. Et ad Tit. 3.

Hinc Papiſtæ ſine vllo mandato Dei nouum attulerunt in Eccleſiam Sacramentum, quod Confirmationis vocant, cuius eam vtilitatem & neceſsitatem eſſe prædicarunt, vt niſi quis id ſuſcipiat, pro vero Chriſtiano non ſit habendus, quemadmodum tradit Gratianus cap. 1. De conſecratione diſtinct. 5.

*Fideles omnes Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem accipere debere poſt Baptiſmum, ut pleni Chriſtiani inueniantur. Quia nunquam erit Chriſtianus, niſi confirmatione Epiſcopali fuerit chriſmatus. Cap. ut ieiun: eadem diſtinct.*

*Item Clemens Epiſt. 4.*

*Omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci, & demum conſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam percipere.*

Et mox:

*Quia aliter perfectus Chriſtianus eſſe nequaquam poteſt.*

Quin etiam iſti Canones Pontificij in tantum extollunt confirmationis dignitatem, vt eam ipſi Baptiſmo præferant, & maiore veneratione quàm Baptiſmum cenſeant colendam. Cap. de his, eadem diſtinct. vbi habet Rub. Manus impoſitionis Sacramentum dignius eſt Sacramento Baptiſmi.

Addunt etiam magnifica Elogia huic ſuo Pſeudoſacramento, quod eo augeantur dona Spiritus ſancti: & Baptiſmo quidem regenerare hominem ad vitam, Confirmatione autem inſtrui ad pugnam.

Sic enim ait Melchiades Papa.

*In Baptiſmo regeneramur ad uitam: poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam. In Baptiſmo abluimur: poſt Baptiſmum roboramur.*

Et paulò antè:

*Spiritus ſanctus qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, infanti pulchritudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam.*

# DE POENITENTIA.

DE POENITENTIA, QVAE EST CONVERſio peccatoris ad DEVM, Sacræ literæ ſimpliciter docent, neceſſario ad eam requiri, vt peccator per legem Dei verè expaueſcens agnitione iræ Diuinæ aduerſus peccata ſua, doleat ſe offendiſſe Deum: & fide in filium Dei accipiat remiſsionem peccatorum et reconciliationem: ac per eam fidem regeneratus inchoet nouam obedientiam iuxta legem Dei.

¶ Duo etenim ſumma ſunt in ſcriptura doctrinæ genera: alterum Lex, alterum Euangelium. Per legem autem agnitio peccati, vt ait Paulus: Per Euangelium Fides. Fides autem, vt idem ait, ex auditu eſt, auditus per verbum Dei.

*Pſalm.51.*

*Teſtimonia Scripturæ.*

» Miſerere mei DEVS, &c. quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meũ contrà me eſt ſemper.

» Vides agnitionem peccatorum & iræ diuinæ.

*Sequitur paulò pòſt:*

» Quoniam veritatem dilexiſti, quę in occulto
» eſt, & ſapientiam abſconditam manifeſtaſti mihi.
» Ecce fidem accedentem ad promiſſiones ſeu veritatem
» diuinam de reconciliatione per filium Dei.

*Marci 1.*

» Impletum eſt tempus, & appropinquauit regnũ cœlorum.

cœlorum: Pœnitentiam agite, hoc eſt, agnoſcite ,,
peccata veſtra, & credite Euangelio. ,,

*Lucæ 24.*

Sic oportebat Chriſtum pati, et reſurgere à mor- ,,
tuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœniten- ,,
tiam, & remiſsionem peccatorum in omnes gentes. ,,

*Actor. 22.*

Teſtificans Iudæis ſimul & Græcis, eam, quæ ,,
erga Deum eſt, pœnitentiam, ac fidem, quæ eſt er- ,,
ga Dominum noſtrum Ieſum. ,,

Atq́ hinc manifeſtiſsimum fit, confeſsionem auricularem quæ fit ſacerdoti, non eſſe partem pœnitentiæ ſalutaris; id quod etiam antiquiſsimorum patrum ſcriptis comprobatur: vt patet per Beatum Ioannem Chryſoſtomum ſuper Epiſtolam ad Hebræos cap. 11. Et Homilia 31. cap. 12. Et ſuper Pſamlum 5. Pſal. 50. Homilia 5. Auguſtinus in Epiſtola ad Iulia: comitem in lib. 10. Confeſs. cap. 3. Ambroſius de pœnitentia diſtin. 1. cap. Petrus.

EX ADVERSO, quantum cæcutiuerit Papatus in hoc doctrinæ Chriſtianæ articulo, id dictu incredibile eſt. Atq́ initium harum diſcordiarum fuit doctrinæ de Pœnitentia explicatio, qua in denſiſsimis tenebris errorum & ſuperſtitionum, quibus Religio obruta iacuit, quaſi ad primam ſcintillam lux gratiſsima reddita fuit. Varij autem fuerunt Papiſtarum de hoc articulo errores, ſed præ cæteris craſsiſsimi; quod oporteat contritionem eſſe

ſufficientem. Item contritionem mereri remiſsionem culpæ. Deinde neceſſariam eſſe omnium delictorum enumerationem, quæ ſiat Sacerdoti in aurem. Item ſatisfieri pœnis, & remitti culpam coràm Deo ieiunijs, elemoſinis, ſacrificijs Miſſæ, peregrinationibus & itineribus ad longinqua templa, & ſimilibus operibus.

De Confeßione auriculari error Papiſtarum.

Ac Confeſsionem auricularem in primis vrgent PAPISTAE, velut præ cæteris neceſſariam ad ſalutem. Teſtatur hoc capitulum omnis vtriuſq;: Extra de pœnitentia & remiſsione: quo is, qui ad annos diſcretionis peruenit, ſi non confiteatur omnia ſua peccata ſemel in anno proprio ſacerdoti, arcetur viuens ab ingreſſu Eccleſiæ, & caret moriens Chriſtiana ſepultura. Hoc quid aliud eſt, quàm propter omiſsionem Confeſsionis auricularis in æternum barathrum detrudi?

*Antoninus parte 2. Tit. 9. cap. 8.*

*Si quis non confitetur ſemel in anno, habens annos diſcretionis, peccat mortaliter, ſi ex negligentia hoc faciat, &c.*

*Et mox.*

*Non poteſt autem Sacerdos deobligare eum ab hoc præcepto, nec Epiſcopus, ſed ſolus Papa, quantum ad ſemel in anno.*

Item, confeſsionem auricularem eſſe neceſſariam, tradit etiam Alphonſus à Caſtro lib. 4. aduerſus hæreſes, in diſtinct. Confeſſ. Et Guilielmus Lindanus lib 4. Panopliæ cap. 65.

cap. 65. Et Conradus Klingius lib. 4. communium locorum cap. 35. Et antè eum Albertus Pighius in lib. de præcipuis controuerſijs. in 9. controuerſia, de confeſsione peccatorum. Et Ioachi. Perionius in Topicis Theologicis lib 2. Et Ioan. Caſparus Rutlandus in locis communibus Theologicis tit. 19.

## DE MODIS EXPIandi peccata.

VNA EST CONSTANS, PERPETVA et conſentiens vox Prophetarum et Apoſtolorum de expiandis peccatis humani generis, ſeu remedijs tàm mortaliũ quàm venialium peccatorum: nimirum, quod precioſus ſanguis filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti emundet ac purificet credentes ab omnibus peccatis 1. Ioan. 1. priore ad Corinthios 6. 1. Pet. 1.

PAPISTAE autem, quia lucrum & quæſtus h c locum habuerunt, multiplices ac varias rationes expiandi tàm mortalia quàm venialia peccata, incredibili negocio commenti ſunt: cuius generis ſunt aſperſio aquæ benedictæ ſeu cõſecratæ, qua deleantur peccata quotidiana ſeu leuiora: Confeſsio generalis: Epiſcoporũ, Sacerdotum aut Monialiũ benedictio: deuotæ tunſiones pectoris, et quę ſunt eius generis ſimiles nugæ. Item, pro peccatis mortalibus & magnis ſcelerib. quadragenas, ſeptenas et carenas: quas tamen per indulgentias, pecuniæ interuentu compa-

ratas,

ratus, relaxari variè aut in totum remitti poſſe, tradide-runt.

Modi expiandi peccata leuiora & uenialia.

¶ Recenſent autẽ ſcholaſtici ſcriptores & theologi XII. remedia venialium & leuiorum peccatorum, de quibus eſt prolixè apud Petrum de Pa. diſtinct. 6. quarti.

1. *Digna communio.* d. 2. Cum omne.
2. *Aquæ benedictæ aſperſio.* De conſec. d. 3. Aquam ſale.
3. *Elemoſinarum largitio:* De pœnit. d. 1. §. Quamobrem.
4. *Iniuriarum remiſsio.* Lucæ 6.
5. *Oratio, præſertim Dominica.* De pœnit. d. 3. §. De quo-tidianis.
6. *Confeſsio generalis.* ibid.
7. *Epiſcopalis benedictio, ac Sacerdotalis, & etiam Mo-nialis.* 1. q. 1. c. multi in fine.
8. *Deuota pectoris tunſio.* De pœnit. d. 3. §. Tres ſunt a-ctiones.
9. *Cordis contritio.* Anton. in parte 3. Tit. 10. cap. 1. §. Quanto.
10. *Extrema unctio.* De vnct. cap. vnico.
11. *Patientia flagellorum.*
12. *Quodlibet bonum opus.*

Hæc comprehenſa fuerunt his verſiculis.

*Confiteor, tundo, conſpergor, conteror, oro,*
*Signor, edo, dono, per hæc uenialia pono.*

Crimina

¶ CRIMINALIA ſeu mortalia peccata tribus modis expiari docuerunt: quemadmodum refert Ioan. Keiſerſpergius in Nauicula pœnitentiæ, ex Iacobo Carthuſienſi, & M. Henrico Steinbach. *Modi expiandi peccata grauiora et mortalia.*

1. *Quadragenas.*
2. *per Septenas.*
3. *Carenas.*

*De quibus Roſarius part. 3. tit. de indulgentijs in hunc modum ſcribit.*

*Notandum, quòd indulgentiæ conceduntur uarijs modis, & exprimuntur diuerſis uocabulis. Carina, ſeu Carena ſecundum gloſſ. ſuper ca. accepiſti: de ſponſa duorum, eſt uulgare Italicorum. Et dicitur Carena à carentia hominum, uel etiam cibariorum. Nam in illis quadraginta diebus homines includuntur in aliquo loco ſecreto iuxta Eccleſiam, ubi non habent conſortium hominum. Vnde & in ſuprà dicto c. Accepiſti, iniungitur cuidam, qui acceperat quandam in uxorem, quam alter ſibi deſponſauit, quòd faciat Carinam, id eſt, quadragenam in pane & aqua, & cum ſeptem ſequentibus annis pœniteat. Vt enim colligitur ex geſtis ſummorum Pontificum, differentia eſt inter ſeptenam, uel ſeptenarium, quadragenam, & Carenam, quæ etiam carentena aliquando*

quando dicitur. Nam Clemens Papa prius inſtituit quadragenam, per quam deſignauit pœnitentiam quadraginta dierum cum ſeptem annis ſequentibus, quam pœnam iniungebat ratione unius peccati mortalis: ita, quod per iſtos quadraginta dies pœnitentes excludebantur ab Eccleſia, & incedebant capite diſcooperto, ſparſo crine, & póſt eoſdem dies iniungebatur eis pœnitentia ſeptennis, uidelicet, quòd per eoſdem ſeptem annos ferijs ſecundis ſemel uterentur lacticinijs, quartis ferijs uno ferculò concernente ieiunium: ſextis uerò ferijs haberent tria fruſta panis, cinere intincta. Et intra hos ſeptem annos non utebantur carnibus, nec uino, nec etiam lecto, nec balneo: ſed dormiebant in terra aſpera, uel etiam lapide. Quibus annis expletis, licuit ipſis primum communicare corpore Dominico.

¶ Septenam autem Inno. Papa iniungebat prius pro uno mortali peccato, ſic quòd die Dominico debebant uti lacticinijs bis in die: feria ſecunda ieiunare uno ferculo concernente ieiunium: feria tertia utebantur bis lacticinijs, ſiue ouis: feria quarta utebantur pane: & potu aliquo ſemel in die: feria quinta ſimiliter lacticinijs & ouis: feria ſexta ſolo pane, & aqua ſimul: die uerò Sabbathi ibant

*ibant peregrinatum per Eccleſias uiſitando limina Sanctorum, quando melius potuerunt comedere lacticinia ſemel. Quibus expletis, præhabita abſolutione licuit ipſos communicare corpore Dominico, et uocabatur huiuſmodi pœnitentia ſeptenaria, uel ſeptena Innocentij.*

*¶ Sed Carena, ſiue Carentena, erat pœna includens pœnitentiam quadragenæ & ſeptenæ, quia ſic pœnitentes abſtinebant à cibis, & à conuerſatione hominum, & ieiunabant in pane, & aqua, quadraginta diebus. Item, poſt hoc imponebatur eis ſeptennalis pœnitentia, iuxta arbitrium Sacerdotis, ut ieiunarent qualibet ſeptimana unum diem, & dicerent certas orationes, aut facerent aliqua pia opera, quæ pœnitentia iniungebatur pro quolibet peccato mortali ſecundum Canones, licet modò Canones pœnitentiales ſint arbitrariæ. Modò autem Papa dans Quadragenam, uel Septenam, uel Carenam in literis indulgentiarum, prætendit abſoluere illos qui debitè utuntur indulgentijs, uel tantam gratiam conferre remiſſionis, quantam iſti per eaſdem pœnitentias meruerunt. Et ſic per annum pœnitentialem confert tantam gratiam remiſſionis, quantam homo meretur per ſe pœnitendo per annum.*

*DE*

# DE COMMVNIONE
## Cœnæ Domini ſub vtraq; ſpecie.

COENAM DOMINI INSTITVTAM ESSE à Chriſto in Euangelio, vt ipſius corpus cum pane, & ſanguis cum vino, non tantum Sacerdotib. & Sacrificulis, ſed vniuerſæ Eccleſiæ, & ſingulis Chriſtianis, etiam qui non ſunt Sacerdotes, ad communionem accedentibus, integrè exhibeatur, manifeſtiſſimis ſacræ Scripturæ teſtimonijs conſtat. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Corinth. 11.

¶ Eadem fuit & S. PATRVM hac de re ſententia.

*Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi, & habetur de conſecratione diſt. 2. cap. dum frangitur.*

Dum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur: quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; ſanguinis de latere effuſio deſignatur?

*Et ſuper Ioannem tractatu 26.*

Ac propter hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubiò nec manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sa-

bus Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti.

¶ Cum his Auguſtini teſtimonijs conſentiunt & cæteri PATRES: *Hieron. cap. 3. ad Sophoniam.*

Sacerdotes qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populo diuidunt, &c.

*Et Cyprianus ad Cornelium Papam, in Epiſt. 2. de Cœna Domini.*

Non inermes, & nudos relinquamus morientes: ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus.

*Ibidem.*

Nam quomodo docemus aut prouocamus, eos in confeſsionem Chriſti nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?

Et Gelaſius Papa de conſecrac. diſtinct. 3. c. comperimus, mandat ne Sacramentum diuidatur: Et in cap. Qui manducant: ibidem, cõtinentur verba Auguſtini: Qui manducant, & bibunt Chriſtũ, vitam manducant, & bibunt. Illum manducare, eſt refici: illum bibere, eſt viuere. Gloſſa addit, id eſt, in ſpecie panis, & vini. Vtraq; ſpecies adhuc manet in Eccleſijs Græcis.

PAPISTAE contrà, hanc Euangelij maieſtatem impiè & petulanter violantes, alterã Sacramenti huius partem, ſanguinem videlicet Domini, crudeliter ſubtraxerunt

traxerunt Laicis: contra manifeſtam Chriſti inſtitutionem, contraq́; diuina & humana iura omnia, conſtituentes, vt vna tantum Sacramenti pars admittatur Laicis, non integer eius vſus.

*Sic enim decretum fuit in Conſtantienſi Concilio, Seßione 13.*

*Licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub utraq; ſpecie panis & uini hoc uenerabile Sacramentum: tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum autoritas, &c. Et mox: Licet in primitiua Eccleſia huiuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraq; ſpecie, poſtea à conficientibus ſub utraq;, & à Laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur: tamen firmißimè credendum, & nullatenus dubitandum, integrũ corpus Chriſti, & ſanguinem, tàm ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie uini ueraciter contineri. Vnde cum huiuſmodi conſuetudo ab Eccleſia, & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & diutißime obſeruata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ autoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc conſuetudinem aut legem obſeruare ſit ſacrilegum aut illicitum, cenſeri debet erroneum, &*

*um, & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici cenſendi ſunt, & arcendi, &c.*

Hoc decretum prolixè defendere conatur Guilielmus Lindanus, Panopliæ lib. 4. cap. 56. & aſſerit PATRES iuſtiſsima de cauſa vnius ſpeciei communionem ſeruandam definijſſe.

Eandem ſententiam tuentur Conradus Klingius in locis communibus lib. 4. cap. 13. & Ioan. Caſparus Rutlandus Brettanus, Cæſareæ Maieſtatis Capellanus in ſuis locis Theologicis, Tit. 20. Idem decretum Conſtantienſe adprobat etiam Alphonſus à Caſtro lib. 6. aduerſus hęreſes in dictione Euchariſtiæ in fine, & Albertus Pighius in lib. de præcipuis controuerſijs in religione in 7. controuerſia, de cõmunione ſub vtraq; et Ioan. Gropperus in lib. de cœna Domini in 4. artic. princip. c. 32. Item Alphonſus Virneſius in 17. diſputat. Philippica aduerſus Melanthonem.

## DE MINISTERIO
### Euangelij docendi.

IN EVANGELIO INSTITVTVM ETIAM eſt ab ipſo Chriſto miniſterium docendi verbum Dei, & adminiſtrandi Sacramenta, commendatum Apoſtolis & Eccleſiarum miniſtris ad hoc vocatis.

*Marci 16.*

Euntes in mundum vniuerſum, prædicate 15

EVANGELIVM omni creaturæ, &c.

*Actor. 20.*

Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.

*Epheſ. 4.*

Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt omnia impleret: Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, quoſdam Euangeliſtas, quoſdam paſtores & Doctores, &c.

*1. Corinth. 4.*

Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum eius.

## ¶ Teſtimonia PATRVM.

*Auguſtinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 8.*

Sicut Parmenianus quodam loco mediatorem poſuit Epiſcopum inter populum, & Deum: Quis eum ferret bonorum atq; fidelium Chriſtianorum? Quis ſicut Apoſtolum Chriſti, & non ſicut Antichrſtum intueretur?

Et alio in loco idem Auguſtinus ait: Ioannem Baptiſtam ideo demonſtraſſe Chriſtum digito, cum diceret: Ecce agnus DEI qui tollit peccata mundi, vt occurreret venturis hæreticis

*Ioan. 1.*

ris hæreticis & Pſeudoprophetis, docentibus quod ipſi tollant peccata mundi.

PAPISTAE autem contemnentes hoc miniſterium, certas quaſdam et peculiares perſonas Sacerdotijs præficiunt, non quidem vt doceant populum, & Sacramenta adminiſtrent, ſed ut Miſſas decantent, ſacra pro viuis & mortuis faciant, horas Canonicas pro ſalute hominum demurmurent, aut Stentoria voce pſallant in templis.

*Pontificale.*

*In conſecrando Sacerdote Pontifex dicit ad Sacrificulum: Accipe poteſtatem offerre ſacrificium DEO, Miſſasq́ue celebrare, tàm pro uiuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

*Petrus à Soto in Catholica ſua adſertione.*

*Tradidit ſacra Scriptura, quantum ſatis eſt, ut agnoſcant obedientes filij, inſtitutos à Chriſto Sacerdotes, qui perpetuò in Eccleſia medij ſint inter Deum, & populum, & offerant ſacrificia ad placandam DEI iram, & meritum Chriſti uiuis, & mortuis applicandum, &c.*

*Idem de horis Canonicis.*

*Ex quibus omnibus conſtat, non ſolum inſtructionem populi, & doctrinam lectionibus illis (horarum ſcilicet Canonicarum) quæſitam eſſe: ſed etiam Dei iram placa-*

 re, oratio-

*re, orationibus diuinam impetrare gratiam, & pro peccatis ſatisfacere, &c.*

# DE CONIVGIO.

CONIVGIVM DIVINITVS ESSE INSTITVtum ad propagationem humani generis, & vitandas libidines vagas, & ut deſignet myſterium arcani fœderis, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam, ſcriptura non vno in loco teſtatur.

*1. Corinth. 7.*

Propter fornicationem vnuſquiſq; ſuam habeat vxorem.

*1. Timoth. 2.*

Saluabitur mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, dilectione, ſanctificatione, cũ ſobrietate.

Sua igitur eſt in Coniugio ſanctificatio & caſtitas.

*Hebr. 13.*

Honorabile coniugium inter omnes, & thorus immaculatus.

*Ephes. 5.*

Myſterium hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.

Teſti

## ¶ Teſtimonia PATRVM.

*Socrates in Eccleſ. hiſt. lib. 1. cap. 11.*

Surgens Paphnutius Confeſſor, contradixit, honorabiles confeſſus nuptias, & caſtitatem dicens eſſe cum propria coniuge concubitum.

*Chryſoſtomus ad Tit. Homilia 2.*

Si quis, inquit, inculpatus, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non obnoxios criminis intemperantiæ, aut inobedientes. Cuius rei gratia etiam talem in medium adducit? Obturat os hæreticis, qui calumniantur nuptias, oſtendens, quòd non ſit res deteſtanda, ſed tàm honorabilis, vt cum ea poſſit etiam in ſanctum thronum, Epiſcopalem ſcilicet, aſcendere.

AT PAPATVS hoc ſanctiſsimum vitæ genus non tantum impijs legibus ſurſum ac deorſum iactauit, verum etiam vt impurum, & pietati Chriſtianæ inimicum traduxit, imò abiurandum docuit: idq; hoc prætextu, quod matrimonium pietati ſit impedimento, & res prorſus carnalis, profana, ac Deo minimum placens. Inuicem autem in eius locum ſubſtituit impios Monachorum & Monialium puellarum ordines, ſacrificulos infinitos & miſsificatores mœchos ac concubinarios, qui impuro cœlibatu & votis ementitæ caſtitatis, paupertate ſpontanea, & elemoſynis Deum placarent, ac ſalutem promererentur. *Papiſtarum errores de coniugio.*

Qua de re videatur Albertus Pighius in lib. de præci-puis controuerſijs, in 14. Controuerſia & Alphonſus à Ca-ſtro in lib. 13. aduerſus hæreſes in dictione, Sacerdotum, in 4. hæreſi. Et Conradus Klingius lib. 3. locorum commu-nium cap. 37. Et Alphonſus Virneſius Hiſpanus in 18. Philippica diſputatione.

¶ Hoc impium Papiſtarum de coniugio dogma pu-gnat, non tantum cum manifeſtis ſcripturæ ſanctæ teſti-monijs, verum etiam cum expreſsis PATRVM hac de re ſententijs, & vetuſtis Canonibus Eccleſiæ ac Conci-lijs. Sic enim ſcribit Auguſtinus in lib. de bono coniugali ad Iulianum. diſt. 27. c. Quidam.

*Teſtimonia Patrum.*

Quidam nubentes poſt votum aſſerunt adulte-ros eſſe: ego autem dico vobis, quòd grauiter pec-cant, qui tales diuidunt.

*Et Cyprianus Epiſtola 11. lib. 1.*

Si virgines perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, poſtquam decreuerunt, melius eſt ut nubant, quàm vt in ignem delitijs ſuis cadant. Certè nullum fra-tribus, aut ſororibus ſcandalum faciant.

*Item, Diuus Ambroſius præclarè ſcriptum reli-quit in diſtinct. 26. ca. Qui ſine.*

Qui ſine crimine, ait, vnius vxoris eſt vir, tene-tur ad legem ſacerdotij ſuſcipiendi.

*Item, Diuus Chryſoſtomus de uerbis Eſaiæ:*

Vidi Dominum, Homil. 4. ſcribit, Philippum quatuor

quatuor habuiſſe filias, & Petrum baſin Eccleſiæ, & amatorem Chriſti, coniugem enutriuiſſe.

*Et in Homilia de inuentione Crucis ſic loquitur:*

Primus gradus caſtitatis eſt ſyncera virginitas. Secundus fidele coniugium. Ergo matrimonium non eſt ſtatus immundus, ſed caſtus.

CONCILIVM GANGRENSE *diſtinct. 3. cap. Si quis nuptias, ita decreuit.*

Si quis nuptias in accuſationem duxerit, & mulierem fidelem ac religioſam, cum viro ſuo dormientem, abominandam crediderit, aut etiam accuſandam, anathema ſit. *Conciliorum teſtimonia.*

DENIQVE CANONES, *diſtinct. 31. cap. Quoniam.*

Quoniam cautum eſt, ne foueretur cœlibatus, & ut à communione fidelium arceretur, qui propter Eccleſiaſticos ordines ab vxore ſua ſe ſeparet. *Canonum teſtimonia.*

*Et diſtinct. 28. cap. Si quis.*

Si quis docuerit, Sacerdotem ſub obtentu religionis propriam vxorẽ contemnere, anathema ſit.

¶ Ex quibus omnibus planiſsimum fit, matrimonium eſſe vitæ ſtatum honeſtum, caſtum, & DEO placentem: Et inuicem, cœlibatum Papiſticum, plenum eſſe offenſionum, ſcandalorum, & impuritatis: quemadmodum Aeneas Syluius (qui & ipſe Pontifex factus fuit) lib.

 ſecundo

ſecundo de Baſilienſi Concilio, ſcribit conſultum fore & & vtile Eccleſiæ, ſi multi Clerici & ſacerdotes coniugio vterentur: Quoniam multi, inquit, ſaluarentur in Sacerdotio coniugato, qui ſterili in presbyteratu damnantur. Atq; idem iam Pontifex factus, inter cætera hoc frequenter vſus dicitur apophtegmate feſtiuo: Sacerdotibus magna ratione ademptum coniugium, maiori reſtituendum fore: vt Platina & Sabellicus referunt. Sed quæ fuerit illa ratio, ſatis falsè indicat Eraſmus in Annotat. 1. Timoth. 3. cap. inquiens: Etiam atq; etiam vereor, ne cenſus Eccleſiaſtici caſtrent hodiè Clericos verius, quàm pietas, dum metuimus, ne quod tenemus, intercipiatur, aut certè nihil accedat.

*Quare prohibeant coniugium Papiſtici.*

QVod autem PAPISTAE coniugium legitimum pro impuro & prophano vitæ genere reputent, quod pietati, &, vt loquuntur, perfectioni Chriſtianæ non expediat & inimicum ſit, id ſatis oſtendit Canon Propoſuiſti D. 82. quo etiam exponitur ratio, cur ſacerdotibus interdictum ſit coniugium:

*Quòd qui in carne ſunt, Deo placere non poßint.*

Interpretatur ergò Canon in carne eſſe, pro in coniugio eſſe, &c.

*Item, ad Tit.* 1.

*Mundis omnia munda, inquinatis autem, & infidelibus*

*libus nihil eſt mundum.* Coniuges ergò ſunt in hoc Canone inquinati & infideles.

*Item, Leuit. 19. 1. Pet. 1.*

*Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Coniuges ergò ſunt prophani.

*Sic & Thomas de Aquino.*

*Ad perfectionem tendentibus, maximè uitandum eſt uinculum coniugale.*

*Author Rationalis diuinorum dicit:*

*Non expedit homini ad regnum cœlorum tendere uolenti, nubere.*

Idem latè defendit Guilielmus Lindanus in 4. lib. Panopliæ, cap. 98. & Ioannes Caſpar Brettanus, Cæſareus Sacellanus in locis Theologicis tit. 16. Pighius, Alphonſus, & Klingius in locis paulò antè adductis, & antè illos Eccius in ſuo Enchiridio, loco 19.

## DE DONO SANANDI, & vnctione Papiſtica.

IN ECCLESIA DEI DIVINITVS MANDAtam conſtat precationem publicam pro pijs, qua ægroti & alijs aduerſitatibus laborantes Eccleſiæ precibus publicis Deo piè commendantur; neq; ea precatio inanis eſt. Medicatio etiam ordinaria,

naria, & curatio medica ægrotorum, qua corporis incolumitas conſeruatur aut reſtituitur, licita manſit: quemadmodum ſcimus multos ex Patribus, Prophetis & Sanctis in Eccleſia profeſsione medicos fuiſſe: & dono ſanandi Apoſtolos diuinitus ornatos conſtat.

PAPISTAE contrà, hæc in ſuperſtitioſam cæremoniam & ludibria conuerterunt, conſecrato aut magico potius oleo morituros perungentes, cui addunt mortuorum inuocationes impias: ac docent morituros qui his vnctionibus vtuntur, conſequi remiſsionem peccatorum omnium, quæ externis membris admiſerunt.

Ita enim ſonant verba quæ ad vnctionē demurmurat ſacrificulus: *PER iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi DEVS, quidquid peccaſti per uiſum, per auditum, odoratum, tactum, & guſtum.*

Hæc impia eſſe et contumelioſa in meritum filij Dei manifeſtiſsimum eſt: tribuere creaturæ & oleo rancido, quæ tribuenda eſſent vulneribus CHRISTI. Hoc quid eſt aliud? quàm deturbare CHRISTVM de loco ſuo, & idolum reponere.

## DE TRADITIONIBVS Pontificijs.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS INSTITVTIS ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, aut ſatisfaciendum pro peccatis, expreſſe vtitur CHRISTVS in Euangelio regula, quæ

quæ extat apud Eſaiam Prophetam: FRVSTRA ME COLVNT MANDATIS HOMINVM. Et experientia ipſa docet, ſæpius in Eccleſia traditiones humanas impediuiſſe & obſcuraſſe diuina mandata.

Has autem in tantum fuiſſe cumulatas in Eccleſia & in immenſum excreuiſſe conſtat, vt nullo numero comprehendi poſsint: In quibus religio Papiſtica adeò conſumitur vniuerſa, vt immenſi libri, imò totæ Bibliothecæ de illis extent, ne ſyllabam quidẽ de mandatis diuinis, de Chriſto, aut fide in Chriſtum continentes. Neq; eas principaliter ordinis boni cauſa obſeruandas præcipiunt Pontifices, ſed quod ſint cultus utiles & neceſſarij ad promerendam remiſsionem peccatorum & gratiam, ad placandum DEVM, & ſatisfaciendum pro peccatis.

Ex quo genere ſunt, quæ exempli & poſteritatis cauſa, vt ex infinitis pauca quædam, commemorabimus.

*Idola Papiſtica, & cultus ſuperſtitioſi.*

*Imagines crucis indulgentiarum.*

*Statuæ & imagines cæteræ.*

*Altaria, in quibus celebrentur miſſæ, & ſacrificia fiant.*

*Miſſæ priuatæ quæ in ſingulis templorum angulis fiunt, pro uiuis & mortuis.*

*Miſſa de corona ſpinea.*

*Miſſa de tribus clauis.*

*Miſſa de præputio Chriſti.*

*Miſſa pro nauigantibus.*

Miſſa

*Miſſa pro equeſtri aut pedeſtri itinere peregrinantibus.*

*Miſſa pro grauidis.*

*Miſſa pro parturientibus.*

*Miſſa pro ſterilibus.*

*Miſſa pro febri quartana aut tertiana laborantibus.*

*Vigiliæ pro defunctis.*

*Dies ſeptima & trigeſima anniuerſaria.*

*Purgatorium.*

*Statuæ & imagines Sanctorum, & inprimis beatæ Virginis MARIAE, redemptricis & ſaluatricis.*

*Adorationes imaginum & ſtatuarum.*

*Peregrinationes ad loca religioſa & diuorum ſtatuas.*

*Inuocationes Sanctorum mortuorum.*

*Oſſa & reliquiæ Sanctorum.*

*Fraternitates.*

*Templorum dedicationes.*

*Dedicationes Altarium.*

*Conſecrationes imaginum & ſepulchrorum.*

Camp

*Campanarum baptiſationes adhibitis patrimis ſeu ſuſceptoribus.*
*Ciborum diſcrimina & delectus.*
*Veſtes religioſæ & conſecratæ, quæ indutæ ſanctimoniam ſingularem afferrent.*
*Horæ Canonicæ.*
*Proceſſiones religioſæ ſeu dies Crucis.*
*Conſecratio et unctio Sacerdotũ et ſacrificulorum.*
*Vnctio infirmorum.*
*Chriſma ſeu unctio infantium in Baptiſmo, & adultorum in confirmatione.*
*Tonſoriſtæ.*
*Acolyti, uel rectius Acoluthi.*
*Subdiaconi.*
*Lectores { Euangelij / Epiſtolarum } in Miſſa.*
*Miſſifici Sacerdotes.*
*Tonſiones & raſuræ uerticis.*
*Caſulæ.*
*Albæ, & cæteræ ueſtes lineæ chorales.*
*Candelabra.*
*Cerei conſecrati & lucernæ:*

*Lampades,*

*Lampades, ampullæ, & faces.*

*Tabulæ pictæ.*

*Vexilla.*

*Thuribula.*

*Thymiamata & odorata.*

*Monſtrantiæ.*

*Ciborium ſeu repoſitorium, uel theca, in qua aſſeruatur panis Idolatricus.*

*Campanellæ, Cymbala, nolæ, & crepitacula.*

*Aquæ benedictæ ſeu conſecratæ.*

*Sal conſecratus.*

*Herbæ conſecratæ, quibus fugantur cacodæmones.*

*Cineres conſecrati, & eorum ſuſceptio.*

*Pannus quadrageſimalis.*

*Imagũculæ Sanctorum, pannis inuolutæ, per quadrageſimam ceu crepundia.*

*Ieiunium quadrageſimale.*

*Letania qua inuocantur ſancti.*

*Salue Regina, hymnus.*

*Confeſſio auricularis, quæ ſacerdoti fit in aurem.*

*Satisfactiones ſeu emendæ pro peccatis.*

Roſariorum battologiæ.
Rami palmarum conſecrati.
Aſinus palmis coronatus.
Cœna Domini ſub una ſpecie.
Oſculum Crucis & adoratio.
Crux reponenda in ſepulchrum Domini.
Preces matutinæ, quæ fiunt cum ſolenni tumultu ad ſepulchrum Domini.
Strepitus qui fiunt inſtrumentis ligneis in templis die paraſceues Domini.
Conſecrationes ignis.
Placentarum benedictiones.
Conſecratio cerei Paſchalis.
Proceſsiones & peregrinationes religionis ergò, quæ fiunt in die S. Marci, & in hebdomade Rogationum.
Eleuatio ſtatuæ ligneæ, & deiectiones ignis & aquæ, in die Aſcenſionis Domini.
Spectaculum, quo columba lignea in die Pentecoſtes ex alto demittitur.
Feſtum corporis Domini, quo circumgeſtatur panis idolatricus pompa theatrica.

M Infiniti

*Infiniti dies feſti, mandati ſub pœna excommunica-tionis & debita obedientia.*

*Indulgentiarum nundinationes, quæ fiunt iam di-ctis & alijs feſtis.*

*Ablutio pedum in die cœnæ Domini, pridiè paſ-*

*Ablutio Altarium. (raſceues.*

*Item imago crucis, quæ ex cera conficitur, adhibi-tis certis preculis, & uulgò Agnus Dei dicitur, cui tri-buunt eandem uim diuinam, quæ ipſi filio Dei, qui uerè eſt Agnus Dei, tribuitur: qua de re extant uulgati uer-ſus, pleniſsimi impietatis.*

Lib. 1. Ceremoniarũ Curiæ Romanæ, tit. 7. in fine.

*Balſamus, & munda cera, cum chriſmatis unda,*
*Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum*
*Fonte uelut natum, per myſtica ſanctificatum.*
*Fulgura de ſurſum depellit, omne malignum*
*Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit,*
*Prægnans ſeruatur, ſimul & partus liberatur,*
*Munera fert dignis, uirtutem deſtruet ignis,*
*Portatus mundè, de fluctibus eripit undæ.*

*Scribitur autem, Vrbanum V. Pontificem miſiſſe cum his uerſibus tres Agnos Dei ad Imperatorem Græcorum.*

*Oſculum pacis, & Arrhabo.*

*Roſa aurea, & facies Veronicæ.*

*Item, Initium Euangelij S. Ioannis, incluſum cer-tis ſchedulis, ac de collo ſuſpenſum, & quæ ſunt ſimiles nugæ infinitæ.*

*Hæc*

Hæc autem, quæ hactenus enumerauimus, ſuperſtitioſa, idolatrica & impia dogmata, & multò hís plura, ac ſimilia, in Papatu inualuiſſe, atq; etiamnum vigere & defendi, id nemo ignorare poteſt, & res loquitur ipſa, in omnium defixa adhuc oculis: neq; quiſquam tàm duro eſt ore, qui id negare auſit. Pleni etiam ſunt hac de re libri Pōtificiorum ſcriptorum, imò Bibliothecæ totæ, quæ in his nugamentis colligendis & explicandis vniuerſæ conſumuntur. Ipſa etiam res adhuc in conſpectu hominum, & præ oculis verſatur, plurimis in locis, vbi Papiſtæ obtinent regnum, & quotidianam harum cæremoniarum & nugarum praxin exercent.

AT VERO, aduerſus hæc ſcriptura diuina æternum, immutabile & expreſſum Dei mandatum hoc nobis proponit: FVGITE IDOLATRIAM: Item: Cauete vobis à falſis Prophetis: quo ſeuerè præcipitur, vt vitemus dogmata impia, et verbo Dei contraria, ac ſeiungamus nos ab his, qui in Eccleſiam Chriſti errores & manifeſta idola inuehunt, nec communicemus quicquam cum peccatis alienis, neq; etiam tales ſalutatione dignemur per viam: imò ſi vel Angelus de cœlo aliud Euangelium nobis adferret, quàm quod traditum eſt in ſacris literis, nihilominus illud conſtanter anathema dicamus, atq; iudicemus. Beatus enim eſt (vt primus Pſal. ait) vir, qui nec ambulauit in conſilio impiorum, nec in via peccatorum ſtetit, nec in cathedra peſtilentiæ ſedit, ſed in lege Domini meditatur die ac nocte, &c.

IDEM etiam piè traditum eſt Canonibus Eccleſiaſticis, præcipientibus, vt nos ſeiungamus ab idolatris, nec quicquam commune cum illis habeamus. Sicut teſtatur D. Auguſtinus in Homilia de Pœnitentia, et refertur in ca. Multi porri-

ti porriguntur 2. q. 1. videlicet cum Idolorum cultoribus non eſſe communicandum.

Idem traditum eſt in cap. ad menſem 11. q. 3. Et præclarè ſcribit D. Hieron. ſuper 12. Prophetas. quod refertur in cap. Quando ergò 11. q. 3. his verbis: Quando vir prudens atq; intelligens multas impietates in ea, quæ vocatur Domus Dei, eſſe cognouerit: & non ſolum multas, ſed etiam fortes, & quæ opprimere poſſunt iuſtitiam, & in tantũ doctorum rabiem proceſsiſſe, vt accipiant preciũ in iudicio, et omnia pro munerib. faciant: pauperes deuitent in portis, et audire contemnant: taceat in illo tempore, ne det ſanctum canib. & ne mittat margaritas ante porcos, q̃ conuerſi cõculcent eas, ſed imitetur Hierem. dicentem: Solus ſedebã, quia amaritudine repletus eram. Deniq; idolatra, ſeu cultor idolorum dicitur hæreticus: vt Canones paſsim teſtantur, & tradit Iacobatius in tractatu de Concilio lib. 4. articulo 4. circa finem. At hæreticum & idolatram eſſe vitandum clamant omnes Canones.

¶ Atq; hactenus quidem grauiſsima et neceſſaria ratio expoſita ſit, qua, propter erronea, & manifeſtè impia dogmata per Papatũ in Eccleſiã Dei inuecta, Status et Imperij Ordines, q̃ Confeſsionem fidei Imp. Carolo V. Auguſtæ exhibitam, amplectuntur, diſceſsionem ab aduerſarijs neceſſariò fecerint. In quo quidem res ipſa oſtendit, eos gloriæ diuinæ & ſalutis animarum præcipuam & neceſſariam duxiſſe rationem, Vt ex magna caligine & multiplici deprauatione doctrinæ cœleſtis, per Monachos & Pontificios inuectæ, veritas diuina rurſus in lucem ſuam aſſereretur, & tàm in doctrina, quàm in Sacramentis pia Eccleſiarum emendatio fieret.

Iam

IAM PRAETER HOS DE DOCTRINAE præcipuis articulis errores grauiſsimos, quos breuiter expoſuimus hactenus, non pauci ſunt etiam cultus Idolatrici, magicis incantationib. & ludibrijs dæmonum perſimiles, quibus Papiſtæ Eccleſiam Dei miſerrimè prophanarunt: quales ſunt magicę conſecrationes olei, ſalis, aquæ, herbarum, & ſimiles, de quibus breuiter hoc in loco videbimus: ſunt enim qui hæc idola non inſcitia, ſed manifeſta impudentia ſophiſmatum præſtigijs tueri conantur.

II. *Cultus idolatrici et magicæ ſuperſtitionis pleni in Papatu.*

## DE CONSECRATIONE PAPISTICA *Balſami & olei Epiſcopalis.*

AC primum quidem, quod ad oleum ſeu Balſamum attinet. Conſtat nobiliſsimum liquorē à DEO ad hoc datum eſſe humano generi, vt ad incolumitatem valetudinis, & medicationes, ac ſanationes vulnerum pręcipuè ſeruiret, & odore ſuauiſsimo fragrantiſsimoq; hominem reficeret. Ac vetus mos fuit politiæ Iudaicæ, per Moyſen diuinitus mandatus, vt Reges & ſummi ſacerdotes Leuitici publicè in ſignum legitimæ electionis hoc liquore perfunderētur, donec duraret ea politia, et vſq; ad aduentum veri Regis ac ſummi ſacerdotis Chriſti, MESSIAE promiſsi.

*Balſami uſus.*

At Pontifices Romani creaturam hanc ad vſum corporalem & externum ordinatam à Deo, manifeſta audacia, contrà ordinationem Dei transferunt ad ſpiritualem vſum, ad deletionem peccatorum, ad diabolorum depulſiones, & gratiæ infuſionem ac donationem ſpiritus ſancti: affinguntq; has vnctiones eſſe Sacramenta per quæ Deus

*Conſecratio Balſami Papiſtica & magica.*

perinde ſit efficax, ſicut per Baptiſmum ab ipſo ordinatum: Tetra etiam impietate & quæ ſpectanti horrorem adferat, perindè vt in magicis ſacris, preces & concepta verba de oleo dicunt, exorciſmos terrificos cum characteribus crucis, adorationibus & geniculationibus infinitis, ceu Plutonem ab inferis euocaturi, admurmurant. Oleum enim non niſi Epiſcopi conſecrant, multo halitu id calefacientes, multoq́ murmure, nouies genu flexu ſalutantes & ter ingeminando: *Aue ſanctum oleum, ter. Aue ſanctum chriſma, ter item: Aue ſanctum Balſamum.* Hęc enim verba in cõſecrando oleo, vſitata ſunt Epiſcopis, quibus impias, miras, & ridiculas adhibent ceremonias, non diſsimiles hiſtrionum et præſtigiatorum ſpectaculis circumforaneis.

Etſi autem his incantamentis & ritibus verè magicis adhibeant ſacrifici verbum Dei in conſecrando, item ſignum crucis venerandæ, & verba illa, in nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti omnibus preculis ſubijciant ſolenniter, nonnullos etiam Pſalmos ſacris ſuis intermiſceant: tamen, quoniam mandatum Dei manifeſtè & expreſsè vetat in vanum vſurpare nomen DEI, & conſtet peruerſo ordine, ac ſine vllo mandato temeraria audacia hominum verbum Dei his ſuperſtitioſis & diabolicis ritibus adhiberi: facile eſt intelligere, peccatum hoc tantò eſſe grauius habendum, et idolatriam hoc ipſo tantò eſſe tetriorem, quod inuocatione diuini nominis, verbo Dei, & ritu ac geſtibus grauiſsimis ad res tàm impias, & in lege Dei ſeueriſsimè prohibitas magici iſti ſacrifici petulanter abutantur.

## DE CONSECRATIONE *Aquæ.*

NOn minore impietate & inſania aquarum vſum naturalem & diuinitus ordinatum malè feriati Pontifices ad ſuperſtitionem & magica ludibria tranſtulerunt. Cum enim ad multiplices vitę neceſsitates hoc elementum Deus largitus fuiſſet humano generi: atq; inſuper in Baptiſmi Sacramēto, quo vitę æternę regeneramur, verbo Euangelij ſui aquas alligaſſet ac coniunxiſſet, vt in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti lauacrū hoc regenerationis hominum vſurparetur: Papatus manifeſto furore vſum aquæ tàm naturalem quàm cœleſtem in Eccleſia diuinitus inſtitutum, extra ordinationem Dei ad magicos vſus & impia atq; idolatrica ſacra exorciſmis ſuis conuertit: ¶ Verba exorciſmorum horrenda ſunt:

*Exorciſo te creatura Aquæ in nomine DEI † Patris omnipotentis, & in nomine IESV † Chriſti, filij eius, Domini noſtri, & in uirtute Spiritus † ſancti.* Deinde preculis ſolennibus ad aquas recitatis more Ethnico, & geſtibus miris adhibitis ſacrum abſoluunt: Ac docent eam eſſe vim huius aquę, vt aſperſione eius peccata leuiora et venialia protinus extinguātur, ſcilicet ut oleo ignis: Quaqua verſum etiā ſpargatur longiſsimè fugare & depellere cacodæmones & ſpiritus malignos: Sic enim habent verba exorciſmi: *Exorciſo te, &c. ut fias aqua exorciſata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare ualeas, cum angelis ſuis apoſtaticis, &c.*

Sic & Canon: *Aquam benedictam ſuper eos ſpargat,* vbi gloſſa addit, vt per eam tollantur venialia peccata.

Huius aquæ luſtralis conſecrandæ autorem Polydorus Virgilius lib. 5. de Inuentoribus rerum cap. 8. ſcribit fuiſſe Alexandrum primum, Pontificem Romanum, vt ad expellendos dæmones in templis & domibus priuatis aſſeruaretur.

Eſt autem manifeſta ſuperſtitio & impietas prorſus ethnica, transferre aquam ad hos vſus. Et quanquam apparet vetuſtum fuiſſe morem, ut æditui ſtantes in veſtibulis & ingreſſu templorum aſpergerent ingreſſuros, non tamen hæc eius ceremoniæ ſeu ritus fuit ratio, quòd exiſtimatum ſit, hoc modo deleri poſſe peccata aut depelli diabolos, ſed vt auditores conuenturi ad ſacra & audiendas contiones, caſta ac pura mente minimeq́ occupata ſordibus accedendum admonerentur. Quam eandē ob cauſam et S. Chryſoſtomus ſui temporis morem reprehendit, quo ſepulchra defunctorum hac aqua aſpergebantur. Quod etiam Eraſmo Roterodamo non minus diſplicuiſſe legimus in ſuppputationibus errorum Beddæ. Et conſtat Græcam Eccleſiam ſemper damnaſſe vſum aquæ conſecratæ, vt ſuperſtitioſum & Scripturæ contrarium.

## DE CONSECRATIONE
### *Salis.*

EAdem ſuperſtitione & Salis naturalem ac diuinitus ordinatum vſum magicis ſacris transformant: Cumq́ ad multiplices vſus corporales hæc creatura Dei data eſſet homini, et Propheta Heliſęus mandato diuino, aquas inſalubres & amaras Hierichuntis miraculo manifeſto ſanaſſet.

naſſet ſale adhibito, vt eſt lib. 4. Reg. cap. 2. Papiſtæ contrà mandatum Dei, aut inſcitia & praua imitatione miraculi: aut ſtultitia, creaturam Dei bonam ſacris ſuis adhibitam, preculis & exorciſmis plus quàm magicis incantant, &, ut ipſi loquuntur, benedicunt ac ſacrant.

Verba exorciſmorũ pariter horrenda ſunt ut ſuperiora: *Exorciſo ſeu obiuro te creaturam Salis per DEVM † uiuum, per DEVM † uerum, per DEVM † ſanctum, per DEVM † qui te per Heliſæum Prophetam in aquam mitti iußit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ, &c.*

Huic ſali poſtea eum vſum affingunt, quaſi nõ corporis tantum, ſed & animæ ſanitatem ſpiritualem conſeruet, peccata deleat, & quacunq; in ædibus ſpargatur, dæmones, lemures, & ludibria diabolorum pellat. Sic enim habent ſequentia verba in exorciſmo: *Exorciſo te creatura ſalis &c. Vt efficiaris ſal exorciſatus, in SALVTEM credentium, ut ſis omnibus te ſumentibus ſanitas & corporis & animæ: & effugiat atq; diſcedat ex eo loco, quo aſperſus fueris, omnis phantaſia & nequitia uel uerſutia diabolicæ fraudis, omniſq; ſpiritus immundus adiuratus, &c.*

Et mox deinde:

*Immenſam clementiam tuam Omnipotens æternæ DEVS, humiliter implorans, ut hanc creaturam ſa-*

 lis,

*lis, quam in uſum humani generis tribuiſti, bene † dicere & ſancti † ficare digneris, ut ſit omnibus ſumentibus SALVS MENTIS & corporis: & quidquid ex eo tactum uel reſperſum fuerit, careat omni immūditia, omniq; impugnatione Spiritualis nequitiæ, &c.*

Huc pertinet & Pontificis Alexandri I. decretalis prima, qua ita ſcribit: *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur ac purificentur, quod et omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus.* Et paulò pôſt:

*Etſi ſale aſperſo per Heliſæum Prophetam, ſterilitas aquæ ſanata eſt: quantò magis diuinis precibus ſacratus, ſterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinatos ſanctificat, atq; mundat, et expurgat, et cætera bona multiplicat, et inſidias Diaboli auertit, et à Phantaſmatis uerſutijs homines defendit? Idem text. extat in c. aquā ſale conſperſam de conſecrat: diſt. tertia.*

DE HERBARVM ET ALIARVM *rerum conſecratione Papiſtica.*

CReaturas Dei bonas, & ad vitæ neceſsitates diuinitus ordinatas eſſe ſcimus panem, vinum, oua, caſeos, carnes, herbas, palmos, cineres, ceram, cereos & ſimilia: quæ ſingula ordinarium & certum vſum corporalem in hac vita

hac vita præſtant. Et de ciborum vſu expreſsè ac diſertè ait Apoſtolus: ſanctificari cibos per verbum Dei & precationem, ſi cum gratiarum actione ſumantur: Ipſe etiam filius Dei mirando & inenarrabili conſilio in cœnæ ſuæ Sacramento cum pane & vino per verbũ ſuũ, verum corpus ſuũ & ſanguinẽ nobis exhibet naturali participatione.

Papatus autem has Dei creaturas omnes incredibili intemperie à vero ac diuinitus inſtituto vſu in abuſum prophanum & idolatricum audaciſsimè rapit, easq; incantamentis, obiurationibus, exorciſmis, & magicis maleficisq; artibus ac ſuperſtitionibus deprauatas, & contumelioſiſsimè tractatas, extra Dei ordinationem conuertit in ignominioſam nundinationem, qua ad delenda peccata, infuſionem gratiæ Spiritus ſancti, & diabolorum depulſionem his creaturis omnibus nefariè abutitur.

Sic enim ſonant verba impiæ formulæ, qua in conſecratione herbarum vtuntur: *Domine ſancte Pater, &c. Tu bene † dicere et ſan † ctificare digneris has creaturas herbarum, ſicut bene † dixiſti quinq; panes in deſerto, & duos piſces, & ſatiaſti quinq; millia hominum uirorũ, omnesq; qui utuntur ex eis bene † dicere, ſan † ctificare digneris, ut eis ſit ſanitas animæ, & corporis, in nomine Pa † tris, et Fi † lij, et Spiritus † ſancti: Et omnibus hominibus, pecoribusq;, qui ex hoc guſtauerint, omnem putredinem, et omnia phantaſmata diaboli, et omnẽ morbũ, et omnẽ peſtilentiã, et dolorẽ expellere digneris, &c.*

*Plerisq;*

¶ Plerique etiam ſuperſtitione reprehendenda faſciculos herbarum ſacratos, & in templis aqua benedicta, ut vocant, aſperſos, contra fulgura & tonitrua adolent, ne quid noceant, & tempeſtates ac grandines auertant aut ſiſtant, atque eo fumo vexari ac fugari malignos ſpiritus opinantur, quam ſuperſtitionem rectè reprehendit Martinus de Arles in tractatu de ſuperſtitionibus, numero 9.

### DE IDOLATRICO RITV BAPTIſandi Campanas.

CAmpanarum vſus etſi recentior ſit in templis, commodus tamen eſt ad conuocandum plebem, ut ſciant, qua hora conueniendum ſit in Eccleſijs ad conciones audiendas, & ſacra peragenda. Qua in re abſque omni ſuperſtitione rectè ad bonum ordinem in Eccleſia ſeruandum, ſicut alijs rebus externis & indifferentibus, ita etiam campanis & crepitaculis vti poſſumus.

At Pontificiorum ſapientia præpoſtera neque harum rerum vſum incontaminatum à ſuperſtitione reliquit, ſed portentaſos cæremonias, impietatis & dementiæ pleniſſimas, repperit, quibus etiam campanæ diuini nominis prophanatione deteſtanda et ſumptibus grauiſsimis incantarentur, ad hoc, vt earum pulſu & ſonitu, tempeſtates grauiores fulminum, grandinis, tonitruorum in aëre ſedarentur, & ſpiritus maligni ac cacodæmones aërem turbantes procul fugarentur.

¶ Qua de re etiam verba fuerunt facta olim apud optimum maximumque Imperatorem Maximilianum I. cum grauamina, quæ extant, eorum temporũ, aduerſus Romanam ſedem

nam ſedem collígerentur: Verba grauaminis huius ita habent:

Item ſuffraganei excogitauerunt, vt ſolum ipſi, & nullus alius Sacerdos Laicis campanas baptizent. Credunt deinde ſimpliciores, ita affirmantib. Suffraganeis, tales campanas baptizatas, dæmones & tempeſtates pellere. Quapropter innumeri plerunq; adhibentur compatres, præcipuè verò, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, qua campana ligata eſt, tangunt, ac ſuffraganeo præcinente (quemadmodum in paruulorum baptizatione fieri ſolet) omnes pariter reſpondent, ac campanæ nomen ingeminant, veſteq; noua (quemadmodum & Chriſtianis fieri ſolet) campana induitur. Inde ad ſumptuoſa properatur conuiuia, quibus præcipuè compatres, ut eò largius munera offerant, adhibentur: nec non ſuffraganei et eorum capellani cum multis alijs miniſtris regaliter paſcuntur. Nec hoc ſatis eſt, ſed & ſuffraganeo mercedem perſoluere neceſſe eſt, quam illi munuſculum vocare ſolent. Inde euenit, vt aliquando etiam in paruis villis, centum floreni in tali abſumantur & expendantur baptizatione. Quæ res non ſolum ſuperſtitioſa, ſed etiam Chriſtianæ Religioni contraria, ac ſimpliciorum ſeductio, & mera eſt exactio. Veruntamen Epiſcopi, vt

ſuffra-

ſuffraganeos, vel viliſsima obærare poſſunt mercede, talia, & adhuc abſurdiora tolerant. Res igitur tam nephanda, & illicita, meritò aboleri debet.

Ad hæc, Campanarum pulſu, qui in funeribus faciendis de conſuetudine adhibetur, Papiſtici tradiderunt cacodæmones ſeu malignos ſpiritus abigi: Itaq; in fœmineo funere bis pulſandas, in virili autem ter, in ſacerdotis funere quoties is ſacratus eſſet: quod etiam retulit Ioan. de Selua Pariſienſis, in tract. ſuo de beneficio 1. parte, q. 5. n. 99.

Atq; hinc eſt quod morituris, præſertim ditioribus & opulentioribus, ſacrificuli & monachi inter cætera & hoc identidem ac ſedulò prædicant & inculcant, quantum ad ſalutem animarum momenti habeant campanarum pulſationes, quæ fiunt in funeribus & exequijs mortuorum. Vnde & plerumq; in funeribus opulentioribus, ſi pecunia ſatis larga interueniat, campanæ omnes omniaq; tintinnabula & æra auxiliaria in turribus perſonant & multum fatigantur. Quam ſuperſtitionem non vno in loco etiam Eraſmus Roterodamus deriſit.

¶ Sunt qui ridicula ſuperſtitione credant, Campanarum pulſatione in die S. Ioannis aut in vigilia S. Agathæ facta, non tantum dæmones profligari, ſed & lamias & incantatrices impediri, quòminus huc illuc ferri per aërem poſsint, aut damnum dare: quod etiam apud Papiſtas multis ſuperſtitioſè perſuaſum fuit, ut idem refert, quem modò diximus, Martinus de Arles in d. tractatu de ſuperſtitionibus, num. 8. & 9. & 14.

Ac non raro ad pompam & oſtentationem eadem ceremonia adhibetur, quemadmodum ſcribit Albericus de Roſate,

Roſate, iuris interpres celebris, in dictionario ſuo, in verbo Campana: magna contentione agitatam fuiſſe in Curia Romana hanc queſtionem: An Monachis Ordinis prædicatorum liceret pluribus vti Campanis, contrà quam traditum ſit in cap. Patentibus: vbi Hoſtienſis & Abbas: DE priuilegijs.

Et paulò poſt idem ſcribit, ſimiliter multis ſumptibus & impenſis litigatum fuiſſe in Curia Romana inter Monachos diuerſorum ordinum, Vtri ordini iure competeret vt præ cæteris pulſarent Campanam in vrbe ad preces illas matutinas, quas AVE MARIA vocant, de more faciendas: Et poſt multam contentionem tandem pronunciatum fuiſſe iudicialiter, Ei ordini ius hoc competere, qui è ſomno prior euigilaſſet ac ſurrexiſſet prior.

Mittamus interim, quod iure Pontificio ſtatutum eſt de campanis, vt dum Eccleſia aliqua aut populus aliquis excommunicatus eſt ſeu interdictus, ne ulla interea campana ibi pulſetur, nec magna nec parua, neq; in templis neq; extra templa, neq; in Miſſa neq; alijs operis diuinis, quemadmodum per Bonifacium VIII. conſtitutum fuiſſe legimus in c. alma mater §. adijcimus de ſentent. excommunic. Quod etiam intelligendum voluerunt de tertianis horis, quas vocant, & nonis, cæteriſq; omnibus, ut tradit ibidem Philippus Francus num. 4. & Nicolaus Plouius de Eccleſiaſtico interdicto, Regula 19: licere tamen in honorem beatæ virginis mane et veſperi pulſare campanam ad preces ſalutationis Angelicæ dicendas, quas AVE MARIA vocamus. Sicut ſæpe Conſultus Ioannes Calderinus in tractatu de Interdictis in prima parte, numero 97. reſpondit.

Ratio autem huius iuris conſtituendi, cur campanæ tempore interdicti ſileant, hæc traditur: quia ſæpe ob delictum ſubditorum, impeditur lingua prædicatorum: quæ cauſa etiam fuit, cur in hebdomade ſancta, quæ dicitur, toto triduo illo quod diem reſurrectionis Domini proximè antecedit, campanarum omnium pulſatio ſiſtatur. quando quidem & Apoſtoli eo triduo abditi conticuerint, ut autor eſt Speculator in rationali diuinorum, & placuit Ioan. de Selua in d. tractatu de beneficio q. 5. n. 99.

Quæ quidem omnia breuiter à nobis commemorata hactenus, ſatis manifeſtè arguunt verisſimum eſſe, quod ab initio diximus, Papatum non tantum erroribus & corruptelis in doctrina multiplicibus laborare grauiter, ſed etiam magicis ſuperſtitionibus, & incantationibus horrendis, obiurationibus ac præſtigijs diabolicis inundatum ac propè demerſum eſſe, ornamentis omnibus amisſis.

¶ Conſtat autem, quanta ſeueritate Scriptura ſacra præcipiat fugiendas eſſe incantationes omnes, & præſtigias diabolicas, nec ferendum vllum in Repub. ſeu Eccleſia incantatorem uel magum: quemadmodũ eſt in Deut. cap. 18.
„ Non ſit inter vos veneficus vel incantator, &c. Ab-
„ ominatur enim Dominus, quicunq; iſta facit.

Pari ſeueritate & Canones Eccleſiaſtici prohibent incantationes & obiurationes. Et decretum factum fuiſſe Laodicenſi Concilio c. 30. eos qui incantationibus vtuntur, ab Eccleſia eſſe eijciendos, teſtatur Canon non oportet, 26. q. 5.

Itemq; Carthaginenſi Concilio: Incantationibus ſeruientem, &c. à conuentu Eccleſiæ ſeparandum. Eſt c. Augurijs ead. cau. & quæſt.

Eſt & iure ciuili grauiſsimarum pœnarum commina‑tione omnis magica incantatio prohibita, quemadmodum ex conſtitutione Conſtantini Imp. clarum eſt, quę inter cę‑tera ſic habet: Nullus ſacerdos, nullus eorum qui huic ritui adſolent miniſtrare, ad limen alterius ac‑cedat. ſed huiuſmodi hominum amicitia, quamuis vetus, repellatur, &c. l. 3. C. de Ma‑leſic. et Math.

Adeoq́ inuiſæ fuerunt Impp. conſtitutionibus & iuri ciuili incantationes omnes ſeu ἐπῳδοί vt etiam vſus earum ad finem boni prohiberentur ſimpliciter, quemadmodum teſtatur l. vnica C. de theſauris, lib. 10. cum qua conſenti‑unt & Canones 26. q. 2. c. illos, et, c. ex tuarum, extra de Sortilegijs, et c. fin. vbi gloſ. eo tit.

Quin & honeſtioribus Ethnicis & legibus duodecim tabularum incantationes ac faſcina diſplicuerunt & im‑probabantur, qua de re copioſius legere eſt apud Ayma‑rum Riuallium, in hiſtoria iuris ciuilis & Pontificij, num. 106. & 107.

Quæ cum ita ſint, cumq́ verbi Diuini teſtimonijs edo‑cti Status & ordines qui ſunt Confeſsionis Auguſta‑næ, certò ac manifeſtè deprehendant, Papatum va‑rijs erroribus & ſuperſtitione multiplici obruiſſe ac pro‑phanaſſe Eccleſiam Dei, neceſſariò faciendum ſibi exiſti‑marunt, ut propter gloriam Dei, & ſalutem ſuam, ſuorum‑que, diſcederent à Papatu, & veritatem agnitam pro ſua virili parte contra Pontificios conſtanter, pro eo ac de‑cet, adſererent.

III. *Pontificũ tyrannis Eccleſiæ grauis & intollerabilis.*

IDQVE PRAETER SVPERIORES RATIOnes, etiam ob hanc cauſam grauiſsimam, quod Pontificum Romanorum dominatus præpotens, & tyrannis quam in Eccleſiam Dei prætextu impio miniſterij Eccleſiaſtici duriter exercet, vero Eccleſiæ miniſterio ex diametro, quòd dicitur, repugnet, & Eccleſiæ intollerabilis minimeq; ferenda ſit.

Cum enim filius Dei, Dominus noſter CHRISTVS, miniſterium Euangelij in Eccleſia præciperet Apoſtolis, dicens Petro: Tibi dabo claues regni cœlorum: quidquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis. Et ad Apoſtolos omnes: Accipite ſpiritum ſanctum, quorumcunq; remiſeritis peccata, remiſſa erunt eis: quibus verbis miniſterium docendi Euangelij, quæ verè ſunt claues regni cœlorum, Petro & cæteris Apoſtolis commendat, docens quod credentes Euangelio de filio Dei, per Apoſtolos iuxta ipſius mandatum hîc in terris annunciato, remiſsionem peccatorum etiam apud Deum in cœlis conſequantur, & fide accipiant: qui uerò Euangelium contemnant, & huic voci minus credant, his retineri peccata, & damnari etiam in cœlis. Hæc & ſimilia Scripturæ dicta Pontifex Romanus interpretatione peruerſa atq; impia, ad ſtabiliendam tyrannidem & dominatum ſuum in Eccleſia detorſit, iactans ſe tenere ſedem Petri Apoſtoli, & vicarium eſſe Chriſti, datamq; ſibi poteſtatem omnem in cœlo, & in terra, adeoq; apud inferos & in purgatorio.

*Matthæi 16.*

*Ioannis 20.*

1. *Pontificis Ro. præpotẽs dominatus apud ſuperos & inferos.*

Et in cœlo quidem liberrimam habere ſe poteſtatem canonizandi ut vocant, hoc eſt, referendi in Diuorum numerum quoſcunq; velit pro libito, etiam inuitis Cardinalibus: vt

bus: vt prolixè docet Troylus Maluitius in tract. de Canonizatione ſanctorum, in. 3. dubio. Angelis etiam imperandi, vt animas ex purgatorio reducant in cœlum.

In terra autem vtrumque gladium ſe habere, hoc eſt, & ciuilem & ſpiritualem ſeu Eccleſiaſticam poteſtatem, qua & ſummus ſit Epiſcopus, & autoritatem ſupra Reges & Imperatores habeat talem, vt cum vacant regna, ad ipſum pertineat præficere Reges, & eoſdem pro arbitrio remouere. Item, ut obedientiam ei Reges debeant in cauſis politicis, & ipſe liberè poſsit ſubditos regum & magiſtratus politici pro arbitrio à fide & obedientia quam magiſtratui ſuo quiſque debet abſoluere.

At in purgatorio & apud inferos eam habere ſe poteſtatem ut indulgentijs, quibuſcunque & quotcunque velit, animas pro libitu euocare ex orco poſsit, & à cruciatibus inferiorũ liberare, vt eſt in Bulla Clementis VI. & apud Antoninum parte 3. tit. 22. cap. 16.

RVrſus, Apoſtolus ſoli filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto hoc elogium tribuit, quod in ipſo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi ſint. 2. *Papa omniſcius, plenus ſapientiæ.*

At Bonifacius VIII. Pontifex contrà iactat ſe iura omnia habere in ſcrinio pectoris ſui.

CHriſtus Apoſtolis ſuis ait: Reges gentium dominentur eis, & qui poteſtatem habent benefici ſalutantur: vos autem non ſic. *Matth. 20.*

3. *Papa utriuſque poteſtatis ius habet.*

Item:

Sicut miſit me Pater meus (nimirum non ut mi-

Luc. 22. hi miniſtraretur, ſed vt ego miniſtrarem alijs) ita
„ ego mitto vos. *Et Paulus Apoſtolus Corinthijs ſcribens:*
„ Quis inquit Paulus? Quis Apollo? Miniſtri
1. Corinth. 1. ſunt, per quos vos ad Chriſtum cõuerſi credidiſtis.
PAPA contra hæc, iactat ſe iura terreni ſimul & cœleſtis regni poſsidere, à Chriſto demandata: Et de hoc
Pſalm. 8. ſuo dominatu verſum Pſalmi accipiendum docet: *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſos: inſuper & pecora Campi: OVES, id eſt, fidelium animas ad dextram Chriſti collocandas. BOVES, elatos Hebræorũ iugo, literæ legis aſtrictos, et inde uictimandos. PECORA quoq; campi, Ethnicos, & iniquos, per latã & ſpatioſam uiam errorũ, & uitiorũ proculdubio currentes ad gehennã. Inſuper et VOLVCRES cœli, uiros beatos, ut adorentur à cũctis ſanctorũ catalogo aſcribẽdo. Demum, PISCES maris, animas defunctorum, qui perambulant ſemitas eius in amaritudinibus commorantes, ex aquis pœnalibus per indulgentiam ex inferis educendo, &c.*

*Hui quàm magiſtralis gloſſa Pſalmi.*

Item PAPA habet omnem poteſtatem, etiam Regalem & Imperialem in toto mundo: quia conſecratur vt ſacerdos, & coronatur vt Rex, teſte Auguſtino de Ancona, in ſumma: de Eccleſiaſtica poteſtate, quæſtione prima, articulo ſeptimo.

Item Regibus tanquam ſuis vaſallis, ſuęq; poteſtati ſubiectis,

iectis imperat, vt etiam poſsit eos inſtituere, & deſtituere. q. 46. Per totam. Quin etiam in Reges Turcarum, Paganorum, & omnium infidelium iuriſdictionem habet, q. 45. Per totam: Etiam infra terram. q. 32. Per totam. Nam Chriſtus per ſuam paſsionem meruit quidem ſupremam poteſtatem ſupra omnem creaturam, ſed illam dedit, & reliquit Papæ, qui habet claues vtriuſq; poteſtatis, etiam temporalis & ęternę, etiam ſuper Paganos in toto orbe, quæſt. 23. Per totam. Et quod ab omni Rege, uel Imperatore, imò à quocunq; homine per totum orbem poſsit ad eum appellari, d. q. 45. artic. 3. & contrarium ſentientes, hæreticos iudicari, ut voluit idem Auguſtinus de Ancona in d. ſumma de Eccleſiaſtica poteſtate, quem Felinus & cæteri canoniſtæ paſsim citant, probant, & ſequuntur.

FILIVS HOMINIS non habet quo caput reclinet, inquit Dñs Matthæi 8. Et pauperes ſibi miniſtros elegit, qui omnia reliquerunt, vt eum ſequerentur, ac paupertatis ipſe fuit exemplum. 4. *Prælati Papales domini omnium temporalium.*

At iſti Pontificij Prælati & Satrapæ iactant ad ſe pertinere ius omnium temporalium, & tale quidem, vt quidquid Laici habeant proprium, id omne mera Prælatorum indulgentia & largitate habeant, ceu beneficiarij.

DENIQVE, SCIMVS Chriſtum Dominum adeò humiliaſſe ſe in hoc mundo, ut etiã tributũ perſoluerit magiſtratui, & ſe tàm à Iudæis quàm ab Ethnicis iudicari paſſus ſit. 5. *Papa & Papales immunes ab omnibus oneribus ciuilibus.*

Pontifex Romanus contrà, ſe ſuosq; ab omnibus muneribus & oneribus ciuilibus, & ab omni obedientia

magiſtratui legitimo tàm diuino quàm humano iure debi‐ta religionis obtentu callidiſsimè ſubtraxit, immunitatis ius infinitum ſibi ſumens. Qua de re paſsim varia Canoniſtæ commenti ſunt nugamenta. Sed præ cæteris lepidus eſt, Iacobus quidam de Terano, Cubicularius VRBANI VI. qui in tractatu ſuo Monarchiali, cuius initium eſt: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: Verba illa exponit temporaliter, ſcilicet antequam Chriſtus paſſus eſſet, et cœlos victor aſcendiſſet. Verba enim Chriſti Ioan. 12. Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum, exponit: id eſt, omnia Imperia, & regna mundi recuperabo, & auferam à Cæſare, Regibus, & alijs Principibus, idq́ per milites Apoſtolicos. Præcepta verò eis data, ut neq́ aurum, neq́ argentum poſsideant, ſed tantum comedant de his, quæ apponentur, exponit temporaliter: non pro tempore legationis, qua functi ſunt Chriſto in terris agente, ſed quo poſt eius aſcenſionem militauerunt in humilitate, afflictionibus, & paupertate, donec imperia, & regna mundi ſubiugaſſent: quibus ſubactis, uel conuerſis, ut ait, licitũ eſt eorum diſcipulis, regijs opibus, cultu, & delicijs uti, imperare ſubditis & alijs. Et hoc imprimis licere Papæ: quem his probat eſſe Regem Regum, & Dominum Dominantium. Imperatores verò, Reges, & omnes magnos, & paruos illius ad nutum in omnibus ſubiectos eſſe.

*Ia. Terani canoniſtæ lepidum commentum.*

At expoſitio hęc non tantum manifeſtè contraria eſt expreſſo Dei verbo, ſed etiam Patrum hac de re ſententiæ ac doctrinæ: Inter quos Baſilius, antiquorum Theologorum omniũ eloquentia, doctrina, & ſanctitate vitæ longè princeps, in Regula Monachorum ita ſcripſit: Dominus noſter IESVS, his qui eum interrogauerunt: Si licet

„ ſter IESVS, his qui eum interrogauerunt: Si licet

cenſum dare Cæſari, an non? Oſtendite, inquit, mi- "
hi numiſma cenſus, cuius imaginem habeat, & in- "
ſcriptionem? quum autem dixiſſent, Cæſaris, ſub- "
didit: Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: quæ "
ſunt Dei, Deo. Ex hoc manifeſtè docemur, quia hi "
obnoxij ſunt tributis Cæſaris, apud quos inuenitur census Cæſaris, & imago. Si ergò aliquis tale quid, etiam iuſtè ad fratres veniens, detulit, obnoxius eſt ad ſoluendum debitum. Si verò omnibus in manibus propinquorum derelictis, abſceſsit, nullus vel ipſi, vel fratribus ſcrupulus debet exiſtere. Hęc ille. Refert, & laudat Alciat. in L. placet. ſup. verbo canonicam C. de Sacroſan. Eccleſ. Et in eadem ſententia fuit etiam Albericus de Roſate in Auth. ſtatuimus num. 4. & 5. C. de Epiſc. & Cleric.

AD hæc: Ea eſt Romani Pōtificis arrogantia, vt nullius omninò cēſuram pati, nec iudiciū de ſe vllius ferre velit: Nihil etiam pudeat eū impudentiſsimæ vocis qua iactat, ſe, etiamſi innumerabiles populos cateruatim ſecum ad inferos præcipites traheret, nihil tamen hoc ipſo reprehendendum ab vllo mortalium aut arguendum fore, text. eſt in ca. Si Papa. Diſtinct. 40. Nec eſſe ſubiectum ſe illi autoritati Euangelicæ: Si peccauerit in te frater tuus, &c. vt voluit gloſ. in d. ca. Si Papa, & Aug. Berous in c. 1. num. 29. De probationibus.

*6. Papa iudicatur à nemine.*

CVmq; ciborū delectus ac diſcrimē pijs omnibus relictū eſſet liberrimū, vtriuſq; & Chriſti & Pauli expreſſo teſtimonio, quo dicitur: Mūdis omnia fore munda. Matth.

*7. Papa ciborū delectū prohibet in Ecclesia.*

Matth. 15. & ad Tit. 1. Papa præpoſtero egregiæ pietatis ſuæ ſtudio, cibos certos certis diebus alligauit, idq́ necessarij cultus opinione & meriti: Et tamen leges hac de re ſuas, pecuniæ interuentu, quam quiſq́ daret, variè expugnari paſſus eſt. Vnde tot diplomata Pontificia diſpenſationum ſuper butyro, ouis, lacte, caſeo, carne comedendis licitè, quæ mera ſunt aucupia pecuniarum, non modò Scripturæ, ut diximus, manifeſtè aduerſantia, verum etiam PATRVM hac de re doctrinæ ex diametro contraria. Sic enim ſcribit Cyrillus in Ioannem, cap. 13. & lib. 9. cap. 24.

Quomodo ergo cognita veritate conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa huius mundi, quibus rurſum à capite ſeruire vultis? Audi quomodo per Eſaiam huiuſmodi ieiunium Deus reſpuit, & dicit: Non hoc ieiunium elegi, dicit Dominus, neq́; diem, vt humiliet homo animam ſuam. Tu ſi uis ieiunare ſecundum Chriſtum, & humiliare animam tuam, omne tempus tibi aptum eſt totius anni, &c.

*Et Origenes in Leuit. Homil. 10. cap. 16.*

Tu ſi uis ieiunare ſecundum Chriſtum, & humiliare animam tuam, omne tibi tempus eſt aptum totius anni, imò totius vitæ tuæ dies habeto ad humiliandam animam tuam.

*Et rurſus:*

Vis tibi adhuc oſtendam, quale te oporteat ieiunare ieiunium? Ieiuna à malis actibus, abſtine à malis ſer-

lis ſermonibus, contine à malis cogitationibus, &c. Abſtinere verò à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum his, qui crucifixerunt, acceptum eſſe non poteſt, &c.

IAM VERO QVANTAM ET QVAM INFINITAM poteſtatem ac dominatum nō modò terrenum ſed prorſus diuinū Canoniſtæ & ſcriptores Papiſtici paſsim attribuant Pontifici ſuo, ferentes eum præconijs non modò in cœlum, ſed longè etiam ſuprà ſydera, id non inutile fuerit ordine & breuiter oſtendere poſteritati ſequentibus elogijs Papalium, collectis ad hoc ex diuerſis paſsim ſcriptoribus non reprehendendo ſtudio. 8. *Præeminentiæ Papalis elogia impia.*

I.

*Quòd Papa habeat cœleſte arbitrium.*

II.

*Quòd ſit ordinarius omnium ordinariorum totius mundi. Vt gloſſa dicit.*

III.

*Quòd omnia beneficia mundi ſint ei obedientialia, & manualia. Vt Bald. ait, & Ludo. Gomeſius approbat.*

IIII.

*Quòd habeat pedes plumbeos, & eſt quaſi immobilis, dans cuncta moueri. Si Aegidium Bellameram, &*

*eundem Gomeſium audimus. quod nec diſplicet D. Zaſio.*

V.

*Quòd omnes dignitates mundi præcedat. quod Clemens V. ſibi arrogauit.*

VI.

*Quòd eius poteſtas ſit ſuprema, in qua non habeat parem: ut Bald. uoluit.*

VII.

*Quòd ſicut aurum excellit plumbum: ſic dignitas Papæ excedat Imperialem.*

*Et ſicut Sol dicitur pater omnium Planetarum, & Dominus: Ita Papa ſit pater omnium dignitatum.*

*Et ſicut Luna recipit lumen à Sole: ita Imperialis dignitas à Papa: ut Innocentius III. Conſtantinopolitano Imperatori reſcribere non eſt ueritus.*

VIII.

*Quòd ſit pater uniuerſalis omnium fidelium, & omnium ouium Chriſti, Per hæc uerba: PASCE OVES MEAS, &c. ut Ioannes de Turre Cremata aſſerit.*

IX.

*Quòd idem habeat conſiſtorium cum Deo, & idem tribunal cum Chriſto.*

*Quòd*

X.

Quód Papæ commiſſa ſit tota machina ſpiritualis: & theſaurus omnis dignitatis ſit in eo, ita, ut nulla ſit dignitas ſpiritualis uel Eccleſiaſtica, cui non præſideat ipſe.

XI.

Quód omnes dignitates, omnemq́ poteſtatem, quam habuerunt omnes Patriarchæ, ſolus Papa habeat, ut Baldo uiſum eſt.

XII.

Quód Papa ſit quoddam numen, quaſi uiſibilem quendam Deum præ ſe ferens, ut Ludouico Gomeſio placuit.

XIII.

Quód Papa ita ſe habeat in Eccleſia, ſicut Sol in Planetis.

XIIII.

Quód Papa omnia iura habeat in ſcrinio pectoris, etiam ſi idiota ſit, & immemor etiam ſui: ut de Cœleſtino Papa ferunt, quod adeó obliuioſus fuerit, ut ea, quæ mané conceſſerat uni, ſero ſeu ueſperi alijs concederet: quemadmodum refert idem Gomeſius, nec omiſit D. Zaſius.

Quód

XV.

*Quòd Papa ſit omnium Princeps, et Rex Regum, & cauſa omnium in Eccleſia militantium: Si Baldo credimus.*

XVI.

*Quòd Papa omnes mortales habeat ſubditos: Vt Innocentius uoluit, quem multi alij ſequuntur.*

XVII.

*Quòd Romano Pontifici omnis humana creatura ſubſit, Idq́; omninò eſſe de neceſsitate ſalutis, ut Bonifacius VIII. in Extrauag. unam Sanctam. De maioritate, & obedien. in fine declarauit, diffiniuit & pronunciauit.*

XVIII.

*Quòd Papa ſuperioritatem ad Imperium ſine dubio habeat, & uacante Imperio Imperatori ſuccedat: & quòd Chriſtus Rex Regum plenitudinem poteſtatis Papæ in perſona Petri conceſſerit. Vt Clemens V. in Clement. Paſtoralis de re iudic. gloriatur.*

XIX.

*Quòd Papa eſt Epiſcopus totius orbis. ut gloſ. alicubi dicit.*

XX.

*Quòd primus, & maximus eſt omnium Epiſcoporum, in totam Eccleſiam Chriſti uniuerſalem prælationem habens, & cui etiam Patriarchæ, & omnes ſubeſſe debent,*

debeant, de neceſsitate ſalutis: Vt Thomas Aquinas affirmauit.

XXI.

Quòd non poſsit facere quandiu eſt Papa, ut non ſit Iudex omnium ſolus, nec poſsit à ſe abijcere ſuam poteſtatem, & iuriſdictionem: Prout gloſſæ placuit.

XXII.

Quòd Papæ tradita ſit omnis poteſtas, in cœlo & in terra. Iuxta illud: OMNIA mihi tradita ſunt à patre. Matthæi 11.

XXIII.

Quòd non ſolum ſuper omnia temporalia: ſed etiam ſuper Angelos iudex ſit conſtitutus. Iuxta illud: NESCITIS, quoniam Angelos iudicabimus, &c. 1. Corinth. 11.

XXIIII.

Quòd aſſerens, à Papa poſſe appellari ad Concilium, ſit hæreticus, ut Pius II. uoluit, quem multi ſecuti ſunt.

XXV.

Quòd è contra à Concilio poſsit appellari ad Papam. Id iuxta canones controuerſum non eſt.

XXVI.

Quòd à Papa ne ad Deum quidem appellari poſsit: ut à quibuſdam diſputatur.

XXVII.

Quòd Papa non poſsit ſe ſubmittere iudicio Concilij, Imperato-

*Imperatoris, uel alterius: quia faceret iniuriam Deo: ut Iacobatius concludit.*

XXVIII.

*Quòd omnia Concilia pendeant ab autoritate Papæ.*

XXIX.

*Item quòd ſolus ſine Concilio poßit deponere Imperatorem, ut Innocentius IIII. ſibi arrogauit, & ſucceſſoribus placuit.*

XXX.

*Quòd Papa ſit omnium Chriſtianorum, & Eccleſiæ caput ac pater, & omnes Chriſtiani ad eum, ut ad caput, & patrem debeant habere recurſum: ut ſæpe in Canonibus expreſſum reperitur.*

XXXI.

*Quòd præſit Concilio tanquam rector, & moderator totius Eccleſiæ, & paſtor Dominici gregis, & omnium Epiſcoporum Epiſcopus: ut in Ceremoniali continetur, & placet Canoniſtis.*

XXXII.

*Quòd immutet rerum naturam, ſubſtantialia unius rei applicando alij.*

XXXIII.

*Quòd poßit aliquid de nihilo facere.*

XXXIIII.

*Quòd poßit facere ſententiam, quæ nulla eſt, aliquam.*

Quòd

XXXV.

*Quòd habeat uoluntatem pro ratione, in his quæ uult.*

XXXVI.

*Quòd nemo debeat ei dicere, cur ita facis?*

XXXVII.

*Quòd poſsit de iniuſtitia facere iuſtitiam, corrigendo iura & mutando.*

XXXVIII.

*Quòd obtineat plenitudinem poteſtatis, & plenitudinem clauium, ut Baldus ait.*

XXXIX.

*Quòd poſsit ſecundum plenitudinem poteſtatis, de iure ſupra ius diſpenſare.*

XL.

*Quòd Papæ maior ſit poteſtas, quàm omniū ſanctorum, ut Baldus uoluit.*

XLI.

*Quòd Papæ poteſtas ſit abſoluta, & eam habeat ut uult, ſicut Franciſcus de Ripa reſpondit.*

XLII.

*Quòd Papa fertur contra ius, & ſupra ius eſſe, & extra ius omnia poſſe, ut Philip. Decius conſuluit.*

XLIII.

*Quòd Papa ſit omnia, & ſuper omnia, ut Baldus exiſtimauit, & placuit reliquis.*

XLIIII.

*Quòd Deus rata habeat ea, quæ facit Papa: ſi*

*Sigiſmun-*

*Sigiſmundo Lofredo Neapolitano credimus.*

XLV.

*Quòd Papa poßit facere omnia, quæ Deus facit: ut Decius non uno in loco opinatus eſt. nec Ludouicus Gomeſius diffitetur.*

XLVI.

*Quòd quicquid Papa uel approbat, uel reprobat, id omnes approbare, uel reprobare debeant: ut non paucis autoritatibus docet Quintilianus Mandoſius in Reg. Cancellariæ.*

XLVII.

*Quòd Papa nec Deus, nec Angelus, nec homo ſit, iuxta hos uerſiculos.*

*Papa, ſtupor mundi, ſolus qui maxime rerum*
*Nec Deus es, nec homo, quaſi neuter es inter utrunq́ue.*

XLVIII.

*Imò quòd Papa ſit Deus, ut Felinus dicere auſus eſt.*

XLIX.

*Quòd Papæ poteſtas maior ſit, quàm Moyſis, quia Moyſes non habuit poteſtatem, niſi ſupra populum Iudaicum: ſed Papa habet poteſtatem ſuprà omnes: Vt And. ab Exea copioſè proſequitur.*

L.

*Quòd maior ſit omni alia creatura, ac ipſius poteſtas extendat*

extendat ſe ad cœleſtia, terreſtria & infernalia, ut apud Antoninum Florenti. in ſumma eius eſt cernere.

LI.

Quòd autoritate & poteſtate maior ſit Angelo, teſte eodem Antonino.

LII.

Quòd ſuprema poteſtas Pontificis ſit à ſolo Deo, nec ab homine poßit iudicari, teſtante Apoſtolo: SPIRITVALIS homo iudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur, ut ſibi Bonifacius VIII. in ſua extrauag. unam ſanctã, arroganter tribuit. Et habetur in c. nemo, & in c. cuncta per mundum 9. q. 3. in c. nunc autem, diſtinctione uigeſima prima.

LIII.

Quòd Papa ſedeat in ſede, quam Dominus ipſi in perſona Beati Petri ſpecialiter elegit. Et hoc adeò uerum eſſe, quòd error dicentium contrarium, ſit ſimilis errori dicentium ſpiritum ſanctũ à filio non procedere: ut Thomas Aquinas uoluit, eiq; Ludouicus Gomeſius accedit.

LIIII.

Quòd ſit cauſa cauſarum, et Dominus dominantium, ſi Felinum audimus, cuius ſententia tamen multis placuit.

LV.

Quòd ſupremus ſit Dei uicarius: eumq; qui contrari-

 um di-

*um dicat, mentiri. Item, quod Papa ſit omnia, & ſuper omnia in ſpiritualib. & nõ ſit maior in hoc mundo, ſi tamẽ iuſtus ſit; uerba ſunt Baldi in peruulgata l. Barbarius.*

LVI.

*Quòd Papa ſit ſummus omnium præſul: & quicquid etiam in longinquis partibus agitur, non prius ratum haberi, quàm ſi Papæ autoritate firmatum ſit. ut Canonibus ſtatutum eſt.* LVII.

*Quòd Papa, quomodocunq; peccans, & ob mores perditiſſimos, ac graue etiam ſcandalum afferentes, non cadat à Pontificia poteſtate. ut Hieronymus Albanus inſignis Pontificius adulator, pertinaciter affirmat.*

LVIII.

*Quòd Papa S. Petro cõtrarijs morib. uiuens, nihilominus ſit uerus Pontifex. ut Conciliũ Conſtantienſe cõtra Io. Huſs. determinauit.* LIX.

*Quòd Papæ tota monarchia ſpiritualis tradita ſit, et theſaurus omnis dignitatis in eo ſit. quodq; ipſe ſit culmen Epiſcoporum, & aliorum, quos poteſt concipere intellectus, cui data ſit clauium plenitudo, & quod eius ſumma & libera ſit poteſtas, abſolutaq; ab omnibus uinculis, & ab omni regula coërcente. ut Baldo in proœmio Decretalium uiſum eſt.*

LX.

Quód non poſsit accuſari de adulterio, aut homicidio. Quia ſacrilegij inſtar eſſet, diſputare de facto Papæ, cuius facinora excuſantur, ut homicidia Samſonis, furta Hebræorum, & adulterium Iacob.

LXI.

Quód cum Papa aliquem ſuis manibus interficit, tunc ſolum in irregularitatem incidat, ut Innocentius ſentit, et Felino placet.

LXII.

Quód ſedes D. Petri Papam etiam ſanctum faciat, ut Papa Simmachus iactat, & And. Barbatia conſulendo reſpondit.

LXIII.

Quód Papa ſit Chriſtus Domini.

LXIIII.

Quód Papa ius utriuſq; gladij á Chriſto acceperit, atq; adeó ipſum quoq; Imperium ab Eccleſia dependere: & quod ita de neceſsitate ſalutis credi ac teneri firmiter oporteat. ut Panormitanus, Franciſ. Aretinus, alijq; reſponderunt.

LXV.

Quód Papa poſsit citare quemcunq;, & in quocunque loco exiſtentem, quoniam ubique eſt Dominus. ut Bartolus uoluit.

LXVI.

Quód omnia poſsit, modó contra fidem non ſentiat.

*ut Socinus: Alexander & Decius reſponderunt.*

LXVII.

*Quòd Conſtantinus Papæ non donationem, ſed reſtitutionem fecerit, cum Papa Chriſti uices gerat, cuius eſt terra & plenitudo eius, & cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. ut gloſſa impudenter tradit, et Ioan. de Lignano, Abbati, & Alexandro non diſplicet.*

LXVIII.

*Quòd Papa formam Sacramentorum ab Apoſtolis traditam poſsit immutare. ut Archidiacono uiſum eſt.*

LXIX.

*Quòd Papa ſit fundamentũ fidei, ut Canones tradũt.*

LXX.

*Quòd Papa ſuper omnia Concilia poteſtatem habeat, quod gloſſa firmat, & Geminianus ſuffragatur.*

LXXI.

*Quòd Papa ſit ſupra uniuerſalem Eccleſiam: quod in Concilio Florentino determinatum eſt.*

LXXII.

*Quòd Papa in Concilio coruſcat, ut Sol inter ſydera.*

LXXIII.

*Quòd Papæ iudicium in his, quæ fidei & ad hominum ſalutem neceſſaria ſunt, non poſsit errare. ut Ioannes de Turre Cremata in ſumma de Eccleſia libro ſecundo, ca. 109. & 110. plurib. aſſerit.*

LXXIIII.

*Quòd Papa omnium Chriſtianorum pater & Doctor exiſtat, ut Florentiæ in Concilio eſt definitum.*

LXXV.

*Quòd Papa, ut uerus Papa, errare non poßit: quia in ſolio ſuæ Maieſtatis ſedenti, ſpiritus ſanctus adſiſtit, ut Thomas Aquinas, & Caietanus tradidêre.*

LXXVI.

*Quòd Papa non poßit diminuere Pontificiam poteſtatem, neq; iuramento quidem ſe obligare, quominus poßit ea facere, quæ Pontificiæ dignitati tradita ſunt, ut Cardinalis Alexandrinus, alijq; uoluêre.*

LXXVII.

*Quòd Papa non poßit ſe ſubijcere Concilio: ut uno ore ferè omnes affirmant.*

LXXVIII.

*Quòd Papa poßit tollere ea, quæ à Concilio ſtatuta ſunt, & in decidendis Eccleſiæ quæſtionibus, opinio Papæ præferenda ſit ſententiæ patrum, ut Albanus contendit.*

LXXIX.

*Quòd Chriſtus non fuiſſet diligens paterfamiliâs, niſi aliquem uices ſuas gerentem in terris reliquiſſet, qui ea omnia poſſet, quæ ipſe poteſt. Prout Abbatis fert opi-*

*nio, citantis Innocentium & Hoſtienſem.*

LXXX.

*Quòd Papa ſit is, cui tota parere debeat Eccleſia. c. i. diſtinctione 93.*

LXXXI.

*Quòd ſi totus mundus ſentiret contra Papam, tamen ſententiæ Papæ ſtandum eſſe: ut ſine obſcuritate pronunciat Ioannes de Turre Cremata, in ſumma de Eccleſia lib. III. c. 64. in princ.*

LXXXII.

*Quòd Papa deriuatur à papillis, delicatiſsima, & nobiliſsima parte corporis. ut Ludouicus Gomeſius in Regulis Cancellariæ ſcriptum reliquit.*

LXXXIII.

*Quòd Papa habeat determinare ea, quæ ſunt fidei, & ſacræ Scripturæ ſenſus interpretari. ut latè proſequitur Ioan. de Turre Cremata, lib. II. ca. 107.*

LXXXIIII.

*Quòd Papa in tantum ſit honorandus, ut debeat oſculari in pede. ut gloſſæ & Ioan. de Platea placuit.*

LXXXV.

*Quòd non obediens Papæ, ſit morte mulctandus, ut Bonifacius de Vitulinis aſſerere auſus eſt. in Cle. I. De ætate, & qualitate num. 41.*

Quòd

LXXXVI.

*Quòd Papæ debeantur Decimæ de omnibus Parochijs, quoniam pro omnibus laboret, unde ab omnibus ſuſtentari debeat. Quod idem Bonifacius in Cle. Si beneficiorum, de Decimis, à numero quinto, uſq; ad numerum 9. ſcriptum reliquit.*

LXXXVII.

*Quòd Papæ abſolutè credendum ſit. Idq́; , ne iſtud os mentiri aſſeramus, unde ueritas oriri debet. ut Marcus Mantua reſpondit, & Bonifacius in Cle. Si Roma. n. 22. de præbendis conſtituit.*

LXXXVIII.

*Quòd Papa habeat diſpoſitionem omnium Eccleſiarum, beneficiorum, & particularium rerum. ut Philip. Corneus in conſ. 348. n. 18. & 19. n. 1. uol. reſpondit.*

LXXXIX.

*Quòd Deus Papæ ſubiecit omnes leges, et quod ipſius celſitudini nulla lex imponi poßit. ut Fortunius Gartia in lib. primo, in princ. quarta col. de pactis tradidit.*

XC.

*Quòd Deus Papæ omnes Canones ſubiecit. ut uiſum eſt Philip. Decio in c. 1. n. 49. de conſtit.*

XCI.

*Quòd Papa poßit ſolus in totum tollere pœnam tēpo-*

*ralem, in quam commutata ſit æterna per confeſſionem & pœnitentiæ iniunctionem: licet ſecus ſit in inferiore, ut placet eidem Bonifacio de Vitulinis.*

XCII.

*Quòd Papa poſsit alicui dare plenariam indulgentiam omnium peccatorum, ut apud Ioan. de Turre Cremata in diſtinctione prima de pœnitentia eſt cernere. Et qui hoc neget, eſſe hæreticum, ut Decius in conſ. centeſimo & trigeſimo ſeptimo, col. ſecunda, uoluit. n. tertio.*

XCIII.

*Quòd ſolus Papa abſoluere poſsit à iuramento, quum quis periurium incurrit, ut Alexander Soccinus, Cornæus, Curtius ſenior, Crauetta, aliiq́; reſponderunt.*

XCIIII.

*Quòd contrà Epiſtolas D. Pauli poſsit Papa ſtatuere, ut Carolus Ruinus conſ. centeſimo & nono, num. primo, in quinto uol. opinatus eſt.*

XCV.

*Quòd Papa ſit maior Paulo, & Petro par in adminiſtratione. Antonius de Roſellis in tract. de Conciliis.*

XCVI.

*Quòd Papæ poteſtas ſit maior Apoſtolo, & quod poſsit dictis Apoſtoli derogare, tenet quoq; Rot. in deciſ. primo,*

ciſ. prima. numero tertio, in nouis, & Ant. Maria in additi ad deciſ. Rotæ nouas de Bigamis num. nono.

XCVII.

Quòd ſolus Petrus uiſus ſit per mare ad Chriſtum uenire, quodq́; id myſticè deſignauerit totum orbem futurum ſub Imperio & dominatu Papæ, ut ex Anton. de Roſellis citat Marcus Mantua.

XCVIII.

Quòd Papa ea poſſit in terris, quæ Deus in cœlis. Quod non piguit adnotare Auguſtinum Berouium in c. cum tu, num. primo de Vſuris.

XCIX.

Quid? quod diſputandum non ſit, quin Papa omnia poßit, ut Maria. Socc. iunior in conſ. trigeſimo primo, num. quinquageſimo ſecundo, in ſecundo uol. intrepidè ſenſit.

C.

Quòd Papa ſit imago Chriſti, & quòd diuinus ſpiritus in humano illo corpore hoſpitetur, quod mirum eſt Marco Mantuæ, uiro in omni genere doctrinæ excellenti, quodam in conſilio imprudenter excidiſſe.

CI.

Quòd Papa ſit uiuus fons iuſtitiæ, fugans tenebras, ſicut uentus, ut à Baldo dictum eſſe refert Curtius ſenior in

*uior in conſ. uigeſimo, in fine.*

CII.

*Quód Papa recipiens pecuniam pro prælaturis, non committat Simoniam. Imó quód Curia Romana ſit facta Monarchia omnis Simoniæ. ut Reſtaurus Caſtaldus in tractatu de Imperatore aperté fatetur.*

CIII.

*Quód Deus omnia ſubiecit ſub pedibus Papæ, iuxta illud Propheticum: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Item. Minuiſti eum pauló minus ab Angelis. ut Barbatia ſomniauit.*

Pſalm. 8. & Ad Hebr. 2.

CIIII.

*Quód Papa diſpenſare poßit contra quatuor prima Concilia: Item, contra uerba Euangelij, licet non contra mentem: Si Sigiſmundum Neapolitanum audimus.*

CV.

*Quód nec Imperator, nec totus mundus poßit Papam iudicare, ſed anima ſua in manica ſua. ut alicubi Ioannes de Anania dixit.*

CVI.

*Quód Papæ omnia liceant. ut Hoſtienſi uiſum eſt, nec Ioan. de Anania diſplicet.*

CVII.

*Quód Papæ nullus ſit par, niſi Deus: Si Auguſtino Beroio credimus in rub. de offic. de lege n. 10.*

CVIII.

*Quòd Papa ſit ſponſus uniuerſalis Eccleſiæ, & caput totius Eccleſiæ. ut non uno in loco Ioan. de Turre Cremata tradidit.*

CIX.

*Quòd ſolus Papa poßit rē uni auferre et dare alteri. ut Anto. de Roſellis in tract. de Concilijs arbitratus eſt.*

CX.

*Quòd Papa poßit cum Turca fœdus inire. ut Ioan. Lupi in tract. de confœderatione principum exiſtimauit.*

CXI.

*Quòd Papa ſit potentißimus Sacerdos. ut eum uocat Paulus à Citadinis in tract. de iure patronatus.*

CXII.

*Quòd Papa ſit lumen fidei, & quaſi Sol & ſplendor unitatis. Sicut ei tribuit Antoninus de Roſellis.*

CXIII.

*Quòd Papa ſit uertex graduum. ut à Corſeto Siculo in tractatu de Regia poteſtate nominatur.*

CXIIII.

*Quòd Papæ omnes animæ ſint commiſſæ. ut continetur in tractatu Hugonis de officio quatuor prælatorum.*

CXV.

*Quòd ſit caput totius orbis. ut nominatur à Cataldino in-*

*dino in tractatu de poteſtate Papæ.*

CXVI.

*Quòd Papa nulli omnino mortalium reuerentiam facit: ſed Imperatori aliquantulum ad oſculum pedis aſſurgit, ut legitur in libro tertio ceremoniarum Curiæ Romanæ, titulo primo.*

CXVII.

*Quòd omnes mortales, cuiuſcunq; ſint dignitatis, & præeminentiæ, cùm primum in conſpectum Pontificis adueniunt, diſtantibus ſpacijs, ter debeant ante illum genu flectere, & eius pedes oſculari, ut in eodem libro Romæ ab hinc triennium impreſſo, continetur.*

CXVIII.

*Quòd Papa ſit cœleſtis aulæ clauiger & ianitor, ut in libro primo Ceremoniarum titulo primo legitur.*

CXIX.

*Quòd in publicatione electionis, proclamari & ſoleat, & debeat alta uoce: Annuncio uobis gaudium magnum, Papam habemus: ut paulò pòſt in eodem libro, titulo primo refertur.*

CXX.

*Quòd Papa poßit creare nouos Duces, et milites auratos, ut in libro Ceremoniarum, tit. ſeptimo, ad longum recitatur.*

Papa

CXXI.

Papa in Dominica Lætare Hieruſalem, &c. benedicit Roſam auream, & illam pòſt Miſſarum ſolennia, alicui magno principi, ſi quis præſens ſit in Curia, dono dat: Si autem non ſit in Curia princeps tanto munere dignus, mittitur extra ad aliquem Regem, uel principem, prout placuerit ſanctiſsimo Domino noſtro, cum conſilio ſacri Collegij. Conſueuit enim ſummus Pontifex antè, uel pòſt Miſſam, conuocare Cardinales ad circulum in camera ſua, uel ubi ipſi placeat, & cum eis deliberare, cui danda, uel mittenda ſit Roſa. Sicut paulò pòſt in d. lib. primo Ceremoniarum titulo ſeptimo, copioſè exponitur.

CXXII.

Papa in nocte natiuitatis Domini, uarijs cum ſolennitatibus benedicit enſem, quem largitur alicui principi in ſignum infinitæ potentiæ, Pontifici eius in terris uicario collatæ, iuxta illud: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Et alibi: Dominabitur à mari uſq; ad mare: & à flumine uſq; ad terminos orbis terrarum. ut extat in eodem libro primo, titulo ſeptimo.

CXXIII.

Quòd Papæ iter facienti, ſemper præferenda ſit Crux, per ſubdiaconum Apoſtolicum, & pòſt crucem

corpus

*corpus Domini ſuper equo albo, cum campanella, quem equum præcedat Clericus Capellæ cum lucerna uel face ardente, & poſt eum ſacriſta cum ferula: Et iſti ſemper inter Papam & crucem intercedant, ſicut legitur in eodem libro primo Ceremoniarum, titulo duodecimo, ſub §. De itineratione Papæ.*

CXXIIII.

Papa ex Regibus facit lectïcarios ſeruos, muliones, dextratores, et pincernas ſuos.

*Quòd cum Papa per ſcalam aſcendit equum: tunc Imperator ſtapham equi Papalis tenere debeat, & deinde ducere equum per frenum aliquantulum. Sicut in primo libro, titulo ſecundo, ſub §. ordo proceßionis, continetur.*

CXXV.

*Quòd ſi ita placeat Pontifici, ut non equo ſed ſella uehatur potius, tunc Imperatorem, uel Regem ſi quis adſit, debere ipſam ſellam cum Pontifice humeris ſuis portare. ut in eodem §. mox ſubijcitur.*

CXXVI.

*Quòd imperator in conuiuio aquam Papæ præbere debeat, ad lotionem manuum. ut in tertio titulo, d. libro primo Ceremoniarum, ſub §. de prima lotione manuum continetur.*

Quòd

CXXVII.

Quòd Imperator, uel Rex Romanorũ debeat portare primum ferculum, ad menſam Papæ. ut pauló póſt in §. De ordine & modo portandi fercula, ſubijcitur.

CXXVIII.

Quòd Imperator teneatur Papæ præſtare iuramentum fidelitatis, & obedientiæ: cuius tenor expreſſè ponitur, in Clement. unica, de iureiur. uerſi. Poſtquam, ibi, quod præſtandum Pontifici, &c. & in §. cæterum. ubi dicitur, quod de hoc non fuerit hactenus hæſitatum à retro Romanis Principibus, talia iuramenta fidelitatis fuiſſe & eſſe obedientiæ. Prout latius proſequitur Reſtaurus Caſtaldus in tractatu de Imperatore, quæſtione trigeſima ſexta.

Et extat formula iuramenti eius quod Otho I. Ioanni Papæ præſtitit. in c. tibi Domino, diſtinctione ſexageſima tertia.

CXXIX.

Quòd in exequijs Papæ prima die pro anima eius legi debeant ducentæ Miſſæ, & nouem diebus ſubſequentibus quotidiè centum Miſſæ. Sicut in primo libro Ceremoniarum, titulo decimo quinto, Parag. de ægrotatione, morte, et exequijs Rom. Pont. ad longum exponitur.

Quid

CXXX.

*Quid multis? tanta eſt ſublimitas Papæ, tanta præeminentia, tantaq; immenſitas, ut nullus mortalium id mente concipere aut comprehendere poßit, nedum ſatis exponere: ut multis rationibus probare nititur Zodericus Zamorenſis in ſuo ſpeculo humanæ uitæ, libro ſecundo, capite primo. Quem refert, & ſequitur Bartholomæus Chaſaneus, in catalogo gloriæ mundi. in quarta parte, in ſeptima conſideratione, &c.*

¶ Et hactenus quidem elogia præcipua, quæ Romani Præſulis infinitam potentiam abundè deſcribunt: Comprehenſa autem ſunt magna ex parte à Canoniſtis his malè contortis verſiculis:

*Si ſit Catholicus Papa: non iudicat ullus.*
*Erigit, & ſubijcit cathedras: diuidit, unit,*
*Mutat uota crucis: reſtaurat, & eximit ad ſe,*
*Maiores cauſæ referuntur, legitimaq;.*
*Promouet, appellare uetat, prohibet profiteri:*
*Deponit, transfert, ſuppletq;, renunciat illi.*
*Præſul, & exemptus: ſimon: iurans anathema.*
*Vel proprium, uel legati, uel lex utriuſq;.*
*Nequaquam participans: & ſi quem ſponte ſalutat,*
*Quem Canon damnat: ſibi ſoli quando reſeruat.*
*Soluitur à Papa: nec non quem regula damnat.*
*Addas ſuſpenſum caſum cum fertur ad ipſum.*
*Reſcriptum fidei: dubium quod confert bona plura.*
*Irritat infectum: legem condit generalem.*

Approbat

*Approbat Imperium, firmat, deponit, & ungit.*
*Concilium generale facit: ſanctit quoq; ſanctos.*
*Ens non eſſe facit: non ens fore, pallia ſemper*
*Portat, concedit: legi nec ſubditur ulli.*
*Appellatur ad hunc medio ſine, iudiciumq;,*
*Eſt pro lege ſuum: monachum reuocat renuentem.*
*Maius adulterio ſoluit, generaliter arctat*
*Et laxat quicquid ſponſus nocet, ordinat extra.*
*Tempora dando ſacrum: promotum promouet idem.*
*Ordinat: atq; die qua conſecratur & ipſe.*
*Viuentisq; locum concedit, iureq; priuat.*
*Inſignit Laico: ſacro donat chriſma miniſtro.*
*Summa ſede ſedet: plenusq; uicarius extat.*
*Si ſit Catholicus Papa, non iudicat ullus.*

*Hi uerſus elumbes extant apud Hoſtienſem præcipuæ autoritatis Canoniſtam in ſumma eius tit. de offic. legati. §. Quod pertinet ad officium num. 3. & referuntur etiam à Nicolào Boërio in tractatu de poteſtate legati à latere. num. 23. & 24.*

Eſt apud eundem Hoſtienſem in d. §. Quod pertinet ad officium, etiam aliud tetraſtichon, quo comprælienduntur præcipua Reſeruata Papæ, his verſiculis quoquo modo conſutis.

*Reſeruata PAPAE.*

*Reſtituit Papa, ſolus deponit & ipſe.*
*Diuidit ac unit, eximit, atq; probat.*
*Articulos ſoluit, Synodum facit generalem*
*Transfert & mutat, appellat nullus ab ipſo.*

Et, ut breuibus hæc comprælendamus omnia: Sumit ſibi Romanus Pontifex poteſtatē liberrimam, immenſam,

infinitam, & perfectiſsimam in omnibus cauſis & negotijs ciuilibus ac ſpiritualibus *pro arbitrio diſpenſandi, abſoluendi, indulgendi, commutandi, laxandi, reſtringendi, confirmandi, declarandi, derogandi, reſeruandi, & quid non? tandem ad inferos migrandi. Sicut quidam non inepte dixit: Diſpenſare eſſe cum licentia in infernum intrare. Tunc enim Papa non habet claues cœli, ſed inferni. ut egregie dixit Baldus.*

Neq; attinet pluribus commemorare vaniſsima elogia, quibus ſine modo ſcriptores Pontificij, homines nugaciſſimi, confictam maieſtatem Idoli ſui extollunt, comparantes monſtrum hoc non tantum Patriarchis, Prophetis, & Regibus ſanctis, verum etiam ipſi Chriſto: Sic enim ſonant verba quibus cõpellant Papam, impietatis & veſaniæ pleniſsima:

*Tu es Sacerdos, & magnus, & Pontifex ſummus. Tu princeps Epiſcoporum, & hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Arca Nohe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, zelo Helias, manſuetudine Dauid, poteſtate Petrus, VNCTIONE CHRISTVS.*

Hæccine demens, inflata, turgens, ac ſuperba oratio eſt? & os,

& os, quemadmodum Propheta prædixit, grandia loquens, ac contra DEVM DEORVM mirabilia, horrenda, contumelioſa, blaſphema, impia iactans: de quo & Apoſtolus: extollitur ſupra omne quod dicitur DEVS, ſedens in templo Dei, oſtentans ſeipſum tanquam ſit Deus. *Daniel. 7.* *2. Theſſal. 2.*

Quid eſt, ſi non hoc eſt ſanctum Dei nomen in vanum adſumere? eoq́; ad impietatem abuti petulantiſsimè: Ex homine multipliciter peccatore, reprobo ſenſu, numen & idolum facere, ac ſoli DEO creatori debitum honorem attribuere creaturæ, manifeſtiſsima impietate, & contra expreſſum mandatum DEI apud Eſaiam cap. 42. & 48. Ego Dominus, hoc eſt nomen MEVM: & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus.

IAM verò diſsimulandum non eſt, quòd negari ratione nulla poteſt, immoderatam hanc amplificationem Pontificiæ poteſtatis in Eccleſia, omninò aduerſari expreſſo Dei verbo & Scripturæ ſacræ. Id primum euidenter apparet ex hiſtoria ipſius Euangelij, quæ apud Matthæum Euangeliſtam cap. 20. & Lucam cap. 22. deſcripta eſt: vbi, cum inter Chriſti diſcipulos exorta eſſet contentio de primatu, quis inter eos præ cæteris maior habendus eſſet, Dominus dirimens certamen ait: Reges gentium dominantur eorum, et qui poteſtatem habent benefici ſalutantur: vos autem non ſic: Sed qui maior eſt inter vos, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.

*1. Refutatur primatus Papæ. Teſtimonijs Scripturæ.*

Et Marci 10.

Scitis, quòd qui imperant gentibus, dominium
" exercent in illas; Et qui magnates ſunt inter eas,
" poteſtatem exercent in illas. Verum non ſic erit in-
" ter uos: Sed quicunq; uoluerit ex uobis fieri ma-
" gnus, inter uos erit miniſter ueſter. Et quicunq;
" uoluerit ex uobis eſſe primus, erit omnium ſer-
" uus. Item.

" Sicut miſit me pater: ſic ego mitto uos.

Nec alia oratione Apoſtolus Petrus (cuius ſucceſſorem ſe Papa iactat) Epiſcopos & Eccleſiarum miniſtros affa-
" tur in priore ſua epiſtola cap. 5. Paſcite, inquiens, quan-
" tum in uobis eſt gregem Chriſti, curam illius agen-
" tes, non coactè ſed uolentes: non turpiter affectan-
" tes lucrum, ſed propenſo animo: neq; ceu domini-
" um exercentes aduerſus Cleros, ſed ſic ut ſitis ex-
" emplaria gregis.

Hæc & ſimilia Scripturæ teſtimonia ſatis docent, Pontificis primatum & præeminentiam regalem quam rapuit, ex diametro, quod dicitur, aduerſari verbo Dei, & contra expreſſum Dei mandatum, religionis falſiſsimo prætextu primum conſtitutam, atq; paulatim confirmatam.

*Teſtimonia Patrum, contra primatum Papæ facientia.*

¶ Deinde certum eſt eandem poteſtatē regiam Romani Epiſcopi, & dominatum prorſus eſſe etiam contrariū doctrinæ Patrū ſanctorū, & primitiuæ Eccleſiæ inſtitutis, quo

quo tempore ne quidem in rerum natura fuit primatus Papæ, quod uel ex S. IGNATII (quem conſtat auditorem & diſcipulum fuiſſe Ioannis Euangeliſtæ) epiſtolis, quæ extant, paſsim eſt animaduertere. Cum enim is in tertia illa perſecutione Chriſtianorũ, quæ Traiano imperante facta fuit, Romam vinctus abduceretur, ut capitis damnatus cum beſtijs in ludo Venatorio depugnaret, miſsis literis Eccleſiam conſolatur, & monet, vt in fide cõſtanter perſeueret. Atq; inter cætera diſerte ait: nullum eſſe ſummum Epiſcopum ſupra ſingularum Eccleſiarum Epiſcopos præter ſolum Chriſtum. *Teſtimonia* IGNATII.

Et in ea, quam ad Romanos ſcripſit, epiſtola, non maiorem ipſorum Epiſcopo, quàm cæteris aliorum locorum Epiſcopis autoritatem attribuit: quod dubio procul facturus fuiſſet, ſi vnquam ex Apoſtolis audiuiſſet neceſſarium eſſe ad ſalutem credere, quod Romanus Pontifex caput ſit Eccleſiæ, aut vniuerſalis, quemadmodum in Decretalibus Gratiani relatum eſt, quam vocem tamen D. Gregorius, ſatis alioquin in amplificando Papatu acer & vehemens, vt Antichriſti repudiauit, ſicut ſuprà diximus.

Idem Ignatius Epiſtola 2. ad Magneſianos col. 2. expreſsé ait: Solum Chriſtum eſſe ſummum ac verum Pontificem, & quidem natura.

Ac paulò pòſt col. 3.

Exultate inquit, in Chriſto et gaudete, ne alienus vobis imperet.

Et ad Philadelphinenſes, quæ eſt 15. epiſtola, hæc verba habet:

Rogans vos, vt inſtetis vni fidei, vni prædica-

tioni, vna gratiarum actione vtentes. Vna eſt enim caro Domini Ieſu, & vnus eſt ſanguis, qui pro vobis effuſus eſt: vnus etiam panis pro omnibus confractus, & vnus calix totius Eccleſiæ, & vnus Epiſcopus ſimul cum omnibus presbyteris, et diaconis cõſeruis meis: quia et vnus eſt unigenitus Deus pater, & vnus vnigenitus filius Deus verbum, & homo: & vnus paracletus ſpiritus veritatis: vna etiam prædicatio, & fides vna, & unum Baptiſma, & vna Eccleſia. Et paulò pòſt:

Vos ergo oportet ſicut populum ſacerdotalem, & gentem ſanctam, in concordiam omnes in Chriſto conſumari.

Cum his conſentit & CYPRIANI, uel potius Concilij Carthaginenſis, quod Cyprianus approbauit, autoritas: Eo Concilio decretum ſimiliter fuit, ne liceat Epiſcopo efferre ſe ſupra collegas ſuos: Verba Decreti hæc ſunt:

CYPRIANI teſtimonia.

Necq; quiſquam noſtrum ſe Epiſcopum eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſsitatem collegas ſuos adegit. Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuę arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alieno non poſsit, cum nec ipſe poſsit alienum iudicare.

Hoc Decretum approbauit et S. AVGVSTINVS, ad verbũ ſingulaſ voceſ eiuſ referenſ lib. 3. cap. 3. de Baptiſmo contra

contra Donatiſtas. Et idem Cyprianus in tractatu 3. de ſimplicitate Prælatorum: Hoc erant, inquit, vtiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus: pari conſortio prędìti, & honoris, & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut una Eccleſia monſtraretur. AVGVSTINI teſtimonia

Et paulò pòſt ſubdit:

Vt unus eſt Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus: ita Epiſcopatum quoq; ipſum (id eſt, dignitatem, & poteſtatem Epiſcopalem) unum, atq; indiuiſum eſſe, & penes ſingulos Epiſcopos inſolidum eſſe oportere: ſub uno ſummo Epiſcopo Chriſto, unico capite & ſponſo Eccleſiæ unicæ: quemadmodum multi radij ſolis unum lumen ſunt.

Quod breuius perſtrinxit idem lib. 4. epiſt. 2. dicens:

Cum ſit à Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diuiſa: item Epiſcopatus unus (id eſt, unum, & ſolidum munus omnium) Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, &c.

In hanc ſententiam eleganter etiam D.

HIERONYMVS:

Si, inquit, authoritas quæreretur, Orbis maior eſt Vrbe, ubicunque fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, HIERONYMI teſtimonia

ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Thebis, ſiue Tanis, eiuſdem meriti eſt, & eiuſdem ſacerdotij. Quæ verba habentur in c. legimus. diſtinct. 93.

Præter hos etiam D. CHRYSOSTOMVS expreſsè improbat Primatum Epiſcoporum, Homilia 35. in Matth. c. 20. & habetur in ca. vlt. in fin. diſt. 40. his verbis: Quicunq; deſiderauerit primatum in terra, inueniet confuſionem in cœlo: nec inter ſeruos Chriſti computabitur qui de primatu tractauerit.

CHRYSOSTOMI *teſtimonia.*

Non aliter de primatu ſenſit PELAGIVS II. Epiſcopus Romanus, qui fideles omnes alloquens, monet vt ſedulò caueant ne cui vniuerſalis Epiſcopi nomen attribuant, aut pro vniuerſali agnoſcant, verba eius extant apud Gratianum in c. Nullus diſtinctione 99.

PELAGII *Epiſcopi Ro. teſtimonia cõtra primatũ.*

Nullus Patriarcharum vniuerſitatis vocabulo vnquam vtatur: quia ſi ſummus Patriarcha, vniuerſalis dicitur: Patriarcharum nomen cæteris derogatur: ſed abſit, hoc ſibi velle quempiam arripere: vnde honorem fratrũ ſuorum imminuere ex quãtulacũq; parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vnquam, etiam ſuis in Epiſtolis vniuerſalem nominet, ne ſibi debitum ſubtrahat, cum alteri honorem infert indebitum. Hæc ille.

Ad hæc, & IRENAEVS, antiquiſsimus Patrum, qui ante annos amplius mille, quadringentos vixit in primitiua Eccleſia, diſertè ait: Eum qui diuinos honores affectet, cum nihil ſit quàm ſeruus & adminiſter in Eccleſia,

IRENAEI.

Eccleſia, habendum pro ipſo Antichriſto.

Et, qui ante annos 950. Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ fuit D. GREGORIVS I. in Epiſtola 35. ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinop. Omnia, ait, quæ prædicta fuerunt, fiunt, Rex ſuperbiæ, Antichriſtus propè eſt: & quod dici nefas eſt, ſacerdotum ei præparatur exercitus. Quia ceruici militant elationis, qui poſiti fuerant, ut ducatū præberent humilitatis. S. GREGORIVS.

Idem lib. 4. Epiſtolarum c. 80. & 82. ſcribit, ſi primatus Epiſcopis concedatur, futurum ut & veritas Euangelica et patrum decreta adeoq; vniuerſæ Eccleſiæ ſalus in periculum & diſcrimen ſummum adducantur.

Et eodem lib. 4. cap. 83. in fine. Quod huic ſceleſto vocabulo conſentire nihil aliud ſit, quàm fidem perdere. Si enim, ut eodem lib. cap. 80. col. vlt. ait, is in errore perit, qui vniuerſalis dicitur, nullus iam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis inuenitur.

Et lib. 6. cap. 194. Ad Mauricium Imp. conquerens ait: Nunquid non cum ſe Antichriſtus veniens Deum dixerit, friuolum valdè erit, ſed tamen nimis pernicioſum: ſi quantitatem ſermonis attendimus, duæ ſunt ſyllabæ, ſi verò pondus iniquitatis, vniuerſa pernicies. Ego autem fideliter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem ſacerdotem vocat, uel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit: quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit, nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur, &c.

*Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtimonia.*

Quin & in hiſtoria Eccleſiaſtica perſcriptum legimus, Nicæno Concilio Eccleſiarum inſpectionem, ſeu, ut loquimur, ſuperintendentias vetere more & conſuetudine ita fuiſſe diſtributas, vt Alexandrino Epiſcopo Aegypti Eccleſiæ omnes, Romano autem Epiſcopo vicinæ per Italiam commendarentur: Hieroſolymitano autem ius ſuum & prærogatiua dignitatis reſeruaretur, ſalua dignitate archiepiſcopi per eandem prouinciam.

Ex quo decreto ſatis apparet, Romani Epiſcopi primatum ſeu principatum eo tempore ne quidem in rerum natura fuiſſe, ſed multò pòſt tentatum atque ſtabilitum.

2.

*Papam non eſſe caput aut ſponſum Eccleſiæ Dei.*

ET his quidem, quæ aduerſus Primatum Ro. Pontificis adduximus, teſtimonijs, etiam alterum elogium Pontificis concidit, æque vanum & impium, quo Eccleſiæ Chriſtianæ caput & ſponſus iactitatur. Nam & hoc manifeſtiſsimis Scripturæ ſanctæ locis permultis vt qui maximè aduerſatur. Epheſ. 4. „ Adoleſcamus in illũ per omnia, qui eſt CAPVT ECCLESIAE „ CHRISTVS, in quo totum corpus compactum „ & connexum per omnem iuncturam, &c. Et cap. 1. „ eiuſdem epiſtolæ: Vt ſummatim inſtauraret Pater „ omnia per Chriſtum ſub uno capite, quæ in cœlis „ ſunt, & quæ in terra per eundem. Et ibid. in fin. cap. „ Omnia ſubiecit ſub pedibus filij, & ipſum dedit ca„ put ſupra omnem Eccleſiã, quæ eſt corpus ipſius. „ Et cap. 5. Quemadmodum et Chriſtus caput eſt Ec„ cleſiæ, & idẽ eſt qui ſalutẽ dat corpori. Et ad Coloſſ. 1.

Ipſe

Ipſe (ſcilicet Chriſtus) caput eſt corporis Eccleſiæ: & alibi ſæpius.

Qua de re etiam PATRVM teſtimonia plurima extant paſsim: vt apud AVGVSTINVM contra Petiliani epiſtolam cap. 4. Totus Chriſtus caput & corpus eſt: caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Eccleſia: ſponſus & ſponſa, duo in carne una. AVGVSTINI teſtimonia.

Et ad Pſalm. 56.

Tota enim Eccleſia conſtans ex omnibus fidelibus: quia fideles omnes ſunt Chriſti: habet illud caput poſitum in cœleſtibus, quod gubernat corpus ſuum, etſi ſeparatum eſt uiſione, annectitur charitate.

In Pſalm. 103.

Firmauit Eccleſiam ſuper firmamentum Eccleſiæ. Quid eſt firmamentum Eccleſiæ? niſi de quo dicit Apoſtolus. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, prēter quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Et ideo tali fundamento ſuffulta, non inclinabitur in ſeculum ſeculi.

Ad Bonifacium epiſtola 58.

Eccleſia Catholica ſola eſt corpus Chriſti, cuius ille caput eſt, ſaluator corporis ſui.

Ibidem lib. 13. cap. 3.

Sancta Eccleſia mater, & uirgo eſt, corpore caſta, prole fœcunda, ſponſa Chriſti ſuperius declarata, piè nutrit filios, quos Deo patri dignos aſsignare contendit.

Ibidem

Ibidem lib. 4. cap. 10.

Eccleſia mater ſpiritualis eſt, ſponſa Chriſti, gratia eius dealbata, precioſo ſanguine dotata, totum poſsidet, quod accepit à ſuo viro in dote.

CYRILLVS ¶ Cyrillus in Euangelium Ioannis cap. 17. lib. 11. c. 26.

Quod autem Eccleſia corpus à ſingulis hominibus, tanquam membris compoſitum, Saluator verò caput ſit, Paulus oſtendit, dicens Epheſ. 4.

GREGORIVS. Sed in primis luculentum eſt hac de re Gregorij Magni teſtimonium, quod extat lib. 4. Epiſtolarum, cap. 80. col. 2. aduerſus Epiſcopum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, etiam affectantem appellationem hanc vniuerſalis Epiſcopi: quem ait conari ut membra vni capiti, Chriſto videlicet adhærentia, ipſe ſibi adiungat ſpecioſis & magnificis ſermonibus. Et cap. 82. col. 2. dictum Ioannem ad quem ſcribit, alloquens ex verbis Apoſtoli, 1. Corinth. 1. Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Ita colligit: Si ergo ille (ſcilicet Paulus) membra Dominici corporis certis extra Chriſtum quaſi capitibus, nec ipſis quidem Apoſtolis, ſubijci particulariter voluit, tu quid Chriſto, vniuerſalis ſcilicet Eccleſię capiti, in extremi iudicij es dicturus examine? qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuerſalis appellatione ſupponere.

Deinde comparat eum Lucifero, qui Eſaie 14. dixit: In cœlum conſcendam, ſupra aſtra cœli exaltabo ſolium meum. Sedebo in monte teſtamenti, in la-

in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo. Quid enim fratres tui, omnes vniuerſales Eccleſiæ Epiſcopi, niſi aſtra cœli ſunt? Quorum vita ſimul & lingua inter peccata, erroresq́ hominum, quaſi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipſum vocabulo elationis præponere, eorumq́ nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, niſi in cœlũ conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum? Quos dum veſtra fraternitas deſpiciens, ſub ſe premere conatur, quid aliud dicit, niſi hoc, quod ab antiquo hoſte dicitur: Aſcēdam ſuper altitudinem nubium? Quæ cuncta ergò, cum flens reſpicio, &c. Rurſus col. vlt. ſubdit: Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo Eccleſia ſcinditur, fratrum omniũ corda ad ſcandalum prouocantur, &c.

Hoc teſtimonium GREGORII imprimis pium eſt, & præclarum, aduerſus Romani Pontificis primatum, vt merito ei fides habenda ſit, Cum autorem habeat, qui & ipſe Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit.

¶ Euidenter autem apparet ex his ſententijs & dictis Patrum, nunquam receptum fuiſſe in primitiua Eccleſia ac Patrum temporibus, vt Papa caput, aut ſponſus Eccleſiæ nominaretur, quòd tamē primus nefario auſu BONIFACIVS VIII. tentauit, vt eſt in cap. quoniam: de immunitatibus Eccleſiarum libro 6. decretalium illis verbis:

*Nos*

*Nos iuſtitiam noſtrã, & Eccleſiæ, ſponſæ noſtræ, nolentes negligere, quia alios in ſua iuſticia confouemus, &c.* Quam conſtitutionem Papalem Gallia tamen non recepit, ſed rectè reiecit, vt teſtatur Ioannes Igneus in repet. §. non aliás, ex L. neceſſarios ff. ad Silleian. num. 12. & 13.

3. *Refutatio Põtificiæ poteſtatis in res ſeculares & ius gladij.*

AD hæc, quod falsò iactant Pontifices ſeu Epiſcopi Romani, vtriuſq; gladij ius ſe habere, hoc eſt, poteſtatem tàm Politicam quàm Eccleſiaſticam &c. Id elogium manifeſtè repugnat plurimis & ampliſsimis ſcripturæ ſanctæ locis, in qua Dominus Eccleſiam ſuam paſſim, & multis in locis, regnum cœlorum nominat: non igitur eſt regnum Politicũ, aut Monarchia aliqua terrena, Quemadmodum & Lucæ capite 17. Dominus inquit:
„ Regnum Dei non veniet cum obſeruatione, neque
„ dicent, ecce hic, aut ecce illic. Et Ioan. 18.
Regnum MEVM non eſt de hoc mundo.
„ Quinetiam tantum abfuit vt regnum huiuſmodi quæreret Dominus, vt oblatum quoq; accipere noluerit. Nam cum intelligeret aliquandò, deſtinaſſe populos, vt eum raperent, Regemq; facerent, in montium ſolitudines fugit. Ipſe etiam Apoſtolus Petrus, cuius ſucceſſorem ſe Papa iactat, Eccleſiam Politico magiſtratui ſubditam eſſe, iubet.

*Teſtimonia Patrum.*

Eadem fuit & Sanctorum Patrum hac de re ſententia, qui multis in locis regalem illam Romani Pontificis poteſtentiam, & ciuilis poteſtatis vſurpationem grauiſsimè reprehenderunt: Ac præ cæteris inprimis acriter Diuus BERNARDVS, qui negat, Pontificem accepiſſe eam poteſtatem traditam per manus à Petro Apoſtolo, cum is nunquam ipſe habuerit talem. Sic

*Sic enim ſcribit de conſiderat. lib. 25.*

Eſto ut alia quacunq; ratione hoc ſibi vendicet, non tamen Apoſtolico iure. Neq; enim Petrus, quod non habuit, dare potuit, ſed dedit ſucceſſoribus quod habebat, ſollicitudinem Eccleſiarum. Quum vero dicat Dominus ac Magiſter, ſe non eſſe conſtitutum inter duos iudicem, non debet ſeruo, ac diſcipulo indignum videri, ſi non iudicet vniuerſos Loquitur autem BERNARDVS de iudicijs ciuilibus, ſubiungit enim: Ergo in criminibus, non in poſſeſsionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, non propter has accepiſti claues regnum cœlorum. Quænam tibi videtur maior dignitas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? nulla comparatio. Habet hæc infima, et terrena iudices ſuos, Reges, & Principes terræ. Quid fines alienos inuadis? Item. Factus es ſuperior (Eugenium Papam alloquitur) ad quid? non enim ad dominandum opinor. Nos igitur, ut multum ſentiamus de nobis, meminerimus impoſitum miniſterium, nõ dominium datũ: Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, vt opus facias Prophetæ. Itẽ: Planũ eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus, I ergò tu, & tibi vſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatũ. Et continuò pòſt: Forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur: indicitur miniſtratio.

D. BERNARDVS.

Quid

Quid dici poſſet apertius, aut grauius aduerſus Pontificem imperium ciuile prætextu Euangelij rapientem? Sed ad has voces facilè obſurdeſcit auris Papalis, & nihilominus Concilio Arelatenſi decretum fieri curauit, quo vtriuſq; gladij ius Epiſcopo Romano fuit attributum.

*Iuriſconſultorum teſtimonia.*

Multa ſunt in hanc ſententiam diſputata et tradita etiam ab interpretibus Iuris, quorum vt quiſq; doctiſsimus fuit, ita maximè Regium illum dominatum Papæ à religione & ſacris alieniſsimum eſſe cenſuit. Inter quos FELINVS Pontificij iuris interpres celeberrimus ita ſcripſit in cap. cum non liceat. col. 6. num. 11. verſ. contrariam partem ext. de præſcript. Licet communis opinio Canoniſtarum ſit in cap. nouit. ext. de iudic. quod Papa habet vtrumq; gladium habitu: tamen quia nullus reduxit habitum in actum, non videtur ſufficere, quod ſolum dicatur verbis ipſum eſſe Monarcham, reſpectu temporalium. Quia cum ille habitus non inueniatur deductus ad actum, ideo non dicitur eſſe præſcriptus, quia non ſolum verbo, ſed opere debet recognoſci. Quod et à Ioanne Igneo in diſputatione, An Rex Franciæ recognoſcat Imperatorem. num. 92. verſ. 7. Facit, comprobatur.

FELINVS.

Scriptus etiã, & editus fuit publicè de poteſtate ſeculari & Eccleſiaſtica tractatus, cui titulus eſt Somniũ Viridarij, ante annos benè multos, Caroli V. Galliarum Regis tempore, quo hæc de Pontificis Romani, in omnes Imperatores ac Reges imperio & præſumpta poteſtate quæſtio, duobus libris & capitulis 550. prolixè & copioſè refutatur.

SOMNIVM VIRIDARII.

Extat

Extat & Michaëlis Vlcurruni Pampilonenſis tractatus integer, de regimine mundi ad CAROLVM V. Imperatorem noſtrum, in cuius ſecunda parte, 2. q. princ. quæſtionem hanc author his verbis concludit, numero 47. Ex quibus concluditur, quòd poteſtas temporalis eſt immediatè à Deo in Imperatore: nec Papa habet eam actu, vel habitu. *Michaël Vlcurrunus.*

Et hanc ſententiam multò etiam antè, Alberici de Roſate Iuriſconſulti temporibus, à multis viris magnis, Eccleſiarum Prælatis, & iuris interpretibus tanquam veriorem receptam fuiſſe conſtat. Sic enim ait Albericus in L. bene à Zenone. num. 16. de quadriennij præſcriptione. Hanc opinionem, ſcilicet, quod Imperator ſuam poteſtatem habeat à Deo, puto veriorem per iura, & autoritatem Innocentij, & aliorum: & de hoc fuit magna concertatio tempore Ioannis XXII. & ſucceſſoris eius Benedicti XII. inter eos, & Dominum Ludouicum de Bauaria electũ in Imperatorẽ, me exiſtente tũc in Romana Curia. Audiui autem magnos Prælatos, etiam Laicos in vtroq; iure peritos, in hanc opinionem inclinare, tanquam veriorem. Et ſuper hoc idem D. Ludouicus fecit legem. Eam ibi ad verbum Albericus inſerit ſubſequentis tenoris. ALBERICVS.

LICET IVRIS VTRIVSQVE TESTIMONIA MANIfeſtè declarent, Imperialem dignitatem & poteſtatem immediatè in filio Dei ab antiquo proceſsiſſe, & Deum per Imperatorem & Reges mundi iura *Imp. Ludouici Bauari cõſtitutio aduerſus Papam de poteſtate gladij.*

Q humano

humano generi apertè tribuiſſe, & quod Imperator ex ſola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicuius alterius eget confirmatione, ſeu approbatione, quoniam in temporalibus ſuperiorem non habet in terris, ſed eidem ſubſunt nationes, & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus mandauerit, quæ ſunt Dei, Deo, & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari fore reddenda. Quia tamen quidam auaritiæ, & ambitionis cæcitate deuicti, et nullius Scripturę intelligentiam ſe habere dicentes, ſed diuertentes à tramite recti ſénſus in quędam iniqua & praua commenta, & in aſſertiones deteſtabiles prorumpunt, contrà poteſtatem & authoritatem Imperialem, & iura Imperatorum electorum, & aliorum Principum, & Imperij fidelium committentes, fallaciter aſſerentes, quod Imperialis dignitas, & poteſtas eſt à Papa, & quod electus in Imperatorẽ, non eſt verus Imperator, nec Rex, niſi prius per Papam ſiue ſedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur, & coronetur, et per huiuſmodi prauas aſſertiones & peſtifera dogmata, hoſtis antiquus mouet lites, & iurgia ſuſcitat, contentiones parit, et ſeditiones procurat. Ideo ad tantum malum euitandum, de conſilio & conſenſu Electorum, et aliorum Principum Imperij, declaramus, quod Imperialis dignitas et poteſtas eſt immediatè à ſolo Deo, & quòd

& quòd de iure et Imperij conſuetudine antiquitus approbata eſt, poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem, ſiue Regem, ab Electoribus Imperij concorditer, vel maiori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt verus Rex, & Imperator Romanorum cenſendus, & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio ſubiectis obediri, & adminiſtrãdi iura Imperij, & cætera faciendi, quæ ad Imperatorem verum pertinent, habet plenariam poteſtatem: nec Papæ, ſiue ſedis Apoſtolicæ, aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, authoritate indiget, vel conſenſu: Et hác in perpetuum valitura lege decernimus, vt Electus in Imperatorem concorditer, vel à maiori parte Electorum, ex ſola electione cenſeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus ſubiectis Imperio debeat obediri, & adminiſtrationem, & iuriſdictionem Imperialem, & Imperialis poteſtatis plenitudinem habeat, & habere, ac obtinere ab omnibus cenſeatur, & firmiter aſſeratur.

Quicunq; autem contra hæc declarata Decreta, vel diffinita, aut aliquod eorum aſſerere, ſeu dicere, aut aſſerentibus, ſeu dicentibus conſentire, vel eorũ mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præſumpſerint, eos omnibus feudis, quæ ab Impe-

rio detinent, & omnibus gratijs, iuriſdictionibus, priuilegijs, & immunitatibus à nobis, vel prędeceſſoribus noſtris eis conceſsis ex nunc priuamus, & ipſo iure, & facto decernimus eſſe priuatos. Inſuper eos crimen lęſæ maieſtatis decernimus incurriſſe, & pœnis omnibus impoſitis crimen læſæ maieſtatis committentibus ſubiacere. Datum in Colonienſi ciuitate Alemaniæ, die, &c.

Hæc Imperatoris Ludouici Bauari conſtitutio ſatis indicat, etiam iſtis temporibus circiter annum Dñi 1314. Pontificum ſuperbiam & dominatum, quem in Impp. ac Reges grauiter, & acerbè exercuerunt, nõ tantũ Imperatori et noſtræ nationis hominib. ſed et alijs multis doctis, & prudentib. in Italia, & exteris nationib. valdè diſplicuiſſe, quẽadmodũ is, quem modò diximus, Albericus ſatis oſtendit.

¶ Eòdem pertinet & Pontificis Adriani IIII. epiſtola inſolens, ad Fridericum I. Imperatorem, ex gente noſtra fortiſsimum, qua acerbè reprehendit Imperatorem optimum homo nihili, quod is in epiſtola quadam nomen ſuum nomini Pontificis in ſcribendo antepoſuiſſet, tanquam cum læſæ maieſtatis Pontificiæ reo expoſtulans. Verba epiſtolæ hæc ſunt:

*Pontifex Hadrianus cum Imp. Friderico I. cognomento Barbaroſſæ expoſtulat de epiſtola.*

*Hadrianus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Friderico I. Imperatori Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Lex diuina, ſicut parentes honorantibus longæuitatem promittit: ita maledicentibus patri & matri, ſententiam mortis intendit: ueritatis uoce docemur, quia*

*quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Quapropter dilecte in Domino fili, ſuper prudentiam tuam non mediocriter admiramur, quod beato Petro, & S. Romanæ Eccleſiæ, non quantam deberes, reuerentiam exhibere uideris. In literis enim ad nos miſsis, nomen tuum noſtro præponis: in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris.*

Sed ad inſolentem hanc Pontificis epiſtolam feſtiuè reſpondit contraria epiſtola Imperator hunc in modum:

*Fridericus, Dei gratia, Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hadriano Roman. Eccleſiæ Pontifici, omnibusq; adhærere uolentibus ijs, quæ cœpit Ieſus facere, & docere, S. D. Lex iuſticiæ unicuiq; quod ſuum eſt, reſtituit. Non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc regno noſtro debitum exhibemus honorem, à quibus (uidelicet progenitoribus noſtris) & regni dignitatem ſuſcepimus, & coronam. Nunquid tempore Conſtantini, Sylueſter Regale aliquid habuiſſe dignoſcitur? Sed eius pietatis conceſsione libertas data eſt Eccleſiæ, pax reſtituta, & quicquid Regale Papatus ueſter habere dignoſcitur, largitione Principum donatur. Vnde cum Romano Pontifici ſcribimus, iure ex antiquo* Reſponſio Imperatoris Friderici, ad inſolentem Hadriani Papæ epiſtolam.

*nomen noſtrum præponimus, et ad iuſticiæ normam idem nobis ſcribenti concedimus. Reuoluite annales: & ſi lectum neglexiſtis, quod aſſerimus, illic inuenitur.*

Rectiſsimè ſanè Imperator fortiſsimus, & pro eius ſententia faciunt Canoniſtæ omnes, omnesq́ legum ciuilium interpretes, qui vno ore fatentur omnes, antiquiſsima conſuetudine receptum, ſeruatumq́ etiam in primitiua Eccleſia, vt Imperatoris Romani nomen honoris ac dignitatis cauſa nomini Pontificis rectè præponatur. Vt licet legere apud Ioannem de Anania in Procemio Decretalium in princ. num. 1. & apud Reſtaurum Caſtaldum in tractatu de Imperatore, quæſt. 59. num. 1. 2. 3. & ſeq. Extat & in Codice epiſtola Ioannis Papæ ad Iuſtinianum Imperatorem: & viciſsim Iuſtiniani ad Papam, & in vtraq́ nomen Imperatoris præponitur.

*L. inter claras & l. nos redandentes C. de ſumma trinitate.*

Quibus exemplis optimorum Regum et Imperatorum admonemur, olim etiam & ante multos annos Imperatores ex Germanica gente noſtra fortiſsimos, Romanorum Pontificum faſtum prætumidum, & inſolentiam moleſtè admodum tuliſſe & grauiter: quemadmodum hunc ipſum quem modò diximus Fridericum I. Imperatorem laudatiſsimum, & omnibus ſummis virtutibus præſtantem, ad ſuperbam Hadriani IIII. Pontificis orationem, qua Imperatorem reprehendiſſet, q̃d conſcendenti ſibi in equum, ephippium & ſtapedes ad leuam manum, non quæ ad dextram, tenuiſſet, feſtiuè & acutè reſpondiſſe accepimus: inſolitum ſibi accidiſſe hunc laborem, neq́ enim ſe antè id tēpus vlli Pontifici eo in genere officij operam dediſſe, neq́ adeò id ad ſe pertinere admodum.

PRAE-

PRAETEREA, quòd iactant Pontifices ſui iuris eſſe, imperium et regna orbis Chriſtiani tribuere et adimere, cui & quando libeat, id etiam aduerſari manifeſtò verbo Dei, cum alijs Scripturæ teſtimonijs plurimis cōſtat, tum præcipuè dicto Chriſti admodum claro, quod eſt apud Lucam cap. 12. Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem hæreditatis inter vos? 4.

*Papā non habere ius trāsferendi regna & imperia.*

„
„

Et hanc ipſam opinionem grauiter etiam Scholaſtici Theologi impugnarunt: Guilielmus Occam Dialog. lib. 6. part. 1. cap. 9. & in tractat. de poteſt. Eccleſiaſtica, quæſt. 2. cap. 8. Iacobus Almain. in tractatu de poteſtate Eccleſię.

*Scholaſticorū doctorum teſtimonia.*

Tum etiam ex legum interpretibus, & doctrinæ de beneficijs militaribus, ſeu feudis, ſummi & doctiſsimi quiq́, ex quorum numero ſunt ANDREAS Iſernia tit. quæ ſint regalia. col. 22. in vſibus feudorum, & IOANNES IGNEVS in d. diſputatione, An Rex Franciæ recognoſcat Pontificem ſuperiorem: Et MICHAEL POMPILONENSIS in d. tractatu de regimine mundi, in 2. parte, 2. quæſtione, princ. num. 61. vbi ſic ſcribit: Item, eſt etiam aliud inconueniens: quia Papa exercendo dictam poteſtatem temporalem ſupra Imperatorem, uel aliquem Regem, uel Principem, venit contra prohibitionem Domini, qui præcipit, ne vteretur gladio temporali. Dum dixit: Mitte gladium tuum in vaginam, ſine limitatione, & ſic ſimpliciter debet intelligi dictum Chriſti. Hæc ille.

*Iuriſconſultorum teſtimonia.*

Itē PETRVS FERRARIENSIS Practicus, in forma libelli, quo agitur ex ſubſtitut. in verbo, ex ſuo corpore:

*P. Ferrarienſis.*

Scire debes tu ignare, quod Imperium aliquando habuit vtrumque gladium, temporalem ſcilicet, & ſpiritualem; adeo quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Eccleſiaſtica per vniuerſum orbem. Et amplius, eligebant Papam, ut habetur in c. Hadrianus, diſtinct. 63. cum ca. ſeq. & notatur per Innocentium in ca. 2. Ext. De maioritate & obedientia. Et paulò pòſt:

Surgat ergò bonus Imperator, & dicant omnes: fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis, &c.

*Pontificũ imperandi uanitas turbauit omnem iudiciorum ordinem & diſciplinam.*

Sed longiore hac de re diſputatione nihil hîc opus eſt, cum alibi extent hæc à noſtris copiosè, & plenè tractata. Illud tantum dicemus, hac ipſa Romanorum Pontificum imperandi vanitate, qua ſe Politicæ adminiſtrationi Regnorum & Imperiorum ingeſſerunt prætextu autoritatis diuinæ, vtramque, & ciuilem & Eccleſiaſticam iuriſdictionem, non mediocriter turbatam eſſe & labefactatam. Qua de re multæ extant, etiam veterum Canoniſtarum & Gloſſatorum querelæ graues, vt BERNARDI Gloſſatoris in cap. Si Clericus, ext. de foro compet: Papam ſæpiſsimè literas Eccleſiaſticis iudicibus aduerſus Laicos ſcribere, contra id, quod ſcribit in d. cap. notauit. Ob id, inquit, mirum non eſt, ſi totus Iudiciorum ordo peruertatur. Tantundem dixit Bartolus in l. 1. §. fin. ff. de pœn. Et expreſsius Hoſtienſis, & poſt eum Ioannes Andreæ in capit. ſolitæ,

tertia

tertia colum. Extra de maioritate & obedientia. Dicunt enim, et ſpiritualem, et regalem gladios hodiè reciprocare. Namq; in multis locis temporalis gladius ſacerdotalis effectus eſt, Eccleſiaſticos & res Eccleſiaſticas pariter vt Laicos, & res temporales iudicans: contra id, quod ſcribitur in auth. vt Cleri: apud prop. Epiſcop. §. Si verò Eccleſiaſticum, colla. 7. Similiter ſpiritualis gladius ex leui cauſa non tantum per alios, ſed & per ſe ipſum mouens guerras, & nutriens, factus eſt militaris contra iura. Neq; ſecũdum eoſdem hæc peſtis ceſſabit, aut deficiet, donec vterq; ſuis terminis cõtentus ſit. Vt & Ioan. Ign. in repet. d. §. Non aliâs ex L. Neceſſarios. ff. ad Sena. Sillan. num. 10. 13. & 56. & num. 117. ſcriptum reliquit. *Bernhardus Gloſſator.*

Verum enimuerõ, vt id quod res eſt dicamus, apparet Romam, quæ curiæ Papali ſedem & receptũ præbuit, maturè & non ita longè poſt prima initia religionis acceptæ, ſtatim ruiſſe in peius, ac magis magisq; fuiſſe his vitijs deformatã. Quod etiam non vno in loco grauiter conqueritur D. HIERONYMVS nominans eam Babylonem impiam, & dæmonum receptum, vt in epiſtola quadam, qua ſuadet Marcellæ matronæ Romanæ, ut commigret Bethlehem. Fugite, inquit, de medio Babylonis, & ſaluate vnusquiſq; animam ſuam. Cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmonum, & cuſtodia ſpiritus immundi. Eſt quidem ibi *HIERONYMI querela de corruptis moribus urbis Romæ.*

Q v ſancta

ſancta Eccleſia, ſunt trophæa Apoſtolorum & Martyrum, eſt Chriſti vera confeſsio, eſt ab Apoſtolo prædicatà fides, & gentilitate calcata in ſublime ſe quotidie erigens vocabulũ Chriſtianum: Sed ipſa ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri, & videre, &c.

*Eraſmi Roterodami iudicium de urbe Roma.*

Quo in loco etiam ERASMVS ROTERODAMVS, in ſcholijs ſuis ad Hieronymi opera annotauit, Romam in Apocalypſi Ioannis cap. 17. deſignatam fuiſſe ſub figura mulieris, quæ inſidet beſtiæ ſeptem capita habenti: & quod ſeptem capita ſignificarint ſeptem colles ſeu montes, quos vetus vrbs Roma murorum ambitu comprehendebat. Eſt enim Roma ſepticollis, quemadmodum & Poëta inquit.

*Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,*
*Septem quæ una ſibi muro circumdedit arces.*

Et in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, in vita Marci diſcipuli, inter cætera adſerit Hieronymus, D. Petrum in epiſtola ſua ſub nomine Babylonis, cuius frequẽter meminit, haud dubiè vrbem Romam intellexiſſe.

TERTVLLIANVS.

Quinetiam, multò ante Hieronymi tempora, conſtat TERTVLLIANVM, antiquiſsimum ſcriptorem Eccleſiæ qui vicinus fuit Apoſtolorũ temporib. Romanã vrbẽ appellaſſe Babylonẽ. Sic enim ait in lib. aduerſ. Iudæos: Sic & Babylon apud Ioannem noſtrum, Romanæ vrbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno ſuperbæ, & ſanctorum debellatricis. Eadem verba repetit lib. 3. aduerſus Martionem.

In eandem ſententiam legimus ARNOLPHVM Aurelia-

Aurelianenſem Epiſcopum, ante annos amplius quingẽtos & quinquaginta, in Concilio Rhemenſi liberè & acriter aduerſus Romani Epiſcopi grauem dominatum publicè hæc verba pronunciaſſe:

Quid hunc in ſublimi ſolio reſidentem, quid hunc, inquam, eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolaq́ ſcientia inflatur, et extollitur, Antichriſtus eſt, in templo DEI ſedens, & ſeſe oſtentans, quaſi ſit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo DEI tanquam Idolum eſt, tantum ille: qui videtur hiſce verbis ſuis alluſiſſe ad loca ſanctæ Scripturæ. Apocalyp. 19. 2. Theſſ. 2. Zach. 11. ARNOLPHVS Epiſcopus Aurelianenſis.

Ad hunc modum etiam Colonienſem & Treuirenſem Archiepiſcopos Electores, Nicolaum I. Pontificem delectum, ſuo et Prælatorum ſuorum nomine ante annos 558. acriter appellaſſe & liberè, autor eſt Auentinus lib. 4. Annalium, his verbis:

Tu Pontificis quidem perſonam præ te fers, at tyrannum agitas: ſub habitu, & cultu paſtoris lupum ſentimus. Titulus parentem mentitur, tute factis Iouem oſtentas. Cum ſis ſeruus ſeruorum, Dominus Dominorum eſſe contendis. Iuxta diſciplinam Chriſti ſeruatoris noſtri infimus es omnium miniſtrorum templi Dei: tu verò libidine dominandi in præceps abis, quicquid tibi libet, licet. Fucus factus es Chriſtianis.

Quòd

Quòd ſi hæc in Pontificem probatæ vitæ, & ut tunc fuerunt tempora minimè malum, liberius dicere licuit: quid his noſtris temporibus fiet: quibus, ut idem AVENTINVS queritur, omne in præcipiti vitiũ ſtetit, quæq; tunc nefas fuit admittere, nunc pia & Chriſtiana cenſentur. Sic enim inquit: Prouerbium vulgò protritum apud Germanos eſt. Omnia fert ætas: Quæ tum crimina maximè fuêre noſtro æuo, modò Senatus Romani conſenſu fiant, pia cenſentur, &c.

*Teſtimonia Iuriſcõſultorum de corruptißimis morib. Papæ.*

Poſſumus etiam autoribus ad hanc rem Iuris interpretibus, & ſcriptoribus nobiliſsimis vti, qui immodicam Põtificis in Eccleſia tyrannidem ſuo quiſq; ſeculo grauiter taxarint, inter quos PETRVS FERRARIENSIS, practicus conſultiſsimus iuris, qui antè annos centum & viginti in Pontificum Romanorum tyrannidem ac dominatum, bonis omnibus grauem & intollerabilem, acriter inuehitur: vt in forma reſponſionis rei, quæ verba etiam ſuprà retulimus: Nota quot modis Clerici illaqueant Laicos, & iuriſdictionem ampliant. Sed heu miſeri Imperatores, et Principes ſeculares, qui hæc, & alia ſuſtinetis: & vos ſeruos Pontificũ facitis: & mundum per eos infinitis modis vſurpari videtis, nec de remedio cogitatis: quia prudentiæ, et ſapientiæ non intenditis, &c.

*IO. PETRVS Ferrarienſis.*

Et alibi idem ait, non tantum ridiculum, ſed auditu abominabile eſſe, Pontificem ſibi arrogare imperium in ipſum imperatorem. Item, de Romani

Pontificis

Pontificis Curia: Quòd in ea fundamentum ſit omnis auariciæ & ambitionis, & multa agant Romaniſtæ contra Deum & iuſticiam in animarum ſuarum perpetuum detrimentum, ac infamiam ſempiternam.

Ita & CYNVS Piſtorienſis, qui antè annos trecentos & quinquaginta floruit, Iuriſconſultus præcipui nominis, in l. Eos. §. ne temerè. C. de appell. Curia Papæ ſummopere vellet, quod totus mundus in eam influeret, tanta eſt, inquit, in ea argenti & auri ſacra fames. Refert Ioan. Igneus in repet. d. §. non aliâs. num. 118. ff. ad Sillania. CYNVS.

Et OLDRADVS, veritatis pater vulgò ob inſignem iuris ſcientiam appellatus, in conſilio. 316. col. 5. Multa Romę pro extorquendis nummis indirectè ſtatuuntur. OLDRADVS.

Et feſtiuè IO. ANDREAE dixit, magnam eſſe ſedis Apoſtolicę liberalitatem, quę pro modico plumbo maximam molem auri exigit. IO. ANDREAE.

Huc pertinent & CONRADI CELTIS, Poëtæ noſtri, verſus elegantes.

*Quicquid in extremis habuit Germania terris,* C. CELTES.
*Et medijs quicquid continet illa plagis*
*Exhauſtum eſt, & totum Latias migrauit in arces,*
*Expleat ut luxus impia Roma tuos.*

Et hoc

Et hoc diſtichon.

*Roma quod erodat loculos ſic dicta, probatis*
*Teſtibus, hanc petij diues, inops redeo.*

Et illud:

*Vendit Roma Deum, uendit ſacra, uendit honores,*
*Et pœnam & culpam uenialis teſſera tollit,*
*Debetur Pluto gratia ſumma Deo.*

Accedit & PETRARCHA, in epiſtola dum ait: Auro triſtis ianitor mollitur, auro cœlum panditur. Quid multis? auro Chriſtus venditur.

PETRARCHA.

Quæ cum ita ſint, mirum profectò eſt, nihilominus audere Papiſtas aduerſus tot honeſtorum virorum & autorum grauiſsimorum conſentiens teſtimonium, negare vllam Romæ exerceri Simoniam, quemadmodum refert Silgneus in l. ſi exhæredatus. num. 27. & 28. ff. de Sena. Silani. Et Ioannes de Anania in cap. Quoties. num. 2. & in cap. in ordinando. num. 5. Extra de Simonia. & Decius in cap. ex parte Io. 2. num. 23. De offic. deleg. & Ioan. de Turre Cremata in cap. Si quis pecunia, num. 4. diſtinctione 79.

Non aliter, & multò quidem ante hos D. BERNARDVS deplorauit Romanæ vrbis mores ſuo iam ſeculo corruptiſsimos, ceu ſentinam quandam & colluuiem nequiſsimorum hominum Romam deteſtatus. Sic enim lib. 1. de conſideratione ad Eugenium dolenter conqueritur, quod ex toto orbe Romam confluant ambitioſi, auari, Simoniaci, ſacrilegi, concubinarij, inceſtuoſi, & ſimilia hominum monſtra, idq; ut Apoſtolica autoritate uel obtineant honores Eccleſiaſticos, uel retineant.

S. BERNARDVS.

Et circa finem lib. 4.

Fraudem & circumuentionem & violentiam inualuiſſe: Eumq́ iudicandi modum, qui tum vſitatus fuerat, execrabilem eſſe, nec modò Eccleſiæ, ſed & foro indecorum. Plenam eſſe Eccleſiam ambitioſis: Eſſe qui non magis exhorreſcant flagitia perpetrare quàm latrones in ſpelunca cum viatorum ſpolia diſtribuunt. Pauci, inquit, ad os legislatoris, ad manus omnes reſpiciunt: non immeritò tamen, illæ namq́ negocium Papale omne peragunt. Quale eſt, quod de ſpolijs Eccleſiarum poſſeſsiones emuntur: Qui dicunt tibi, Euge, Euge. Pauperum vita in plateis diuitum ſeminatur: Argentū micat in luto, accurritur vndiq́, tollit illud non pauperior, ſed fortior, aut qui forte citius præcurrit. A te tamen mos iſte, vel potius mors iſta non uenit, vtinam in te deſinat. Inter hęc tu paſtor procedis, multo & præcioſo circumdatus ornatu. Si auderem dicere, dæmonum magis quàm ouium paſcua hæc. Scilicet ſic factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat. Curia tua recipere bonos magis, quàm facere conſueuit. Mali enim illic non proficiunt.

Et quæ poſtea de appellationum abuſu multiplici refert, ea nemo pius ſine horrore legere poteſt.

Ac tandem de immani ſedis Romanæ auaritia & imperandi vanitate concludens lib. 3.

Murmur

Murmur, ait, loquor & querimoniam communem Eccleſiarum: truncari ſe clamitant, ac demembrari: vel nullę vel paucæ admodum ſunt, quæ plagam iſtam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? ſubtrahunt Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, &c. Mirum ſi excuſari hoc queat. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed vtrum etiam debeatis, quæſtio eſt. Ad honorem quiſque ſuum, gradumque conſeruandum poſiti eſtis, non inuidendum, &c.

¶ Conſimili oratione antè annos amplius ducentos FRANCISCVS PETRARCHA, vir imprimis doctus & eloquens, Papatum & arcem eius depingens, nominat eam Impiam Babylonem, proditionum nidum, in quo totum terrarum orbis venenum fouetur, crapulis & ebrietatibus obſtrictum, meretricem execrabilem, in qua luxuria vndiquaque vagatur & viget: hæreſium, errorumque aſylum, carcerem vbi bonum extinguitur, & quoduis malum ſceleſtumque alitur, Chriſto eiusque Apoſtolis rebellem, vt Venerem, Bacchumque Deos colat.

PETRARCHA.

Et alibi:

Roma iam non ciuitas, ſed laruarum ac lemurum domus eſt: &, vt breuiter dicam, ſcelerum & dedecorum omnium ſentina, atque ille viuentium infernus,

fernus, tanto ante Dauidico ore notatus, quàm fundatus aut cognitus. Hæc ille.

Similia permulta ſunt apud BAPTISTAM MANTVANVM, Poëtam grauem ſuperioris ſeculi, qui temporum ſuorum calamitates multis deplorans, inter cætera ſic ait:

*Tempora Martigenæ quid inania perditis? Ite,*
*Ite, lares Italos, & fundamenta malorum,*
*Romuleas arces, & Pontificalia tecta*
*Colluuiem ſcelerum, &c.*

B. MANTVANVS.

Romæ namq; conuolant ex omnibus nationibus Vultures, inſatiabili roſtro inhiantes rapinis: veluti ſunt:

*Vicecancellarij, Magiſtri plumbi, Magiſtri ceremoniarum barbati, Protonotarij, Officiales, Sacrum collegium, Cubicularij, Portionarij, Milites S. Petri, Ianizeri, Camerarij, Pacafrenarij, Oſtiarij, Cantores Papæ, Mazerij, Cuſtodes portæ ferreæ, Cuſtodes cathenæ, Cuſtodes horti ſecreti, Notarij, Correctores, Abbreuiatores, Aduocati, Sollicitatores, Sacoiſtæ ferrarij, Clerici, Capellani, Agaſones, Muliones, Catamiti meritorij, Sacrilegi,*

*Vultures Romæ inhiantes predæ.*

*= quibus fœdiſsima uentris*
*Proluuies, uncæq; manus, & pallida ſemper*
*Ora fame.*

¶ Pleni omnes ſunt libri PATRVM, plenæ voces eruditorum, plena his teſtimonijs permulta grauiſsimorum autorum volumina, quæ ſi omnia colligere vellemus,

dies potius quàm oratio nos deficeret. His autem & talibus bonorum ac doctorum virorum iudicijs qui ſingulis ætatibus floruerunt, licet alij alijs notiores fuerint & exauditi clarius, tamen hoc manifeſtiſsimum fit, multis iam annis permultos viros bonos, doctos et pios extitiſſe paſsim, qui tyrannidem Romanorum Pontificum, & indomitum faſtum ex animo abominati ſint, & non obſcura voce publicè ac priuatim taxarint.

5. *De ementita donatione Cõſtantini, de qua in c. Cõſtantinus diſt. 96. ubi Præpoſitus impudenter aſſentitur Papæ.*

IAM quòd ad commentum, vel potius impudentem donationis Conſtantini fabulam attinet, vnde ius ſuum natum eſſe Pontifices Romani volunt, quis non agnoſcit manifeſtum & improbè confictum mendacium, ac vanitatem vaniſsimam, quæ neq; cœlum neq; terram attingit, deſtitutam omni, quotquot vnquam hiſtorias eorum temporum fide dignas ſcripſerunt, teſtimonio: quam etiam ipſe Pontifex Pius, cum priuatus adhuc eſſet, & antequàm nomine Aeneæ Syluij mutato ad Pontificatum perueniſſet, ridere & exagitare Dialogis ſuis non dubitauit, plurimum dolere ſe inquiens legiſtarum vicem, qui tantum operę, tantumq; laboris ſumant in quæſtione de donatione Conſtantini examinanda an valeat, cum conſtet eam Cõſtantino ne per ſomnium quidem veniſſe in mentem. Quę & Felini ſententia fuit in c. ſolitæ in fin. Extra de maioritate & obedientia. Et ante hunc Accurſij etiam in Authen. Quomodo oporteat Epiſcopos, in princ. col. 1. Quem ſequuntur Petrus de bella Pertica in Rubrica Prooemij inſtitut. num. 11. cum ſeq. Et Bartolus in prooemio ff. Alexander in conſil. 24. num. 23. lib. 5. Et Ioannes Igneus in repeti

petitione l. Donationes col. 7. ff. de donat. inter virū et vx. Nec veriſimile ſit, Platinam in vitis Pontificum id fuiſſe omiſſurum, ſi verè facta fuiſſet hæc prætenſa donatio: præſertim cum admodum operosè cæteras liberalitates & fundationes Conſtantini recenſeat. Accedit & Laurentius Valla ciuis Romanus, qui grauiſsima & luculenta declamatione falsò creditam hanc & ementitam Conſtantini donationem exagitat ac refutat. Idem ſenſerunt & Cardinalis Cuſanus, Georgius Merula, Franciſcus Petrarcha et Baptiſta Mantuanus lib. 1. de patientia cap. 30. Andreas Alciatus lib. 7. parerg. cap. 19. B. Egnatius lib. 2. Romanorum Principum, ac multi alij Scriptores docti noſtræ ætatis.

Hæc cum ita ſe habeant, cumq; apertiſsimum ſit, deeſſe Pontificibus Romanis & titulum ſeu iuſtam poſſeſsionis cauſam, & fidem bonam qua vrbem Romam ſedem veterem Imperatorum, ac permultas alias Imperij vrbes atq; prouincias rectè teneant, non pauci de ſalute Eccleſiæ cõclamatum exiſtimarunt, niſi exiſtat tandem melior aliquis & religioſior Pontifex, diſsimilis maiorum ſuûm, qui malè ereptas imperio prouincias ac temporalia tandem reſtituat, & intra fines ſuos conſiſtens, ab aliena domo in ſuam, eq; tempeſtatibus imminentibus in portum ſe recipiat, officijq; ſui maiorem quàm hactenus habeat rationem. Quemadmodum Carneadem Romanis, qui iam rerum potiebantur, dixiſſe ferunt, Si iuſti eſſe, & aliena reſtituere velint, ad caſas eſſe redeundum, & viuendum in inopia.

¶ Quæ ſpes cum deplorata quodammodò videatur, magis atque magis tanquam ad incantantis vocem,

obſurdeſcente aſpide iſta, iampridem votis non irritis multi boni & patriæ amantes à Deo optimo maximo exoptãt, ut exiſtat aliquando Imperator ac Heros aliquis qui veterem imperij dignitatem à Pontificibus Romanis proculcatam & peſſundatam in lucem ſuam adſerat, recuperet atq; vindicet fortiter.

*Marſilius P.* Et hæc quidem Marſilio Patauino, de quo etiam ſuperius ſæpe meminimus, neceſſaria viſa fuit ratio, in eo libro quem pacis defenſorem inſcripſit, Pontificem Romanum & verbis & facto à temporalibus abſtinere debere.

Sæpius etiam hac de re Imperatores & Principes Imperij admonet grauiter PETRVS FERRARI-

*Ferrarienſis.* ENSIS, in commentario ſuo Practico:

Surgat, inquit, bonus Imperator, aduerſus illos qui orbem vniuerſum olim cauſa deuotionis, nunc auaritiæ & rapinæ cauſa deſtruxerunt & annihilarunt ſtatum Imperij, & omnium Laicorum. In forma libelli quo agitur ex ſubſtitutione & alibi.

Item apud AVENTINVM lib. 4. annalium:

*Auentinus.* Romani Pontifices, cum adhuc pauperes cum Chriſto eſſent, modeſtiores fuêre: nec os ſuum in cœlum auſi fuerunt ponere, tantamq; ſibi ſoluendi legibus ut libet permittere poteſtatem. Haud alienum fuerit, de hac re Hormiſdæ Pontificis Romani verba ponere, qui ait: Ego me in hoc periculo immittere non audeo, quia nec talia ſunt merita mea, vt aliorum peccata in me excipere præſumam: nec

mam: nec tantam eloquentiam habere, vt ante tribunal Chriſti contra tales & Sanctos Sacerdotes qui decreta ſtatuerunt, cauſam dicere poſsint.

Hactenus ille.

POrrò, quam iactant Romani Epiſcopi plenitudinem poteſtatis ſuæ, qua omnia, quæ in terra quæq; in cœlo ſunt, pedibus ipſorum prona ad nutum cedant: has ampullas quibus nihil vanius, nihil à Sacerdotibus alienius, etiam Marſilius Patauinus iampridem vt execrabiles deteſtatus eſt: Et Socinus, alijq; complures doctrina & virtute præſtantes viri, ridentes, nõ tàm poteſtatis quàm tempeſtatis plenitudinẽ videri ſcripſerunt. Vt patet ex conſilio Socini 164. col. pen. lib. 2. Et in conſil. 120. col. pen. ad fin. lib. 3. Et vltrà Socin. notauit Fulgoſius in conſil. 61. cuius initium eſt: Dña Catharina. col. pen. Franciſcus de Curte in conſil. 73. col. 19. in fin. Quod refert etiam Ioan. Neuiſanus inter conſil. Bruni in conſil. 11. col. 26. Et Aymo Crauetta in conſil. 241. num. 20. circa finem. Et in tractatu cuius titulus eſt: Somnium Viridarij. c. 82. num. 9. 6. *Põtificiæ poteſtatis plenitudo execrabilis.*

Ipſa etiam gloſſa iuris Pontificij ſalſè ridet hanc Papalem plenitudinẽ in c. quoties 1. q. 7. referens hos verſiculos.

*Seruierant tibi* Roma *prius domini dominorum,*
*Seruorum ſerui nunc tibi ſunt domini.*

Philippum Galliarum Regem, cui Pulchri cogmen fuit, cum de hac re & de Pontificis in omnes Reges orbis Chriſtiani dominatu, grauem contentionem cum Bonifacio VIII. haberet, quòd is ſuperbè ad Regem ſcripſiſſet:

*Scire te uolumus quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes, &c.* falsè reſpondiſſe legimus Pontifici hunc in modum:

PHILIPPVS, Dei gratia, Francorum Rex, Bonifacio VIII. ſe gerenti pro ſummo Pontifice, ſalutem modicam ſiue nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalib. nos alicui non ſubeſſe: Eccleſiarum & præbendarum collationem ad nos iure regio pertinere &c. Secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus, Datum, &c.

Quæ quidem ante annos amplius centum quinquaginta etiam approbata ſunt publicè à Schola Pariſienſi, quemadmodum prolixè refert vir doctus & multæ lectionis, STEPHANVS AVFRERIVS clem. 1. num. 15. 16. & 17. De officio Ordinarij.

Rectè autem ille, quiſquis is fuerit, qui cauſas & originem tantæ potentiæ breui ſed venuſto hoc verſu perſtrinxit:

*Simplicitas tantum fecit malè prouida Papam,*
*Vt nihil ad Papam dixeris eſſe Deum.*

Quæ quidem omnia ſatis docent, præpotentem hunc et ſuperbum dominatum Pontificum, non tantum Regibus & Principibus orbis Chriſtiani, priuata quadam imperij ſui amplificandi cupiditate grauem viſum: Sed & doctis in Scholis atq; intelligentibus priuatim diſplicuiſſe, & in publicam eruditorum omnium incurriſſe reprehenſionem:

nem: quemadmodum inter cæteros & ERASMVS, alioqui moderatior & minus vehemens, ſæpe & quidem non obſcurè, taxat Canoniſtarum & Scriptorum Papaliũ arrogantiam etiam Chriſto leges præſcribere tentantiũ: Vt ad Annotationes EDVARDI cuiuſdam in acta Apoſtolorum cap. 17. Nec volo, inquit, Chriſto leges præſcribere, ſicut Hoſtienſis, & quæ ſequuntur cætera.

Quinetiam ex ipſis Canoniſtis & Scholaſticis doctoribus pleriq; non obſcurè, tàm ſcribendo quàm docendo, teſtati ſunt, improbare ſe in Pontificibus hanc dominandi inſanam libidinem, quam etiam quantum in ipſis fuit impeditam ſtrenuè inhibuerunt. quemadmodum videre eſt apud Archidiaconum in c. hoc videtur. 22. q. 5. Et Ioannem Igneum in l. fidei commiſſum num. 267. Ad Sillanian. aliosq; complures.

Illud attingendum etiam paucis, quod arroganter ijdem iactant, habere ſe iura omnia in ſcrinio pectoris ſui, & ob id nullo modo hallucinari, labi, aut errare Papam poſſe in cauſis fidei: propterea quòd Petro Apoſtolo dictũ ſit à Domino: Oraui pro te, ne deficiat fides tua, Lucæ 22. 7.

*Papa impudẽter iactat ſe diuina et humana iura omnia habere in ſcrinio pectoris ſui.*

Egregiam ſanè & dignam Pontifice orationem, quæ multis profectò cachinnis accipienda eſſet. Et quis nõ habet cognitum, qui libros ipſorum & inconditam illam farraginem conſtitutionum Pontificiarum paulò oculatius inſpexerit, quàm fœdè non tantum in cætero iure, ſed eo ipſo etiam quod nouum ipſi condiderunt, hallucinati ſint ſæpius? quamq; ſui iuris & conſtitutionum ſuarum

ſæpe ipſi ſint ignari aut immemores: quàm indignè miſerabiliterq́; vetera Eccleſiæ inſtituta tractent: nouis ſubinde decretis, extrauagantibus, declaratorijs, Cancellariæ regulis ſurſum atque deorſum iura pro libidine vertentes, miſcentes, figentes ac refigentes. Quod etiam Cynum clari nominis Iuriſconſultum non leuiter offendit, & non obſcurè declaratur in ca. præterea. 23. diſtinct. Ita Vrbanus Papa in ca. vlt. 30. q. 4. dicit, non reperiri prohibitũ Pontificio iure, virum & vxorem ſimul poſſe puerum in Baptiſmo ſuſcipere: cum tamen id ante ipſum Leo expreſsè prohibuiſſet in ca. non plures de conſecrat. diſtinct. 4. Quod quidem & gloſſa planè fatetur in d. c. præterea. & d. c. 1. de conſecratione, licet errorem Pontificum palliare nitatur, ſed fruſtrà. Longum foret perſequi hæc ſingula, quæ nunc eruditis paſsim nota ſunt, & à multis tractata publicè. Inter quos eſt & Gundiſſalus de Villadigeo in tractatu de hæreticis, quæſt. 7. num. 7. tenens, Papam errare poſſe. Et plenius Ioannes de Piſauro, inter conſilia Bruni, conſil. 114. num. 6.

Hoc amplius, quoties ipſi inter ſe diſſenſerunt Pontifices, & contrarias conſtitutiones promulgarunt: Quoties quod ab altero conſtitutum fuit, mox ſequens abrogauit, ſuſtulit, aut aliter finxit: Nonne Innocentius III. & Cœleſtinus etiam III. de dirimendo matrimonio manifeſtè pugnantia ſtatuerunt: Hic alteri coniugum, ſi in hæreſin lapſus ſit alter, iterare coniugium permiſit: Iſte contrà vetuit. Vt eſt cernere in c. quantò: Extra de diuortijs. Pelagius conſtituerat vt ſubdiaconi Sicilienſes abſtinerent ab vxoribus quas legitimas duxiſſent: Id decretum ut durum & incompetens retractauit poſtea eius ſucceſſor Gregorius

Primus,

Primus, vt eſt in ca.1. diſtinctione 31. ubi gloſſa inſuper addit, hoc Pelagij decretum fuiſſe contra Euangelium. Alexander III. in ca. licet. Extra de voto, ſtatuit ſponſalia contracta verbis præſentibus non ſolui per aliud ſequens matrimonium copula carnali conſummatum: quod tamen à ſuperioribus Pontificibus contrà ſtatutum fuiſſe legimus.

Atq; hæc ex multis pauca retuliſſe ſatis ſit, quæ ijs quæ diximus fidem faciant, non tantam videlicet diuini & humani iuris ſcientiam in iſtorum pectore latere reconditam, quantam iactant ventricoſi Pontifices, & horum circumpurpurati Cardinales, præſertim cum conſtet, non raró indoctiſsimos quoſq; & omnis humanitatis rudes euehi ad faſtigium ſedis Papalis, quemadmodum ait is, de quo ſuprà etiam meminimus, Ioannes de Selua, in tractatu de beneficio. parte 3. q. 5. num. 5: Cardinales ſæpe eligere prorſus illiteratum Papam, qui tamen propter defectum ſcientiæ nequaquam illis repellendus videatur. Quo rectè videtur etiam alluſiſſe Baldus cum ait: Papas eſſe doctores vtriuſq;, & Ciuilis & Canonici, iuris, authoritate quidem, ſed non ſcientia. Quod & Iaſon in l. præſcriptione col. 2. C. Si contra ius uel vtilitatem publicam. Et Andreas Tiraquellus in tractatu de nobilitate cap. 31. num. 498. in fine, notarunt.

POſtremò. An Papa in his quæ fidem Orthodoxam ſpectant, quæq; ad ſalutem hominum neceſſaria ſunt, errare, & à fidei Chriſtianæ norma diſcedere poſsit: Id ſatis exemplum egregium Pontificis Ioannis XXII. docere nos poteſt, quem Gerſon in ſermone Paſchali publicè 8. *An Papa deficere poßit à fide Christiana.*

 aſſeruiſſe

aſſeruiſſe refert; Animam hominis vnà mori cum corpore uſq; ad diem futuræ reſurrectionis mortuorum: cumq; errorem Pontificis grauiter impugnatum & reprehenſum fuiſſe à Pariſienſium Schola eius temporis: Ac Regem Gallorum, indignitate rei commotum, edicto publico vetuiſſe, ne quis ſuorum cum Pontifice Romano tantiſper quidquam commertij haberet, dum is errorem tam fœdum reuocaret: Idq; per preconem pro more proclamatum fuiſſe: Atq; ita neceſsitate coactum Pontificem retractaſſe errorem ſuum publicè.

Simile eſt quod de LEONE X. ſcribitur: vbi eum negociorum aut potius voluptatum exquiſitiſsimarum odium cœperat, iuſsiſſe perſonatos Philoſophos duos ceu moriones, ex aduerſo ad menſam adſiſtere, quos animi gratia audiret de immortalitate animæ diſputantes, alterum qui affirmaret, & qui impugnaret alterum. Cumq; finita diſputatione iudicium in arbitrium Pontificis hi reijcerent, illum ſic definita ſententia controuerſiam diremiſſe: Etſi tu, inquit ad affirmantem, pulchras & bonas rationes habeas, tamen ego ſententiam huius probo ceu firmiorem & quæ faciat bonum vultum.

Eidem Leoni cum aliquando BEMBVS, vir excellenter doctus & qui poſtea Cardinalis delectus fuit, locum quendam retuliſſet è ſacris Biblijs, in ſermone priuato, moleſtius id ferens Papa, quid inquit; mihi narras iſtam de Chriſto fabulam?

Qualis autē fuerit Leo hic, et quas nundinationes exercuerit, id etiā ex Epitaphio eius intelligi poteſt, q; tale fertur.

*Sacra ſub extrema, ſi forte requiritis, hora*
*Cur* LEO *non potuit ſumere? uendiderat.*

Cui ſimile

Cui ſimile eſt illud Alexandri VI. Epitaphium dignum monſtro hominis:

*Bello, inimicitijs, furtisq́; & cædibus hauſtam*
*Italiam cernis* SEXTE, *& obire potes?*

Et illud de eodem:

*Pollicitus cœlum Romanus & aſtra ſacerdos,*
*Per ſcelera & cædes ad Stiga pandit iter.*

Ipſe etiam ex Canoniſtis celeberrimus Abbas Panormitanus quodam in loco ait: Pleroſq; Pontifices Romanos ita vitam ſuam in hac vita degere, vt facile appareat non credere illos, reſtare aliam vitam pòſt hanc vitam aut vllam mortuorum reſurrectionem & iudicium. Quæ quidem omnia ſatis, vt arbitramur, oſtendunt, an in cauſis fidei Chriſtianæ labi & errare poſsint nec ne Pontifices.

Cum igitur hæc, quæ de Pontificum immoderato in Eccleſia dominatu ac tyrannide hactenus commemorata ſunt elogia vaniſsima, ita, vt iam diximus, ſeſe habeant, & conſtet hæc præconia alieniſsima eſſe non tantum à ſacræ Scripturæ ſententia, verum etiam à SS. Patrum doctrina, improbari etiam ipſis doctoribus Scholaſticis melioribus, Canoniſtis, atq; iuris ciuilis interpretib. doctis, deniq; honeſtis quibuſq; et veritatem amantibus, facile eſt intelligere autores & concinnatores horum elogiorum meros fuiſſe aſſentatores Pontificum, quos in facinus hoc iuraſſe dixeris, omnia aſſentari PAPAE, quandoquidem is quæſtus multò ipſis fuerit vberrimus: & vt Poëta ait, malus ſit miniſter Regij imperij pudor. Etenim qui tyrannis ſeſe mancipant, etiam linguam ipſis mancipaſſe intelliguntur, nec facile perſonam ſuam citrà impudentiam

& gna-

& gnathoniſmos tueri poſſunt: Quod etiam Gerſon in tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica innuere voluit, vbi introducit tres illas colloeutrices; adulationem, diſcretionem & detractionem: attribuens adulationi vulgata iſta præconia & exaggerationes Pontificiæ poteſtatis, quas hodiè Papiſtæ in ore habent: & tandem grauiſsimè eas vituperans, ac reijciens: taxans etiam inſolentiam Papæ, qui omnia in omnibus eſſe uelit.

Quamobrem, in iſto tam deprauato ac deplorato Pontificij regni ſtatu, facile apparet, ſatis ſuperq́ꝫ cauſarum fuiſſe Statibus & his Imperij Ordinibus, cur ab eo ſeceſsionem fecerint, neq́ꝫ vllum deinceps Pontificum imperium aut ius vllum agnoſcendum ſibi exiſtiment, cum expreſſe dicat Apoſtolus epiſtola 2. Ad Theſſaloni. capite vltimo:

„ Præcipimus vobis fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſeiungatis vos ab omni fratre qui inordinatè ſe gerit, & non iuxta inſtitutionem quam accepit à nobis.

Quam ſententiam Eraſmus Paraphraſi ſua his verbis luculenter interpretatus eſt: Quod ſi quis eſt inter vos, qui contempta ratione viuendi, quam vobis iuxta regulam Euangelicam præſcripſimus, ſuo viuit arbitratu, & ocioſus ipſe turbet publicum ocium veſtrum, atq́ꝫ ipſe nihil agens curioſus ſit alienarum actionum: præcipimus vobis authoritate Domini noſtri IESV Chriſti, vt ab huius conſuetudine, ſi Chriſtianus fuerit, vos ſemoueatis. Neq́ꝫ enim pigebit alios imitari noſtrum exemplum, qui licet fungeremur Apoſtolico & honore & onere: non tamen ob id grauati ſumus apud vos in ordinem cogi, neq́ꝫ

neq; quidquam nobis vltra cæteros vindicauimus, adeò ut ne panem quidem acceperimus à quoquam: ſed obliti dignitatis noſtræ nocturnis diurnisq; laboribus atq; operis manuarijs ipſi parauimus nobis quæ vitæ neceſsitas poſtulabat, ne cuiquam eſſemus oneri.

Atq; hæc etiam grauiſsima D. Ambroſij ſententia fuit ſuper Lucam cap. 19. iubentis deſerendam omninò Eccleſiam illam, quæ Orthodoxæ fidei regulam & fundamenta ab Apoſtolis tradita conuellat aut reijciat: hæc enim ſunt eius verba, quę extant etiam in ca. quæ dignior in fi. 24. q. 1. Si qua eſt Eccleſia, quæ fidem reſpuat, nec Apoſtolicæ prædicationis fundamenta poſsideat, ne quam labem perfidiæ poſsit aſpergere, deſerenda eſt.

Et hactenus quidem quæ ad octauam recuſati Concilij cauſam neceſſariò pertinebant: quæ quidem cauſa per ſe ac ſola ſatis digna & grauis foret, ob quam à Papatu ſecedendum ſit meritò. Cum apertiſsimũ ſit & luce clarius, Põtifices & Sacerdotes, ac Epiſcopos Pontificios muneri ſuo adeò nulla ex parte reſpondere, vt à præcepto D. Petri Apoſtoli, cuius ſe ſucceſſores iactitant, abſint quàm qui longiſsimè. Qua de re, & de Sacerdotum atq; Epiſcoporum officio verba Eraſmi in annotationibus ad Epiſtolam Petri priorem cap. 5. imprimis digna viſa ſunt, quæ hîc coronidis vice adijcerentur.

*De officio Epiſcoporum & Sacerdotum Eraſmus.*

Præceptum Apoſtolorum principis, in omnibus omnium Epiſcoporum aulis, vel aureis literis oportebat inſcribi. PASCITE, inquit, GREGEM, non opprimite, non expilate: idq; non coacte,

actè, velut ex officio, ſed ex ſyncero affectu, tanquam patres: neq; turpis lucri gratia, quaſi præſentiens Eccleſiæ peſtem hinc orituram. Deniq; non dominantes, more Regum: ſed exemplo paſcite, benefactis vincite. Nunc Epiſcoporum vulgus nihil audit ab aſſentatoribus doctis, niſi dominia, ditiones, gladios, claues, poteſtates: atq; hinc faſtus quorundam plus quàm regius, ſæuitia plus quàm tyrannica.

Et in paraphraſi ſuper eodem capite:

Turpe eſt, quæſtus gratia curare populum Chriſtianum, quod nemo cum laude facit, niſi qui ſponte, & gratis facit. Excidit à præmio cœleſti, qui venatur hic officij mercedem ab hominibus. Huic proximum eſt, ſi quis lucri quidem contemptor eſt, ſed tamen ambit honorem ac dignitatem, gaudet imperare, gaudet coli, nec huic erit præmium apud Deum, tulit hic mercedem ſuam: Multum abeſt Epiſcopi munus à dominatu. Non eſt tyrannis, ſed adminiſtratio: Ideo præſidet Epiſcopus, non vt plus auferat lucri, non ut regnet, vtq; illi plus liceat: ſed vt plus proſit.

NONO

NONO, PRAETER EAS QVAS HACTENVS commemorauimus, recuſati Concilij Papalis cauſas, ob errores ſcilicet de Doctrina manifeſtiſsimos, cultus idolatricos, plenos omnis ſuperſtitionis, tyrannidem infinitam, cęteraqꝫ flagitia, quibus Pontifices Romani Eccleſiam miſerè oppreſſerunt, aliæ etiam ſpeciatim reſtant cauſæ, non minus neceſſariæ & vrgentes, cur Tridentini conuentus autoritatem nulla in parte agnoſcendam ſibi Status Imperij rectè arbitrentur. IX. *Cauſa recuſandi ob impia decreta, promulgata ſuperiori Cõcilio Tridentino: quæ hic ordine refutantur.*

Etenim ex euulgatis Concilij diplomatibus Pontificijs & hoc euidentiſsimum eſt, autorem huius Concilij Pium IIII. nequaquam id agere aut in animo habere, vt NOVO aliquo Concilio legitimè, ordine, et quo modo oporteat, de controuerſia religionis cognitio fiat, quò eruditorum, & intelligentium iudicio ac pia collatione laboranti Eccleſiæ ſuccurratur, & lux Euangelio redeat: ſed id moliri vnum, & non obſcurè ſtruere, ut ſuperius Concilium, etiam Tridenti habitum, eiuſqꝫ decreta impia omni ratione confirmet nunc atqꝫ ſtabiliat.

Id cum ex verbis illis: OMNI SVSPENSIONE SVBLATA: quibus in vtraqꝫ, & indulgentiæ, quam vocant, & altera electionis Bulla vſus eſt, euidenter apparet: tum etiam ex eo intelligi facile poteſt, quòd Status, cognito Pontificis Conſilio & molitione ſuſpectæ huius atqꝫ impiæ continuationis Tridentinæ, legatis ac literis hinc inde miſsis præmonere, & hortari, & iam liberius accuſare Pontificem priuatim non deſtiterunt, vt reſtitutioni huic inſidioſæ, quam & Religioni & Reipublicæ periculoſam, pijsqꝫ & bonis omnibus grauem,

& non ferendam moliretur, comiter ſuperſederet ac porrò quieſceret. Sed fruſtra: planè enim ille nec admonitionibus, nec conſilijs ſalutaribus locum reliquit.

Quo quidem ipſo, ſatis teſtatum Statibus Imperij & vniuerſo orbi Chriſtiano animum ſuum fecit. Vt dubitandum iam non ſit, quin et hic Papa ſimilis ſit futurus maiorum ſuûm, nec permiſſurus vllo modo ut tandem liberũ aliquod, Chriſtianum, & œcumenicum Concilium congregetur, quo idolatricis cultibus atque erroribus doctrinæ ſublatis, tot ſeculis deſiderata emendatio ac reformatio Eccleſiarum nonnihil procedat, aut quidquã aliter fiat, quàm anteceſſoribus eius hactenus placuit. Id ut minus dubitandum nobis ſit, facit quod prima ſtatim Seſsione iſtius Conciliabuli decretum intelligimus, ut omni ſuſpenſione remota ſtrenuè procedatur.

Facile autem ex his præuideri & intelligi poteſt, qualis futura ſit ea, quæ agitur nunc Tridenti, Synodus, quæ eius in dicendis ſententijs libertas, quis actionis modus, quis denique exitus eius futurus ſit, Statibus Imperij & aduerſa parte protinus ab initio pro hæreticis condemnata: tum quia ſuperiorum, quæ proximè anteceſſerunt, Conciliorum Decreta præcipua cum verbo Dei expreſſo, & Patrum Sanctorum doctrina antiquiſsima implacabiliter & ex diametro pugnant.

Quod quidem hoc in loco apertiſsimis rationibus ordine & diſtinctim, quantum eius neceſſarium videbitur, planum faciemus ac demonſtrabimus: vt quid deinceps de euentu malè inchoati huius Concilij ſperãdum ſit, et quem res hæc euentum habitura videatur, non obſcurè omnes proſpicere & intelligere queant. Etenim vix eſt, vt, quæ malo

malo inchoata ſunt principio, exitu bono peragantur.

Ac primvm quidem tertiò eius Synodi conſeſſu decretum factum fuit, de Traditionum humanarum in Eccleſia autoritate, hoc videlicet: præcepta & traditiones humana autoritate conſtitutas & conſuetudine Eccleſiæ obſeruatas, non minore pietate & reuerentia ſeruare oportere, quàm quæ per ſpiritum Sanctum tradita ſunt à Prophetis & Apoſtolis in Scripturis ſanctis. Verba decreti hæc ſunt.

*Refutatio III. Seßionis Tridentinæ de autoritate Traditionum.*

## SESSIONE III.

*SACROSANCTA &c. Synodus, omnes libros, tàm ueteris quàm noui Teſtamenti, cum utriuſq; unus ſit DEVS autor, nec non traditiones, tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, tanquàm uel oretenus à Chriſto, uel à ſpiritu Sancto dictatas, & continua ſucceßione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit & ueneratur.*

Manifeſtam autem impietatem huius decreti arguunt indubitata Scripturæ teſtimonia quæ ordine ſequuntur:
Epheſ. 2. Edificati eſtis ſuper fundamentum Pro- „
phetarum & Apoſtolorum, lapide angulari exi- „

„ ſtente ipſo CHRISTO IESV.

*Item.*

„ Fruſtra colunt me docentes mandata & præce-
„ pta hominum: Matth. 15. & Eſaiæ 29.

*Marci 7.*

„ Omiſſo pręcepto Dei tenetis conſtitutiones ho-
„ minum. *Coloſſ. 2.*
„ Ne quis imponat vobis conſtitutionibus homi-
„ num per humilitatem & ſuperſtitionem.

*Item.*

„ In præceptis MEIS ambulate, non in ſtatu-
„ tis Patrum veſtrorum: Ezech. 20.

In quam ſententiam alia innumera extãt Prophetarum & Apoſtolorum teſtimonia, quæ omnia magno conſenſu hoc docent, nõ aliter licere Deum colere aut inuocare, quàm ipſe ſe coli, agnoſci & inuocari in verbo ſuo per Prophetas & Apoſtolos tradito voluit, deſcripſit & patefecit.

¶ At Tridentinum hoc Concilium & Papatus vniuerſus contrà hæc ſtatuit & decernit, traditiones humanas & inueteratas in Eccleſia conſuetudines pari autoritate cum diuinis Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis ac præceptis cenſendas, nec modò illis æquiparari ſed etiam præferri oportere: interpretationem etiam et intelligentiam ſacrorum librorum omnem à conſuetudine et cõmuni opinione traditionum, ſeu (vt honeſtè plerumq; nominare ſolent) à conſenſu Eccleſiæ perpetuò eſſe petendam.

Pleriq; etiam eò dementiæ progrediuntur, vt libris editis impudenter affirmare auſint: Quidquid ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum extet, id omne ambiguum eſſe &

eſſe & incertum, atq; ideò ex communi hominum opinione & conſenſu dijudicandum. Quemadmodum Vuormacienſi colloquio eo, quod ante quadriennium habitum fuit, apertè affirmarunt Pontificij collocutores, ſacram ſcripturam materiam litis eſſe, nõ vocem iudicis aut normam iudicij: Atq; ideo in omni de doctrina quæſtione conſenſum hunc & traditiones Eccleſiæ Romanæ præcipuè audiri oportere. Neq; verò magnoperè id quærunt aut conſiderant, an traditiones iſtæ expreſſo verbo Dei aduerſentur: Id quod non rarò fieri, quis eſt, qui non videat? Ex quo genere ſunt tot vota monaſtica, ciborũ prohibitiones, communio ſub vna ſpecie, indulgentiæ et infinitæ aliæ traditiones, in immenſum hactenus cumulatæ in Eccleſia.

Quæ quidem omnia impia ſunt manifeſtò, & in Deum ac ſacroſanctum eius Euangelium contumelioſa: perinde ac ſi nullam aliam ob cauſam ex arcana ſede ſua prodijſſet, & verbo tradito ſeſe patefeciſſet DEVS, quàm, vt veluti Eridos ſeu contentionis Pomo miſeris mortalibus obiecto, eos committeret mutuis inter ſe rixis & certaminibus, è quibus non aliter quàm humanarũ traditionũ ſapientia & conſuetudinis vſitatæ interuentu euoluere ſeſe queant.

Itaq; nec minus aduerſantur impiæ huic opinioni S. Patrum ſententiæ grauiſsimæ, quæ nos ad Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam, non ad traditiones ab hominibus excogitatas aut commenticios cultus paſsim reuocant & deducunt. *Teſtimonia Patrum.*

*Ita enim* S. AVGVSTINVS *ad Ianuarium ſcribit Epiſt. 119. circa fin.*

Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in AVGVSTINVS.

diuinis libris ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur: & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut grauius corripiatur, qui per octauas ſuas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia ſepelierit.

Et HILARIVS *in Mathæum cap.* 14.

HILARIVS. Omnem plantationem quæ non à patre ſit, eradicandam dicens, id eſt, traditionem hominum eruendam, cuius fauore legis pręcepta tranſgreſſi ſunt. Et ideò eſſe eos duces cæcorum, vitæ æternæ iter quod non videant pollicentes, cæciſq; ipſis & ducibus cæcorum caſum in foueam eſſe communem.

*In eandem ſententiam* ORIGENES *ad Ezechielem Homilia* 7. *ait*:

ORIGENES. Nullum imitemur, & ſi volumus imitari quempiam, propoſitus eſt nobis ad imitandum Chriſtus Ieſus: deſcripti ſunt actus Apoſtolorum, & Prophetarum geſta de ſacris voluminib. agnoſcimus: Illud exemplar firmum eſt, illud propoſitum ſolidum, quod qui ſequi cupit, ſecurus ingreditur.

Et CYPRIANVS *in ſermone de Baptiſmo Chriſti ſic ait*:

CYPRIANVS. Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Chriſtiana religio, et inueniet ex hac ſcriptura omnium doctrinarum regulas emanaſſe, & hinc

hinc naſci, & huc reuerti quicquid Eccleſiaſtica cō‑
tinet diſciplina: & in omnibus irritum eſſe, et friuo‑
lum quicquid dilectio non confirmat. Præcepiſti
Domine, vt audiamus dilectum filium tuum: gra‑
tias tibi agimus, quia nos eius magiſterio commen‑
daſti. Nos verò ex præcepto tuo eius doctrinæ nos
tradimus informandos, & inhærentes ei libenter,
eum duce ſpiritu ſancto omni tempore audiemus.

Fuit & GANGRENSI Concilio decretum tale *Concilium Gangrenſe.*
factum: Anathema eſſe ſi quis à lege diuina diſcedens no‑
uas ſubinde comminiſcatur traditiones & conſtitutiones.

*In eandem ſententiam & ERASMVS in Paraphraſi ſua ad Marcum Euangeliſtam cap. 7. eleganter ſcribit:*

Quantùm inter DEVM & homines ſit di‑ ERASMVS.
ſcriminis, tantùm etiam inter diuina pręcepta et tra‑
ditiones humanas fieri oportere.

*Et paulò pòſt hæc uerba ſubijcit:*

Prępoſtera pietas eſt, & irreligioſa religio, ſuper‑
ſtitioſum eſſe in obſeruandis his, quæ maiores ve‑
ſtri ex ſuo animo tradiderint, & ea negligere quæ
præcipit Deus.

Atq; hactenus ſatis de traditionibus, quas facile ex his
eſt intelligere, errore manifeſto & impio æquiparari præ‑
ceptis Dei, & hac in re Tridentinum Concilium decretis
ſuis expreſſo verbo Dei contraria ſtatuere ac confirmare.

De altera parte Decreti ſuperioris.

QVOD AD ALTERAM SVPERIORIS DECRETI partem attinet: Statuit etiam Cõcilium de libris quibuſdam Biblicis, ex quorum numero ſunt, liber IVDITH, TOBIAE, BARVCH, MACHABEORVM, Epiſtola ad HEBRAEOS, IACOBI, IVDAE & alij nonnulli: hos quoq; eſſe habendos pro Canonicis: & qui cõtrarium ſentiat, hunc anathematis reum fore: Verba Decreti ita habent:

*Si quis autem libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in ueteri uulgata editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit: Anathema ſit.*

At verò Diuus HIERONYMVS contrà, hos libros ſeparat à Canonicis libris & inter Apocrypha refert, hoc eſt, latentia ſcripta, quorum longè inferior in Eccleſia ſit autoritas quam Propheticorum et Apoſtolicorum ſcriptorum. Sic enim ſcribit de libro IVDITH in Prologo:

LIBER IVDITH Apocryphus.

Apud Hebræos liber IVDITH inter hagiographa legitur, cuius autoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur.

Et in Prologo Galeato:

Vt ſcire, inquit, valeamus quidquid extra hoc eſt, inter Apocrypha eſſe ponendum. Igitur SAPIENTIA (quæ vulgò SALOMONIS inſcribitur, & IESV SYRCH liber, & IVDITH & TOBIÆ non ſunt in Canone.

QVI

QVI SAPIENTIA SALOMONIS inſcribitur liber, de eo ita Euſebius autor hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib.6.cap.11. Sapientia Salomonis, Sapientia Syrach, & epiſtola Iudæ ab aliquibus minimè recipiendi videntur. LIBER SAPIENTIAE SALOMONIS.

*Et in præfatione ad librum Salomonis dicit Hieronymus.*

Sicut Iudith, et Tobię et Machabęorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos intra Canonicas ſcripturas non recipit: Sic et hæc duo volumina, uidelicet Sapientiam Salomonis, & Eccleſiaſticum Syrach legat ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Eccleſiaſticorũ dogmatum confirmandam.

DE LIBRO BARVCH idem Hieronymus in præfatione in Hieremiam Prophetam ita ſcripſit: Librum Baruch, inquit, notarij eius, quia apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermiſimus. LIBER BARVCH.

*Et in præfatione quæ additur eidem libro in peruulgata editione ſic ſcribitur.*

Liber iſte, qui Baruch nomine prænotatur, in Hebręo canone non habetur, ſed tantum in vulgagata æditione. Similiter & epiſtola Hieremiæ.

LIBRI MACHABAEORVM ſimiliter ad adſerenda dogmata Apocryphus eſt, & autoritate caret in Eccleſia: De quo ſic idem HIERONYMVS: Et ex libro illo vetuſto, qui ſub nomine Cypriani MACHABAEORVM LIBRI.

de expoſitione Symboli ſcribitur, apertè conſtat locum nullum habuiſſe in veteri Eccleſia.

Quin etiam ipſe autor eorum librorum, in fine operis dubitare ſe ſignificat, rectè ne an ſecus ſcripſerit. Sic enim inter cætera ait: Et ſiquidem rectè & congruenter, hoc & ipſe volebam: ſin exiliter & tenuiter, hoc eſt quod potui. Quæ verba minimè adieciſſet autor, ſi certus fuiſſet librum eum ſpiritu Sancto autore confectum fuiſſe.

*Epiſtola ad HEBRAEOS.* Quod ad EPISTOLAM ad HEBRAEOS attinet, Hieronymus in Eſaiam cap. 8. & alibi de ea expreſsè ſic ait: licet eam latina ſcriptura inter Canonicas nõ recipiat.

*Epiſtola IACOBI.* De Epiſtola IACOBI hæc extant verba apud Euſebium lib. 2. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 23.

Hactenus, inquit, de IACOBO, cuius eſſe dicitur epiſtola quæ inter Catholicas prima eſt. Sciendum autem eſt eam eſſe adulterinam. Non enim multi ex veteribus mentionem illius faciunt, ſicut nec eius, quæ Iudæ inſcribitur, &c.

*Epiſtola IVDAE.* IVDAE Epiſtola iam ex ſuperioribus liquet, et idem Euſebius cum lib. 3. cap. 25. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ enumeraſſet ſcripta Apoſtolica quæ pro indubitatis habenda ſint, addit poſtea: Quibus autem contradicitur, tametſi multis ſint cognita, hęc ſunt: Epiſtola quę IACOBO tribuitur, & Epiſtola IVDAE & poſterior PETRI, & altera cum tertia IOANNIS.

IAM ſi Tridentinæ Synodi decreta de his libris ſequamur, conſequens erit & ad Diuum Hieronymum & Euſebium, qui nec ipſi, ut oſtendimus, libros iſtos pro Canonicis agnouerunt, anathema et execrationem Tridentinam pertinere, & nobiſcum in eadem, ſi Dijs placet, naue periclitari.

EADEM SESSIONE TERTIA DECRETVM quoq; legimus de Latina interpretatione Bibliorum, vetere illa & vulgata, quod hæc ſola habenda ſit, ut loquuntur, pro authentica, quam nemini quauis ratione aut prætextu reprehendere vel reijcere liceat: Verba decreti ſunt hæc: *De tertia parte ſuperioris decreti Tridentini.*

*Inſuper eadem SANCTA Synodus, conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ DEI, ſi ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur, ſacrorum librorum, quænam Authentica habenda ſit, innoteſcat: Statuit, & declarat, ut hæc ipſa uetus et uulgata editio quæ longè tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus, pro authentica habeatur: Et quod nemo illam reijcere, quouis prætextu audeat, nec præſumat.*

ETSI AVTEM PROPTER MVLTAS CAVSAS vulgatæ translationi locum ſuum attribuendum agnoſcamus li-

mus libenter, meritoq́ eam faciamus magni: tamen viciſſim & hoc nobis largiantur aduerſarij oportet, quod etiam Canones ipſorum tradunt, Latinam verſionẽ veteris Teſtamenti ad Hebræos fontes, noui autem Teſtamenti ad Græcos perpetuò eſſe examinandam. Sic enim habet Canon: Vt veterum. diſtinct. 9. ex S. Auguſtini ſententia: Fidem librorum antiqui Teſtamenti examinandam ad Hebraica exemplaria, noui autem ad Græca.

Quoties etiam ipſe Hieronymus veterem translationem reprehendit? præſertim in Commentarijs ſuis in Eccleſiaſten, & in Matthæum, & in pleroſq́ Epiſtolas Paulinas & alibi. Quoties in Commentario explicationis ſuæ ad Prophetas ab Hebraicis fontibus ſententiarum veritatẽ petit? Quid? quod non raro ipſe interpretationẽ ſuam commutauit ac variauit, quod etiam Eraſmus notat. Deinde nec omnes qui apud Auguſtinum citantur loci Scripturæ paſſim, ex vetere translatione deſumpti ſunt. Vt hoc interim omittamus, vix fieri potuiſſe, vt in opere tam magno vnius ingenij labor alicubi non cederet oneri; ſiquidem & quandoq́ bonus dormitat Homerus.

Quod ſi adeò nihil ad ſummam perfectionem iſti translationi deſit, ut Decreti autores opinantur, malè profectò operam ſuam collocaſſe Laurentium Vallam, Eraſmum, Vatablum ac plures alios viros laude eruditionis ſummæ præſtantiſsimos dicemus, qui tantum in repurgando textu & annotationibus conſcribendis deſudarunt, tantumq́ laboris exantlarunt fruſtra.

At econtrà, ſcimus Eraſmum in ea apologia, quam aduerſus debacchationes Sutoris edidit, de interpretatione noui Teſtamenti quæ repurgata ab ipſo in manibus eſt, multis verbis

tis verbis rectè gloriari, quàm ea & Pontificibus et Epiſcopis, & permultis Theologis grata acceptaq́ꝫ fuerit, & ab ipſo etiam Leone X. Pōtifice imprimis commendata: neq́ꝫ vllum vnq́ꝫ doctorem hoc conſilium eius improbaſſe, aut vllius Synodi vocem exauditam quę vel hanc emendationem veteris translationis Hieronymi damnaſſet, aut etiam piaculare ſcelus iudicaſſet ſi quidq́ꝫ in ea rectè corrigeretur. Quid igitur cauſæ eſt? quòd hi noſtri coryphæi & decretorum fabri nouo exemplo veterem Bibliorum verſionem Latinam ſine vlla diſtinctione ſimpliciter et per omnia authenticā, et quæ nęuos prorſus nullos habeat, pronunciant.

## DECRETA IIII. SESſionis Tridentinæ.

Quartæ porrò Seſsionis Tridentinæ Decreto primo, ꝙ publicatum fuit ad annum Dn̄i 1546. Iunij die 17. circa finem Decreti ſtatutū legimus de peccato originis, ꝙ concupiſcentia quæ dicitur, ſeu praua illa inclinatio omniū viriū hominis, quæ manet etiā in renatis pòſt Baptiſmū, nequaq́ꝫ ſit peccatum Deo diſplicens: Hęc enim ſunt Decreti verba:

*Manere autem in baptizatis concupiſcentiam uel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur, &c. Et paulò infra: Hanc concupiſcentiam quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunq̄ intellexiſſe peccatum appellari, quod uerè & proprie in renatis peccatum ſit: Sed quia ex*

*peccato*

*peccato eſt, ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.*

SED ET HOC DECRETVM PRORSVS IMPIAM opinionem & corruptelam ſanctæ Scripturæ inuehit, errorem multis nominibus reprehendendum meritò. Neque obſcurum eſt quæ cauſa autores decreti mouerit, ut ſic decernant. Huic enim tanquã fundamẽto poſtea infinitos alios errores ſuperſtruunt, de iuſtificatione, de impletione legis, de meritis & dignitate bonorum operum, quæ alibi prolixius & plenius à noſtris ſunt demonſtrata. Nos verò contrà conſtanter adſeueramus, hoc malum concupiſcentiæ quod etiam in renatis & ſanctis in mortali hac vita manet reliquum: videlicet in mente hominis caligo horrenda ac denſa ignorationis de eſſentia & voluntate Dei: variæque fluctuantis ac dubitantis animi procellæ, multiplex in voluntate auerſio, ſecuritas, contumacia: & in corde prauorum affectuum incendia dira, quæque reliqua ſunt eius generis mala in natura hominis triſtiſsima & multiplicia, quę omnia vno concupiſcentiæ nomine comprehenduntur. Hæc, inquam, verè, propriè & ſua natura peccata ſunt, hoc eſt mala grauiter pugnantia cum voluntate Dei ſeu lege et certò diſplicentia DEO: quemadmodũ hæc grauiſsimè, copioſè & diſertè explicat Paulus Apoſtolus ad Rom. 7.

„ Neſciebam concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi
„ lex dixiſſet: Non concupiſces.

*Et deinde:*

„ Scio quod non habitet in me bonum, hoc eſt, in
„ carne mea, bonum.

Et

*Et cap. 8.*

Affectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. „

*Hieremiæ 17.*

Peruerſum eſt humanum cor ſuper omnia, & „ miſerum, & inſcrutabile. „

*Hinc & illæ Paulinæ uoces:*

Omnes peccauerunt & deſtituuntur gloria Dei. „

*Item.*

Peccatum non noui niſi per legem. „

*Item.*

Quod ego quidem ago, non probo. Non enim quod volo hoc facio, ſed quod odi, hoc ago. Si verò „ quod non volo, hoc facio, conſentio legi, quod bo- „ na ſit. Nunc autem non iam ego perpetro illud, ſed „ inhabitans in me peccatum. „ „

*Item.*

Video aliam legem in membris meis, rebellan- „ tem legi mentis meæ, & captiuum ducentem me in „ legem peccati, quæ eſt in membris meis, &c. „

¶ Iam ſi ſanctiſsimum hunc virum & Apoſtolum Dei, (quem ipſi etiam autores decretorum Tridentinorum tu- bam cœli & doctorem orbis honorificè nominant) fateri apertiſsimè nõ puduit in carne ſua manere quiddam quod legi Dei aduerſetur, quodq́; horribiliter auerſetur Deus: Quam cauſam dicemus fuiſſe cur doctrinam hanc Syno- dus no-

dus noſtra vt hæreticam decretis ſuis damnet?

Sed, vt diximus, omnia hæc eo comparata ſunt ab aduerſarijs, vt huic baſi poſtea ſuperędificent infinitos alios errores, de viribus liberi arbitrij, quibus homo diuinam gratiam promereri poſsit, faciendo q́ in ſe eſt, vt loquuntur: & ſimilia portenta prodigioſarum opinionum.

*Teſtimonia Patrũ de peccato originis & concupiſcentia.*

Cum autem tota hæc doctrina Dei beneficio explicatiſſima ſit in Eccleſijs & Scholis noſtris, & pijs omnibus nota, ijs præſertim qui imbecillitatem ſuam intelligunt & ſerio deplorant, prolixiorem Scripturarum comemorationem hîc omittimus. Et, quod reſtat, Patrum Sanctorum teſtimonia quædam adijciemus. Ac imprimis D. HIERONYMI præclarum dictum quod extat in Epiſtola ad Algaſiam q. 8. his verbis:

HIERONYMVS.

Interior homo conſentit & Scripturæ, & naturali legi, quod bona ſit, & ſancta, & iuſta, & ſpiritualis. Exterior, ego, inquit, carnalis ſum, venundatus ſub peccatum. Quod enim operor, neſcio, & non quod volo hoc ago, ſed quod odi. Si autem exterior facit quòd non vult, & operatur quod odit, oſtendit bonum eſſe mandatum, & non ſe operari quod eſt malum, ſed habitans in ſua carne peccatum, hoc eſt, uitia corporis & deſideria voluptatis, quæ propter poſteros & ſobolem inſita eſt humanis corporibus.

*Sic & AVGVSTINVS contra Iulianum lib. 2.*

AVGVSTINVS.

Lex iſta peccati, & remiſſa eſt regeneratione ſpirituali,

ſpirituali, & manet in carne mortali: Remiſſa ſcili-cet, quia reatus ſolutus eſt in Sacramento, quo re-generantur fideles: manet autem, quia operatur de-ſideria, contra quæ dimicant & fideles. Item, Lex itaq; peccati, quę in tanti quoq; Apoſtoli membris erat, remittitur in Baptiſmate, non finitur. Item, Legem peccati, cuius manentis ſolutus eſt in Bapti-ſmo reatus, Ambroſius uocauit iniquitatem: quia iniquum eſt, vt caro cõcupiſcat aduerſus ſpiritum. Item. Mortuum eſt peccatum in eo reatu, quo nos tenebat: & donec ſepulturæ perfectione ſanetur, re-bellat & mortuum.

Et apertius libro quinto: Sicut cæcitas cordis & peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur: & cauſa peccati, quum aliquid cæci cor-dis errore committitur: ita concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & pec-catum eſt, quia illi ineſt inobedientia contra domi-natum mentis: & pœna peccati, quia reddita eſt meritis inobedientis: & cauſa peccati defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.

Deniq; ſic dicit etiam (vt idem Auguſtinus te-ſtatur) victorioſiſsimus CYPRIANVS in Epiſt. de oratione Dominica. Fieri autem petimus voluntatem CYPRIA-NVS.

voluntatem Dei in cœlo, & in terra, quod vtrumq́ ad conſumationem noſtræ incolumitatis pertinet, & ſalutis. Nam cum corpus è terra, & ſpiritum poſsideamus è cœlo: ipſi terra, & cœlum ſumus, & in vtroq́, id eſt, in corpore & ſpiritu, vt Dei voluntas fiat, oramus. Eſt enim inter carnem, & ſpiritum colluctatio, & diſcordantibus aduerſus ſe inuicem, quotidiana congreſsio: vt non ea, quæ volumus ipſa faciamus, dum ſpiritus cœleſtia & diuina quærit, caro terrena & ſecularia concupiſcit.

Et in lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia, ad Valerium c. 25. Sic ſcriptum reliquit D. AVGVSTINVS: Peccatum in Baptiſmo remittitur, non ut non ſit: ſed ut non imputetur.

AVGVSTINVS.

Hîc palàm fatetur eſſe, hoc eſt, manere peccatum, tametſi non imputetur. Et hæc ſententia adeò placuit poſterioribus, vt recitata ſit etiam in Decretis Gratiani.

Atq́ hactenus quidem de concupiſcentia, ex quibus ſatis ſuperq́ conſtat, quale ſit hoc malū cuius magnitudinem tantopere extenuant aduerſarij: quæq́ de eo fuerit ſemper piorum & intelligentium in Eccleſia doctorum ſententia.

2.

*Decretū IIII. Seßionis: Quod Papa ſit ſupra Concilium et Eccleſiam.*

Sunt et in reliquis decretis eiuſdem Seſsionis multi manifeſti & tetri errores: Atq́ in ſecundo decreto quàm elegans dant principium gnathones Papiſtici thraſoni aut pòtius idolo ſuo, non tantum præficientes Papam Concilijs œcumenicis, ſed etiam ſuprà Concilia omnia, omnesq́ Synodos

Synodos exaltantes: Ex quo genere adulatorum videtur fuiſſe & Iacobatius, qui libro de Conſilijs decimo, articulo ſeptimo, prolixè ſe volutat in quæſtione de ſuperioritate Papæ ad Concilium, & tandem poſt longam diſputationem eodem recidit, Papam ſcilicet eſſe ſupra omnia Concilia.

Quam tamen ſententiam & ſcholaſticis Theologis, & antiquiſsimis Patribus ſemper diſplicuiſſe nemo eſt qui inficias ire poſſit, conſtatq; omnes vno ore in eo conuenire, quod Papa ſubiectus & inferior eſſe debeat Eccleſiæ & Concilijs, & ab ijſdem quoq; dijudicari, ac, ſi opus ſit, remoueri poſsit ab officio. Qua de re copioſè GERSON in tractatu de poteſtate Eccleſiæ, & altero, de aufferibilitate Papæ ab Eccleſia. Item: IACOBVS ALMAN in tractatu de poteſtate Eccleſiæ contrà Thomã Vionenſem. Orbis enim, vt HIERONYMVS ait, maior eſt vrbe. Et Eccleſia poteſtatem immediatè habet à DEO. Petrus enim claues accepit vt Eccleſiam repræſentans, ut Auguſtinus ait & refertur in ca. quomodocunq;. 24. q. 1.

GERSON. IA. ALMAN. HIERONYMVS.

Et CYPRIANVS *in tractatu de ſimplici Clerico:*

Hoc erant, inquit, vtiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi et honoris et poteſtatis: ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt vna Eccleſia monſtraretur.

CYPRIANVS.

*Eadem fuit & S.* BERNHARDI *ſententia lib. 3. de conſideratione ad Eugenium Papam, ubi inquit.*

Erras ſi vt ſummam, ita & ſolam inſtitutam à DEO veſtram apoſtolicam dignitatẽ exiſtimas: ſi hoc ſentis, diſſentis ab eo qui ait: Nõ eſt poteſtas, niſi à Deo: ad Roman. 13. *Et paulò pòſt:*

Deniq; idem ait: Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit: non ait ſublimiori tanquam in vno, ſed ſublimioribus, tanquam in multis. non ergò tua ſola poteſtas à DEO: ſunt & mediocres, ſunt & inferiores. Hæc ille.

Et hanc concluſionem tenuit vniuerſa Synodus Baſilienſis, eamq; multis autoritatibus ſacræ Scripturæ acuratè defendit, nec voluit legatos Pontificis tanquam præſidentes admittere, vt ex actis Concilij conſtat.

*De Vicarijs Epiſcoporum et miniſtrorum Eccleſiæ.*

SEQVITVR deinde eodem in Decreto Tridentino, quod ad Epiſcoporum officium pertinet: licere Epiſcopis & quicunq; alij Eccleſiarum proceres ſint qui populum doceant, ſi impedimentum accidat, ſubſtituere alium qui faciat: Verba PATRVM hæc ſunt:

*Quia uerò Chriſtianæ Reipublicæ non minus neceſſaria eſt prædicatio Euangelij, quàm lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus: Statuit et decreuit eadem Sancta Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos,*

*pos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos (ſi legitimè impediti non fuerint) ad prædicandum ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium.*

*Si uerò contigerit, Epiſcopos & alios Prælatos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilij, uiros idoneos adſumere teneantur ad huiuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum.*

SED ET HAEC SVBSTITVTIO AC VICARIA Opera tàm in ſacris ſcripturis, quàm Patrum autoritate grauiter prohibetur. Cum enim miniſterium docendi Euangelij præcipuum Epiſcoporum munus ſit, quemadmodum hi fatentur ipſi, conſequens eſt, debere Epiſcopum cæteris curis & negocijs omnibus poſthabitis, huic vni fide ſumma præcipuam nauare operam.

Quod quàm probè fiat hodiè, res nimirum declarat ipſa: dum Epiſcopi, Archiepiſcopi, Prælati, cæteriq; Eccleſiarum antiſtites ita ſeſe ſecularium negociorum adminiſtrationi implicant & immergunt totos, vt diuinis rebus faciendis, lectioni atq; meditationi ſacræ ocium omne neceſſario eis deeſſe oporteat. Nemo militans Deo, implicat ſe ſecularibus negocijs, inquit Paulus. Et alibi: Attende lectioni, conſolationi, & doctrinæ.

At hi alterum etiam pedem in curia & caſtris, alterum in ſuggeſto defigunt, ſi modò ſuggeſtum vnquam contingant in vita, per occupationes cæteras.

Malè autem inter magiſtratus & ſecularium negociorũ adminiſtrationẽ ſacerdotũ innocentia tuta eſt. Ideoq; de

Aarone deq́ꝫ cæteris Leuitici generis nihil intelligimus aliud, quàm eos Domini tabernaculum procuraſſe diligenter. Non Eleazàr, non Phinees, non cæteri Pontifices ac tabernaculi ſeu templi miniſtri quidquam, niſi quod ad rē diuinam pertineret adminiſtrabant, imò nec adminiſtrare poterant, niſi officio ſuo deeſſe voluiſſent, & execrationem illam expectare, qua dicitur: Maledicti qui opus Domini faciunt negligenter: Quæ execratio cùm in omnes, tùm in Epiſcopos & Eccleſiarum antiſtites præcipuè cadit.

Atqꝫ hinc eſt quòd in Epiſcopo imprimis hoc requirit Apoſtolus, ut appoſitus ſit ad docendum, & oues ſibi commiſſas ſingulari fide paſcat ac tractet ipſe, neqꝫ eam curam in mercenarium reijciat. 1. Timoth. 3. vbi eleganter in Annotationibus Eraſmus: Epiſcopus, ait, appoſitus ſit ad docendum: Id enim ſenſit Paulus, atqꝫ id eſt præcipuum Epiſcopi munus. Cæterum docere populum, hortari, conſolari, monere, redarguere, proxima maximeq́ꝫ ſplendida eſt Epiſcoporum functio, quam nunc multi libenter cedunt alijs, quamlibet ſordidis: vbi receptum eſt, vt Epiſcopi ditionem prophanam gerant, ſaltem deberent in præcipuis feſtis concionantes ad populum ornare munus Euangelicæ prædicationis. Hæc ille.

ERASMVS.

*Et in Epiſtola Apologetica de interdicto eſu carnium, ad Epiſcopum Baſilienſem, ita idem ſcribit*

ERASMVS.

Magnam admirationem conciliat ſibi pectus diuinis

uinis literis refertum: lingua non minus ſancta, quàm diſerta, depromens ex opulento penuario noua & vetera. His reb. potiſsimum & paratur, & defenditur Epiſcoporum authoritas, multoq; rectius ac tutius, quàm his verbis: ordinamus, decernimus, ſtatuimus, præcipimus, uolumus ac mandamus.

*Rurſus* HIERONYMVS *ad Nepotianum de uita Clericorum. nu. 7.*

Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lachrymæ auditorum, laudes tuæ ſint. Sermo presbyteri ſcripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulã, garrulumq; ſine ratione, ſed myſteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditiſsimum. HIERONYMVS.

*Ita & S.* GREGORIVS *in Epiſt. 24.*

Sacerdos moritur, ſi de eo ſonitus non audietur, quia iram contra ſe occulti iudicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit. GREGORIVS.

Extat & Canon Gregorij ad Deſiderium Epiſcopum diſtinct. 86. ca. cum multa. In quo mandat, ut Epiſcopus doceat populum ſacram Scripturam, non Grammaticam vel Philoſophiam.

Atq; ex his paucis conſtare ſatis, quod Epiſcoporum et Eccleſiarum Antiſtitum munus ſit arbitramur, nimirum ut ſanam doctrinam populo tradant, & Sacramenta rectè

adminiſtrent. Non igitur permittendum illis fuerit, ut aliorum & præſertim ſecularium negociorum occupationibus minus neceſſarijs hoc quod præcipuum ipſorum munus eſt negligant, aut per ſubſtitutos & mercenarios, quod peſſimo ubiq; ferè exemplo fit, vtcunq; procurent.

## QVINTAE SESSIONIS
Decreta impia.

Hoc conſeſſu, quo de Iuſtificationis articulo ſtatutum fuit à Tridentinis, non pauci conditi ſunt erronei, tetri, & manifeſtè impij Canones, qui ſacris literis & ſanctorum Patrum dogmatibus apertiſsimè aduerſantur, et lucem puriores doctrinæ plus quàm Cimmerijs tenebris inuoluunt, de quibus videndum etiam diſtinctim & ordine.

*Errores Canonis* VII. *Tridentini Concilij.*

Ac primum occurrit Canon ſeptimus, quo ſtatuitur de non renatorum Operibus quæ ſine fide fiunt, quod ea non ſint peccatũ ſed res Deo placens. Verba Canonis hæc ſunt.

*Si quis dixerit, Opera quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunq; ratione facta ſunt, uerè eſſe peccata, uel odium Dei mereri, Anathema ſit.*

HVIVS CANONIS ERROR NON INDIGET VERboſa confutatione, pugnat enim cũ Pauli dicto, cuius ſententia plana eſt & apertiſsima, in fine capitis 14. ad Rom.

Quidquid ex fide non eſt, peccatum eſt.

Diſertè oſtendit Paulina vox primam ſcaturiginem omnium operum bonorum & Deo placentium, à quo ortu niſi profluant, impoſsibile eſt vt Deo placeant, quantumuis in ſpeciem ſint ſancta.

In

In hanc ſententiam, ſi opus eſſet, etiam Patrum teſtimonia non pauca adducere poſſemus. Sed ſufficiat Origenis autoritas, qui eodem in loco ſimiliter nobiſcum damnat opera infidelium ut impia & Deo diſplicentia, & ad eam rē valde appoſitè allegat Pſalmi 109. teſtimoniū vbi dicitur: Oratio eius fiat in peccatum. ORIGENES.

*Diuus etiam* ANSELMVS *Cantuarienſis Archiepiſcopus ad idem caput 14. Epiſtolæ Paulinæ ad Romanos ſic ſcripſit:*

Omnis infidelium vita peccatum eſt, nihilq́ꝫ bonum eſt ſine ſummo bono. Vbi enim deeſt agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt etiam in optimis moribus. ANSELMVS.

*Idem eodem in loco annotauit &* ERASMVS *noſter his uerbis:*

Quidquid non proficiſcitur à fide, cum vitio coniunctum eſt. ERASMVS.

Et ex his non obſcurè intelligi poteſt impietas & error manifeſtus Tridentini Canonis ſeptimi, nulla ratione recipiendi aut admittendi rurſus in Eccleſiam Dei.

CONSIMILIS AVT GRAVIOR ETIAM ERROR & impietas confirmatur articulo ſeu Canone vndecimo & duodecimo eiuſdē Seſsionis, quib. præcipuus fidei & religionis Chriſtianæ articulus de Iuſtificatione apud Deum, quod ſola fide propter meritum filij Dei recipiamur in gratiam à Deo, & placeamus ipſi per filij iuſticiam, merita, & obedientiam, crudeliter & impiè comdemnatur: vt ex ſequentibus verbis Canonum intelligitur. *Errores Canonis XI. & XII. Seßionis Tridentinæ.*

CANON XI.

*Si quis dixerit, hominem iuſtificari, uel ſola imputatione iuſticiæ Chriſti, uel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum diffunditur, atq; illis inhæret, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantum fauorem DEI, Anathema ſit.*

CANON XII.

*Si quis dixerit, fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam diuinæ miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, uel eam fiduciam ſolam eſſe, qua iuſtificamur, Anathema ſit.*

HAEC DECRETA MANIFESTAM IMPIETAtem & errores horrendos continentia, ita Dei beneficio à noſtris refutata ſunt ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolorum teſtimonijs conſtanter & grauiter, ut ne quidem inferorum portas contrà præualituras ſperemus aut metuamus: quemadmodum conſtat tot iam colloquijs, deliberationibus & conuentibus habitis ne iota quidem ex fundamentis doctrinæ eius; quæ de hoc articulo in Eccleſijs noſtris ſonat, à Pontificijs hactenus conuelli aut euerti potuiſſe.

Sunt autem teſtimonia omnia Scripturæ & vocis Diuinæ, quorum in his erroribus expugnandis vſus eſt, adeò aperta & plana, vt longa declaratione aut confirmatione noua

noua minimè opus eſſe videatur. Et Paulinæ de hoc articulo diſputationes, quæ fontes vberrimos & inexhauſtos cõtinent, pijs omnib. notiſsimæ & ſunt et eſſe debẽt. Rõ.3.
Omnes peccauerunt, & deſtituuntur gloria apud ,,
Deum: Iuſtificantur autem gratis, per illius gratiã ,,
quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus re- ,,
conciliatotem per fidem, interueniente ipſius ſan- ,,
guine. ,,

*Et deinde.*

Arbitramur ſeu adductis rationibus concludi- ,,
mus iuſtificari hominem fide, abſq; operibus legis. ,,

*In eandem ſententiam Chriſtus ipſe Ioannis 3. ait.*

Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita ,,
exaltari oportuit filium hominis: vt omnis qui cre- ,,
dit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. ,,

*Item.*

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vni- ,,
genitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pe- ,,
reat, ſed habeat vitam æternam. ,,

*Et Actor. cap. 13. Paulus Apoſtolus ait:*

Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quòd per hũc remiſsio peccatorum annunciatur, et ab omnib. illis à quibus non potuiſtis per legem Moyſi iuſtificari.

Plena eſt ſimilium ſententiarum & dictorum tota ſcriptura, quibus hæc impiorum Monachorum mendacia cõfutantur manifeſtiſsimè, vt Rom. 4. & 5. Galat. 2. 3. & 4.

vbi præcipuè de hoc loco diſputat Paulus. Item Epheſ. 2. Philippenſes 3. & ad Titum 3. & in omnibus ferè Epiſtolis Paulinis.

¶ Manet igitur immota hæc, quam diximus, veritas, quod videlicet homo in vera & non ſimulata conuerſione ad Deum, ex iniuſto, hoc eſt, ex peccatore, reo iræ Dei & maledicto, iuſtus fiat, hoc eſt, accipiat remiſsionem peccatorum & imputationem iuſticiæ, reconciliationem & hæreditatem vitæ æternæ, ſola fide, propter gratuitam Dei miſericordiam per meritum & obedientiam filij Mediatoris Domini noſtri IESV CHRISTI, quem propoſuit Deus propiciatorem in ſanguine eius: Roman. 3.

Ac nititur fides hæc, qua iuſtificatur homo, non alia re vlla quàm ſola mediatoris Chriſti obediētia, propter quam perſona credens iam eſt iuſta, hoc eſt, habens remiſsionem peccatorum, reconciliata, & accepta Deo, iuſticia imputata propter Chriſtum mediatorem: nec nititur vllis vel precedentibus vel ſubſequentibns meritis, dignitate aut puritate inchoatæ nouitatis. Sicut etiam docet Paulus, dicens: Ei, qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides eius ad iuſticiam.

*Teſtimonia Patrum.* Hæc eſt ſimplex, vera & conſentiens Prophetarum atque Apoſtolorum de hoc articulo ſententia, cui adijciemus nūc & ſanctorum Patrū ſimilia teſtimonia quę paſsim extant.

AVGVSTINVS *enim inquit ad Sixtum Romanum Preſbyterum, epiſt. 105.*

AVGVSTINVS. Nulla ne ergò ſunt merita iuſtorum? ſunt planè, qui iuſti ſunt: ſed ut iuſti fierent, merita nō fecerūt. iuſti

iuſti enim facti ſunt, cùm iuſtificati ſunt: Sed ſicut dicit Apoſtolus, iuſtificati gratis per gratiã ipſius.

*Et in lib. de ſpiritu & litera, cap. 11.*

Quę ideò iuſticia dicitur, quòd impartiendo eam iuſtos facit, ſicut Domini eſt ſalus, qui ſaluos facit.

*Idem ad Valent. Epiſt. 46.*

Sed gratia & miſericordia Dei conuertit hominem, de qua Pſalmus dicit: Deus meus miſericordia eius præuenit me, ut iuſtificetur impius, hoc eſt, ex impio fiat iuſtus.

*In hanc ſententiam loquitur etiam* CYRILLVS *in Ioannem, lib. 3. cap. 31.*

Non eſt (inquit) hoc opus Dei, ſed illud, vt credatis in eum, quem miſit ille: fides enim ſalutem affert, et gratia iuſtificat, mandata uerò legis condemnant magis. Opus igitur Dei fides in Chriſtum eſt: quare doctrinę ſuæ, nõ vmbraculis legis inhęrendũ eſt. CYRILLVS.

*Item* CYRILLVS *Theſaur. lib. 12. cap. 1. dicit.*

Fide nos iuſtificari, non operibus aut meritis.

*Et* CHRYSOSTOMVS *in 3. orat. aduerſus Iudæos.*

Quid tandem igitur? non ex benefactis, nec laboribus, nec compenſatione: ſed ex ſola gratia iuſtificauit genus noſtrum. Quod & Paulus declarans dicit: Nunc autem abſque lege iuſticia Dei manifeſtata CHRYSOSTOMVS.

ſtata

ſtata eſt: Iuſticia autem Dei, per fidem Ieſu Chriſti, non per vllum ſudorem aut laborem.

*Idem in Epiſt. ad Galatas, cap. 3. & ad Colloſſenſes 4. Homilia 27.*

Etenim ſi per legem eſt iuſticia: nimirum Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Quid hoc peccato grauius? Quid ijs verbis ad incutiendum pudorem efficacius? Etenim ſi mortuus eſt Chriſtus, clarum eſt, legem non poſſe iuſtificare nos. Quod ſi lex iuſtificat, ſuperuacanea eſt Chriſti mors.

*D. Ambroſius ad Ro. 4. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c.*

D. AMBROSIVS.

Manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore, vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requiſita pœnitentiæ opera, niſi tantum ut credant. &c.

*Idem de uocatione gentium.*

Vileſceret redemptio ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua ſuccumberet, ſi iuſtificatio, quę fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis, ſed merces eſſet operantis.

*Et alibi idem Ambroſius.*

Hoc conſtitutũ eſt à Deo, vt qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit ſine opere, ſola fide. Gratis accipientis remiſsionem peccatorum.

Item

*Item* BERNARDVS *ſuper cantica, Serm. 17.*

Non eſt quò gratia intret, vbi iam meritum occupauit. Ergo iam plena confeſsio gratiæ ipſius gratiæ plenitudinem ſignat in anima confitentis. Deeſt gratiæ, quicquid meritis deputas. Nolo meritum quod gratiam excludat. Hæc ille. BERNARDVS.

*Huc pertinet etiam præclara illa ſententia* D. HIERONYMI *in Epiſt. ad Damaſum Papam. Cum inquit:*

Vnde & Paulus ad Eccleſias ſcribens: Gratia vobis, inquit, & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto: Gratia quę non ex meritò retributa, ſed ex donante conceſſa eſt: Pax vero, qua reconciliati Deo ſumus, habentes propitiatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui donauit nobis delicta noſtra, & deleuit chyrographum mortis, quod erat contra nos, affigens illud cruci; & principatus & poteſtates fecit oſtentui, triumphans eas in ligno. HIERONYMVS.

Nihil potuit dici clarius in hanc ſententiam, quam adſerimus; Et hæc dicta omnia apertè patrocinantur ſententiæ noſtræ, atq; oſtendunt ſanctos Patres omnes conſentiente voce docuiſſe in Eccleſia, non aliter hominem iuſtificari apud Deum & in gratiam recipi, quàm fide gratis propter meritum filij Dei.

In eandem ſententiam multa etiam noſtro ſeculo ſcripſit

pſit ERASMVS: quem quidem dubium non eſt de hoc iuſtificationis articulo eadem cum noſtris ſenſiſſe prorſus. Id cùm ex alijs locis, tùm præcipuè ex ſupputationibus errorum Beddæ Pariſienſis, & Paraphraſi in Lucam oſtendi poteſt, propoſitione 47. vbi expreſsis verbis ait: Se tota mente conſternari & expaueſcere, cũ audiat hanc propoſitionem ut hæreticam damnari, qua dicitur Iuſtitiam & vitam æternam non imputari aut donari nobis propter opera legis, ſed propter fidem gratis. Etenim vocabulum hoc gratis, eſſe vocem ſpiritus Sancti, reuelatam per Prophetas & Apoſtolos. Qui igitur hanc vocem pro hæretica damnent, eos videri manifeſtè blaſphemos in ipſum Deum.

ERASMVS. Quid enim aliud (inquit) in omnibus epiſtolis ſuis clamat Paulus? Gratis iuſtificati eſtis per gratiam ipſius. Non erat ſatis dicere, gratis iuſtificati, ſed addit, per gratiam Ieſu Chriſti. Vbi non inculcat gratiæ aut miſericordiæ nomen? vbi non excludit fiduciam operũ legis? Si ex gratia, iam non ex operibus: & ſi ex operibus, iam non ex gratia. Et hanc vocem toties reſonantem in diuinis literis, & omnibus qui diligunt dominum Ieſum amabilem, iſte pietatis Doctor Bedda appellat hæreticam, & vocem delicatorum militum.

*Et paulò poſt.*

Quid operum attulit in crucem latro ad promerendam vitam æternam? quid aliud quàm fidem?

His

His tam perſpicuis Scripturæ ſanctæ teſtimonijs, & Patrum omniſq; antiquitatis conſenſu, omnium deniq; eruditorum & intelligentium in hac Euangelij luce aduerſarios non moueri mirum profectò eſt. Cum autem huic, de iuſtificationis articulo, doctrinæ, quam Status & Imperij Ordines qui ſunt Confeſsionis Auguſtanæ adſerunt, propugnant et defendunt, apertè patrocinetur omnis Prophetica & Apoſtolica ſcriptura, neceſſariò efficitur Papiſtarum dogma contrarium hac de re, ab analogia veritatis recedere & falſum eſſe atq; apertè erroneum.

Et hactenus de vndecimo et duodecimo Canone huius Seſsionis Tridentinæ.

QVOD AD SEQVENTES DVOS CANONES, XIII. & XIIII. attinet, eadem eſt eorum ratio quæ ſuperiorum, & errorem non minus tetrum ſanciunt. Poſtquàm enim diu multumq; deſudarunt Patres Tridentini in confirmando ac ſtabiliendo errore de Iuſtificatione per merita & dignitatem operum noſtrorum, tandem errores erroribus cumulantes addunt: de remiſsione peccatorum & gratia oportere hominem ſemper dubitare, neq; fas eſſe vt hac de re firmiter & ſine dubitatione apud animum cõſtituat certò ſibi remiſſa eſſe peccata. Hæc enim ſunt verba vtriuſq; Canonis.

*Canones V. Seßionis de dubitatione Papiſtica.*

CANON XIII.

*Si quis dixerit, omni homini ad remißionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, ut credat certò & abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis*

*& indiſpo-*

*& indiſpoſitionis peccata ſibi eſſe remiſſa: Anathema ſit.*

CANON XIIII.

*Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolui ac iuſtificari ex eo quod ſe abſolui ac iuſtificari certò credat, aut neminem uerè eſſe iuſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici: Anathema ſit.*

HOC QVID ALIVD EST QVAM RELIGIONEM omnem, omnemq́; pietatem penitus euertere atq; abolere: aut, vel in ſecuritatem Ethnicam & Epicuream conuertere, vel in impiam ac diabolicam deſperationem & fremitum transformare vniuerſa quæ voce ſua, quæ Sacramentis, quæ toto miniſterio de gratia ſua ergâ nos & ineffabili miſericordia plus quàm paterno affectu pollicetur, offert, adeoq; etiam iuramento addito benigniſsimè confirmat Deus. Imò propter quæ filium vnigenitũ miſit, vt aſſumpta natura noſtra æternoq; fœdere ſibi copulata, acerbiſsimũ crucis & mortis ſuppliciũ ſubiret, & effuſo pro generis humani ſalute ſacroſancto ac precioſo ſanguine ſuo remiſſionem omniũ peccatorum nobis non tantum certò compararet, ſed etiam effuſo in nos ſpiritu Sancto ſuo hanc gratiam ſuam omniaq; beneficia in cordibus credentium obſignaret: Iuramento deniq; ſanctiſsimo de his omnibus nos ita confirmans: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

Hæc omnia blaſphemo illo & deplorato Decreto Tridentinorum non tantum peruertuntur & contumelia afficiuntur

ciuntur atrociſsimè, ſed etiam prorſus ac penitus abolentur. Tantumq́ abominationum & impietatis ergà Deum in eo decreto latet, quantùm nec mente, nec cogitatione hominis comprehendi, neq́ verbis explicari ſatis vnquam poſſit. Ac fundamentum fœdiſsimi illius Decreti merum eſt Chaos & confuſio mendaciorum ac Sophiſmatum variè inter ſe pugnantium, quod alibi à noſtris explicatum eſt copioſius.

Cæterum prolixa & operoſa explicatione aut demonſtratione huius articuli opus nõ eſt: Cum notum ſit quanta copia quantaq́ grauitate ſpiritus Paulus in Romanis 4. cap. fundamentum huius erroris expugnet & euertat, vbi in recitatione argumentorum, quib. doctrinam Euangelij de Iuſtificatione fidei defendit, illud potiſsimum ceu argumentum, caput, & ſcopum totius diſputationis vrget: ideo ſcilicet offerri promiſsionẽ gratis fide accipiendam, vt certa & firma ſit: hæſitaret enim et perpetuò fluctuaret cor hominis, ſi ex operũ noſtrorũ dignitate pẽderet promiſsio: Ideo ex fide, inquit, gratis, vt firma ſit promiſsio. „

*Nota etiam eſt definitio fidei quæ traditur in epiſtola ad Hebræos cap. 11.*

Fides eſt ſubſtantia ſeu ὑπόστασις, hoc eſt, firma fi- „
ducia rerum ſperandarum, & argumentum rerum „
non apparentium. „

*Quibus adiungatur alterum Pauli dictum, etiam ſuperius relatum, quod extat ad Epheſ. 3.*

Per quem habemus acceſſum ad Deum cum fi- „
ducia, quæ eſt per fidem Chriſti. „

Quatuor ſunt in hac egregia ſententia admodum emphatica & inſignia verba, quæ certitudinem hanc fiduciæ, quam dicimus, omninò requirunt & dubitationem dãnant prorſus: Audemus, inquit, accedere ad Deum, & audemus confidenter accedere, idq; in ea fiducia quæ nitatur fide in filium mediatorem & deprecatorem noſtrum, concepta.

Mens dubitans non accedit ad Deum, nec per ſe quieſcere poteſt in terroribus, imò fugit DEVM offenſum, et quidem cum gemitu, mox etiam cum fremitu horrendo, quo magis magisq; ruit in odium & contemptum Dei & exitium æternum, deſtituta hac in compellando Deo libertate, qua confidenter ab eo petere & expectare æterna bona auſit, quamque affirmat Apoſtolus in his neceſſario lucere qui in Chriſtum credunt.

*Et Rom. 4. de Abrahami fide loquens:*

„ Non infirmabatur, inquit, in fide, neq; hæſitabat: ſed credidit in ſpem contra ſpem.

*Item Galatas 4. Et Rom. 8.*

„ Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timorem, ſed ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater: Ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſimus filij Dei.

*Et in Epiſtola ad Hebræos cap. 10.*

„ Accedamus ad Deum cum vero corde, in certitudine fidei. Iam ſi ad Deum accedendum ſit cum plena & certa fiducia miſericordiæ ipſius in Chriſto filio propoſitæ, non ſatis tibi fuerit credere quod Deus ſit miſericors et clemens, niſi hoc etiam credas inſuper, quod & tibi futurus ſit miſeri-

ſit miſericors, clemens ac propicius, idq́ propter meritum Chriſti.

Innumera ſunt in hanc ſententiam de certitudine fiduciæ teſtimonia paſsim, quæ ſi ſingula per omnes miniſterij diuini & Sacramentorum partes colligere & explicare hoc ſcripto vellemus, nimis prolixa hæc atq; etiam à propoſito noſtro aliena futura eſſet oratio.

¶ Illud reſtat nunc, ut,quemadmodum in ſuperioribus, ita & hic aſpiciamus teſtimonia quædam S. Patrum & purioris Eccleſiæ, quibus demonſtretur, hanc, quam Papiſticæ dubitationi opponimus, doctrinam de conſolatione in Deo, & indubitata fiducia promiſsionis,non eſſe nouum in Eccleſia dogma, vt vociferantur aduerſarij,ſed etiã veterum in Eccleſia ſcriptorum & doctorum conſentientibus teſtimonijs approbatum & traditum. *Teſtimonia Patrum contra dubitationem.*

CYPRIANVS *in ſermone 4. de mortalitate,ubi loquitur de peſtilentia, quæ eo tempore plurimos ſuſtulerat paſsim.*

Regnũ Dei,inquit,fratres dilectiſsimi, in proximo eſt,præmium vitæ,& gaudium ſalutis æternæ, et perpetua lętícia,et poſſeſsio Paradyſi nuper amiſſa,mundo tranſeũte iam ueniunt:iam terrenis cœleſtia,& magna paruis, & caducis æterna ſuccedunt. Quis hinc anxietatis et ſollicitudinis locus eſt? quis inter hęc trepidus & mœſtus eſt, niſi cui ſpes & fides deeſt? Eius eſt enim mortẽ timere, qui ad Chriſtũ trãſire nolit. Eius eſt ad Chriſtũ nolle ire,qui ſe nõ credit cum Chriſto incipere regnare. Scriptũ eſt enim iuſtum fide viuere: ſi iuſtus es, & fide viuis, *CYPRIANVS.*

ſi verè in Deum credis: cur non cum Chriſto futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quòd ad Chriſtum voceris, amplecteris? & quòd Zabulo careas, gratularis?

Ecce omnibus fratribus & peculariter ijs, quos de fidei paruitate, & animi imbecillitate, deq́ cupiditate vitæ præſentis nimia reprehenderat, præmium tamen vitæ, & gaudium ſalutis æternæ communiter propoſitum eſſe, hic vir Dei pleno ore confirmat: ſolicitudiniq́, & anxietati de æterna ſalute locum eſſe negat, vbi non deſit fides, & ſpes.

*Et rurſus:*

Hoc autem fit fratres dilectiſsimi (quòd ſcilicet fratres nō cupidè moriuntur, et ad gaudium Chriſti feſtinant) quia fides deeſt: quia nemo credit futura eſſe, quæ promittit Deus, qui verax eſt, cuius ſermo credentibus æternus, & firmus eſt. Si tibi vir grauis, & laudabilis aliquid polliceretur, haberes vtiq́ pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem ſtare in ſermonibus atq́ actibus ſuis ſcires. Nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem pollicetur, atq́ æternitatem, & tu dubitas? hoc eſt Deum omninò non noſſe: hoc eſt Chriſtum credentium magiſtratum peccato incredulitatis offendere: hoc eſt in Eccleſia conſtitutum, fidem in domo fidei non habere.

Et ruro

*Et rurſus.*

Mori planè timeat, ſed qui ex aqua & ſpiritu ſancto non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſsione cenſetur.

*Et paulò pòſt:*

Qui autem ſpe viuimus, & in Deum credimus, & Chriſtum paſſum eſſe pro nobis, & reſurrexiſſe confidimus, in Chriſto manentes, et per ipſum, atq; in ipſo reſurgentes. Quid aut ipſi recedere iſtinc de ſeculo nolumus? aut noſtros recedentes quaſi perditos plangimus, ac dolemus? ipſo Chriſto domino ac Deo noſtro monente & dicente: Ego ſum reſurrectio: qui credit in me, non morietur in æternum. Si in Chriſtum credimus, fidem verbis & promiſſis eius habeamus, & non moriemur in æternum: ad Chriſtum, cum quo & victuri, & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecuritate veniamus.

*Et paulò pòſt.*

Venturus ad Chriſti ſedem, ad regnorum cœleſtium claritatem, lugere nõ debet, nec plangere: ſed potius ſecundum pollicitationem Domini, ſecundum fidem veritatis, in perfectione ſua, & translatione gaudere.

G. NAZIANZENVS.

GREGORIVS NAZIANZENVS *in oratione conſolatoria in grandinis calamitate.*

Præueniamus (inquit) iram eius in confeſsione. Velimus ipſum audire, quemadmodum prius iratum, ita nunc placatum. Quis ſcit, inquit, nunquid conuertatur & pœniteat, ac relinquat benedictionem? Atq; manifeſtè hoc ſcio. Ego diuinæ clementiæ ſum fideiuſſor. Nam iram, quæ propter naturã eius eſt, remittet, & ad miſericordiam, quæ ſecundũ naturam eius eſt, conuertetur. Ad illam enim à nobis compellitur, ad hanc verò inclinatur. Et ſi corripit compellentes, cur non exaudiret inuocantes? ac natura ſua vteretur in remittendo? Tantũ nos miſereamur noſtri, ac iuſtis patris viſceribus viam adaperiamus. Seminemus in lachrymis, quò in exultatione metamus. Fiamus Niniuitæ, et non Sodomitæ: curemus prauitatem, ne prauitate conſumamur, &c.

HILARIVS.

HILARIVS *in Matthæum.*

Quantò magis vos modicæ fidei? Fidei noſtræ inuiolabilem confidentiam exemplorum authoritate confirmat, vt tantò maioris periculi res ſit ambigere, quantò impenſiore cura omnem occaſionẽ infidelitatis abſtulerit.

AVGVSTINVS *de uerbis Domini Sermon. 28.*

AVGV-STINVS.

O homo, faciem tuam non audebas ad cœlum tollere, oculos tuos in terram dirigebas, et ſubitò accepiſti gratiam CHRISTI. Omnia tibi peccata dimiſſa ſunt. Ex malo ſeruo factus es bonus filius. Ideo præſume non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia. Gratia enim ſaluati eſtis, ait Paulus. Non ergò hic arrogantia eſt, ſed fides. Prædicare quod acceperis, non eſt ſuperbia, ſed deuotio. Ergò attolle oculos ad patrem, qui te per lauacrum genuit. ad patrem, qui per filium te redemit, & dic Pater noſter. Bona prǽſumptio, ſed moderata. Patrem dicis, quaſi filius, ſed noli tibi aliquid ſpecialiter vendicare. Solius Chriſti ſpecialis eſt pater. Nobis omnibus in cõmune eſt pater, qui illum ſolùm genuit, nos creauit. Dic ergò & tu per gratiam Pater noſter, vt filius eſſe merearis Eccleſiæ.

*Et in Ioannem tractat. 22.*

Paulus dicit: Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Chriſti, & tu tibi audes promittere, quia in iudicium non venies? Abſit, inquis, vt ego mihi hoc promittere audeã. Sed CREDO PROMITTENTI. Saluator loquitur, veritas pollicetur, ipſe dixit mihi: Qui audit verba mea, et credit ei, qui

me miſit, habet vitam æternam, & tranſitum fecit de morte ad vitam, & in iudicium non veniet. Ergò audiui verba Domini mei, CREDIDI. Iam infidelis cũ eſſem, factus ſum fidelis, ſicut ipſe monuit. tranſij à morte ad vitam, ad iudicium non venio, nõ PRÆSVMPTIONE mea, ſed ipſius promiſsione.

*Et alibi ſcribit idem* AVGVSTINVS.

AVGVSTINVS. Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſsio. Miror homines infirmitati ſuæ ſe malle cõmittere, quàm firmitati promiſsionis Dei. &c.

*Et in Ioannem Homilia 52. ait.*

Quantaslibet machinas aduerſum nos erigat diabolus, quando non tenet locum cordis, vbi fides habitat, eiectus eſt foràs.

BERNARDVS *de fragmentis ſeptem miſericordiarum. Sermone 3.*

BERNARDVS. Tria conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit: Charitatem adoptionis, Veritatem promiſsionis, Poteſtatem redditionis. Murmuret iam quantum uoluerit inſipiens mea cogitatio, dicens: Quis enim es tu, aut quãta eſt illa gloria? quibuſue meritis hanc obtinere ſperas? Et ego fiducialiter reſpondeo: Scio cui credidi, et certus ſum: quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax in promiſsione, quia potens

inexhi-

in exhibitione. Licet enim ei facere quod voluerit: Hic eſt funiculus triplex,qui difficilè rumpitur &c.

*Et in dedicatione Eccleſiæ. Serm. 5.*

Quis poterit ſaluus eſſe, dicunt diſcipuli Saluatoris? Et ille. Apud homines hoc impoſsibile, ſed non apud Deum. Hæc tota fiducia noſtra, hęc unica conſolatio noſtra,hæc tota ratio ſpei noſtræ. Sed de impoſsibilitate iam certi, de voluntate quid agimus? Quis ſcit,ſi eſt dignus amore,an odio? Quis nouit ſenſum Domini?aut quis conſiliarius eius fuit? Hic iam plenè fidem nobis ſubuenire neceſſe eſt. hic oportet ſuccurrere veritatem, vt quod de nobis latet in corde patris,nobis per ipſius ſpiritum reueletur, & ſpiritus eius teſtificans perſuadeat ſpiritui noſtro,quòd filij Dei ſumus. Perſuadeat autē vocādo,& iuſtificando gratis per fidem,in quibus nimirum velut medius quidam tranſitus eſt ab æterna prædeſtinatione,ad futuram magnificationem &c.

*Et rurſus idem* BERNARDVS *eodem in ſermone ita ſcriptum reliquit.*

Dei,inquam, beneficio nonnunquam de anima cogitans,videor mihi in ea veluti duo quædam contraria inuenire. Si ipſam,prout in ſe eſt, & ex ſe, intueor,de ea nihil verius dicere poſſum,quàm ad ni- BERNARDVS.

 hilum

hilum eſſe redactam. Quid modò neceſſe eſt ſingu-
las eius miſerias numerare: quàm ſit onerata pecca-
tis, offuſa tenebris, irretita illecebris, pruriens concu-
piſcentijs, obnoxia paſsionibus, impleta illuſioni-
bus, prona ſemper ad malum, in vitium omne pro-
cliuis, poſtremò ignominiæ, & confuſionis plena?
Nimirum ſi ipſæ quoque iuſticiæ omnes ad lumen
veritatis inſpectæ, velut pannus menſtruatæ inue-
niuntur: iuſticiæ deinceps quales reputabuntur? Si
lumen, quod in nobis eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ
quantæ erunt? Quid igitur? ſine dubio vanitati ſimi-
lis factus eſt homo: in nihilū redactus eſt homo. ni-
hil eſt homo. Quomodo tamē penitus nihil eſt, quē
magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem ap-
poſitum eſt cor diuinum? Reſpiremus fratres. Etſi
nihil ſumus in cordibus noſtris: fortè in corde Dei
poteſt aliquid latere de nobis. O pater miſericordi-
arum, quomodo apponis erga nos cor tuum? Cor
enim tuum, vbi eſt theſaurus tuus. Quomodo au-
tem theſaurus tuus ſumus, ſi nihil ſumus? Omnes
gentes quaſi non ſint, ſic ſunt ante te: in nihilum de-
putabuntur. Nimirum antè te: non intrà te. Sic in
iudicio veritatis tuæ: ſed non ſic in affectu pietatis
tuæ. Nimirum vocas ea, quæ non ſunt tanquam
ſint. Et non ſunt ergò, quia quæ non ſunt, vocas: et
ſunt, quia vocas. Licet enim non ſint, quantum ad
ſe, apud

ſe, apud te tamen ſunt. Iuxta illud Pauli: Non ex operibus iuſticiæ, ſed ex vocante.

*Et in concluſione ſubijcit hæc uerba.*

Iam ſi vtraq; conſideratione diligenter inſpexerimus nos, quid ſumus? imò in vna quàm nihil, in altera quàm magnificati, puto temperata videtur gloriatio noſtra: ſed forſan magis aucta eſt: ſolidata quidem, ut nõ in nobis, ſed in Domino gloriemur. Nimirum ſi cogitamus, ſi decreuerit ſaluare nos, ſtatim liberabimur: iam in hoc reſpirare licet. Sed in altiorem ſpeculam aſcendentes quæramus ciuitatem Dei, quæramus templũ, quęramus domum, quęramus ſponſam. Nõ oblitus ſum, ſed cũ metu et reuerẽtia dico: Nos, inquã, ſumus: ſed in corde dei: Nos ſumus, ſed illius dignatione, nõ noſtra dignatione.

De induſtria collegimus maiorem aceruum dictorum ex Patribus, quibus perſpicuum fiat, quæ fuerit eorũ perpetua ſententia de hoc articulo dubitationis Papiſticæ de remiſsione peccatorum. Atq; his dictis propriè & perſpicuè citari eandem ſententiam cernimus, quæ eſt Eccleſiarũ noſtrarum. Extant & ſimilia apud Baſilium et alios, quibus error Monachorum & Sententiariorum refutatur, qui inſincerũ doctrinæ genus de hoc etiam articulo pepererũt.

Conſtat igitur hos de dubitatione Papiſtica, Canones apertiſsimè pugnare, tàm cum expreſſo verbo Dei, quàm cum ſanctorum Patrum in Eccleſia conſentiente & antiquiſsima doctrina: tantumq; abeſſe ut afflictis ac proſtratis agni-

tis agnitionē iræ diuinæ conſcientijs opem aliquam adfe-
rat hoc dogma nouum, ut etiam aditum ſalutis omnem
intercludat, & in imbecillioribus quidem & infirmis de-
ſperationem, in prophanis & impijs ſecuritatem carna-
lem & contemptum iudicij diuini alat, augeatq́ magis atq́
magis.

*Canon Tridentinus de Purgatorio.*

EIVSDEM SESSIONIS CANONE XXX. CON-
firmatus eſt etiam ſuperſtitioſus error de Purgatorio igne,
quem qui neget, hunc quoq́ habendum pro hæretico &
Anathemate.

VERBA DECRETI
*ſunt hæc.*

*Si quis poſt acceptam iuſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſoluendæ uel in hoc ſeculo, uel in futuro purgatorio, ante quàm ad regna cœlorum aditus patere poßit, Anathema ſit.*

HIC CANON QVOQVE ADVERSATVR
*apertißimis Scripturæ ſanctæ teſtimonijs.*
*Ioan. 3.*

Qui credit in filium non condemnatur, qui non
credit, iam iudicatus eſt.

Marci

*Marci 16.*

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. „

*Lucæ 16. reſpondet Abraham epuloni diuiti.*

Ingens inter nos & vos hiatus intereſt firmatus, „
vt hi qui velint hinc tranſire ad vos, non poſsint. „

¶ Teſtimonia PATRVM: *Teſtimonia Patrum.*

CHRYSOSTOMVS *in cap. 2. & 11. epiſt. ad Hebræos: Homilia 4.*

Neq; enim qui in præſenti vita non abluerit peccata, poſtea conſolationem aliquam inuenturus eſt. In inferno enim, ait, quis confitebitur tibi? & meritò: hoc enim curarum tempus eſt, & conflictuum & certaminum: illud verò coronarum, retributionum & præmiorum. *CHRYSOSTOMVS.*

*Et alibi idem:*

Nec putemus nobis, cum illuc venerimus, miſericordiam eſſe tribuendam, qui non agimus vt veniam mereamur accipere, etſi Abraham pro nobis roget, etſi Noë, etſi Iob, etſi Daniel. Dum igitur eſt tempus in manibus, plurimam nobis apud Deum fiduciam præparemus.

THEOPHILACTVS *ad caput 25. Matthæi.*

Poſt vitam, ait, illam, non eſt tempus pœnitendi & optãdi. Proinde Dominus ait fatuis virginibus, neſcio vos, &c. *THEOPHILACTVS.*

Et

Et AVGVSTINVS *contra Pelag. Hypognoſt. lib. 5.*

AVGVSTINVS.

Primum, inquit, fides Catholicorum diuina autoritate regnum credit eſſe cœlorum: ſecundum gehennam ubi omnis apoſtata uel à Chriſti fide alienus ſupplicia experitur: Tertiũ planè ignoramus, imò nec eſſe in ſcripturis ſanctis reperimus.

*Et alibi.*

Optimum eſſet in incerta re, de qua ſcripturæ nõ modò tacent, ſed etiam contrarium dicunt, ne quid adſererent, ſecundum ſapientis Senecæ: De rebus incertis non debes affirmare, ſed incertum iudicium tene. &c.

HIERONYMVS *ad caput 65. Eſaiæ.*

HIERONYMVS.

Et ſanctus precatur in Pſalmo: Ignoſce mihi ut refrigerer priuſquam abeam, & vltra non ſubſiſtã. Qui enim dum in hoc viuit corpore, veniam peccatorũ non fuerit conſecutus, & ſic de vita exceſſerit, Deo perit, et eſſe deſiſtit, licet ſibi ſubſiſtat in pœnis.

POSTREMVS, QVI EST NVMERO XXXIII. eiuſdem Seſsionis quintæ Canon, tandem furenter omnes damnat, quotquot decreta hęc Synodalia de Iuſtificatione, gloriæ Dei & merito Chriſti derogare dicunt: Verba Decreti ſunt:

*Si quis dixerit: per hanc doctrinam Catholicam de*

*Iuſtifica-*

*Iuſtificatione à Sancta Synodo hoc præſenti decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei & meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti derogare, & non potius ueritatem fidei noſtræ, Dei deniq; & Ieſu Chriſti gloriam illuſtrare, Anathema ſit.*

SED NOS CONTRA HAEC SATIS MVLTIS HActenus & Scripturæ & Patrum teſtimonijs demonſtrauimus, Tridentinos Canones falſum prorſus de Iuſtificatione hominis & impium dogma tradere, quod & in meritum filij Dei contumelioſum eſt, & admirandæ atq; ineffabili miſericordiæ DEI immenſa clementia genus humanum recipientis, manifeſta audacia & impiè derogat: quorum repetitionem hoc in loco minimè neceſſariam arbitramur. Quomodo enim fieri poteſt vt non derogetur gloriæ ſoli filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto debitæ, ſi, quemadmodum aduerſarij impiè faciunt, iuſticiam, qua corám Deo conſiſtimus, filio Dei detractam, noſtris operibus & dignitati adſcribamus, et in eo ipſo tamen fluctuare animis & dubitare velimus, an Deum placatum habeamus, nec ne? Quomodo etiam exiſtere vera & euidens Dei dilectio poteſt in eo corde, quod dubitationibus perpetuis æſtuat, an recipiatur, an exaudiatur à Deo, an peccata remittere velit Deus?

Et hactenus ſatis de quinti conſeſſus erroribus, quos nobis Tridentina Synodus obtrudere conabatur.

# SEXTAE SESSIONIS
## Tridentinæ Decreta
*impia.*

*Error I. Canonis Seſſionis ſextæ de numero Sacramentorum*

Primo decreto ſexti conſeſſus, inuenímus determinatum à Patríbus, quot numerari in Eccleſia oporteat Sacramenta: & quí plura quàm ſeptem Noui Teſtamenti Sacramenta numerari contendat, hunc pro hæretico & anathemate exterminandum eſſe.

VERBA CANONIS I.

*Si quis dixerit, Sacramenta nouæ Legis non fuiſſe omnia à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta, aut eſſe plura uel pauciora quàm ſeptem: uidelicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe uerè & propriè Sacramentum, Anathema ſit.*

SED ET HVNC ERROREM SATIS CONFVTAuímus ſuprà, oſtendentes duo tantum Sacramenta in Nouo Teſtamento à Chriſto ínſtituta, ſi proprijſsimè hoc verbo vti velimus: Hæc quía ex ſuperioribus ſatis conſtant, non arbitramur hîc prolixius eſſe repetenda, quæ etiam alibi à noſtris tractata & expoſita ſunt copioſè ac diligenter, vt verboſiore refutatione elumbis huius decreti non ſit admodum opus.

OCTA-

OCTAVO EIVSDEM SESSIONIS CANONE RVRſus de Sacramentis tradunt, quòd ea ex opere operato, etiam abſque fide gratiam mereantur, & Deo placeant. Ita enim habent verba Canonis.

*Si quis dixerit per ipſa nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed fidem ſolam diuinæ promiſsionis ad gratiam conſequendam ſufficere, Anathema ſit.*

CAETERVM ET HIC CANON PVGNAT CVM SCRIpturis ſanctis. Cum enim per Baptiſmum remiſsio peccatorum nobis conferatur, neceſſariò oportet eam fide apprehendi, neq; enim aliter apprehendi poteſt. Nõ igitur ſolum opus Sacramenti ſeu actio abſq; fide, confert gratiam, ſed fide præterea opus eſt, ut remiſſionem peccatorum homo conſequatur & apprehendat. Hæc fuit etiam S. Patrum de Sacramentorum vero vſu ſententia: Sic eleganter Auguſtinus lib. 2. de viſitatione infirmorum cap. 2. *VIII. Canonis error de Sacramentis.* AVGVSTINVS.

Sacramentis diuinis fides plus, quàm verborum argumentatio adhibenda eſt.

*Et ad Ioannem tractatu 80.*

Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis: Quare non ait? Mundi eſtis propter Baptiſmum, quo loti eſtis: Sed ait propter uerbum, quod locutus ſum vobis? niſi quia aqua in verbo mundat.

*Et libro 3. aduerſus Donatiſtas. cap. 14.*

Ad ſacramenti integritatem & ſanctitatem nihil intereſt, quid credat aut quali fide imbutus ſit qui accipit Sacramentum: intereſt quidem ad ſalutis uiam, id eſt ut accipias effectum ſacramentis annexū, remiſsionem ſcilicet peccatorum &c. quæ uerba ſatis oſtendunt remiſsionem peccatorum in Sacramentis fide accipi oportere.

*Rurſus idem ſuper Ioann. tractatu 80.*

Vnde iſta tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, niſi faciente uerbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. *Ibidem.*

Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili elemento tribueretur, niſi adderetur in uerbo. Hoc uerbum fidei tantū ualet in Eccleſia Dei, ut per ipſum credentem offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis non ualentem corde credere ad iuſtitiam et ore confiteri ad ſalutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis.

*Rurſus in libro quæſtionum noui & ueteris teſtamenti. quæſti. 59.*

Qui baptiſmum putat carnali ratione ſubſiſtere, hic

hic non eſt ſpiritualis, nec donum cœleſte poterit conſequi,qui ſe per aquam, non per fidem immutari credat. Aqua enim cernitur,ſed,qui non uidetur, ſpiritus,operatur,vti fides in eo ſit:quia ſicut ſordes corporeas aqua,ita ſpiritus animã abluit à peccatis.

Ex quibus dictis non obſcurè intelligi poteſt & hunc Canonem diſcrepare à norma Sanctæ ſcripturę,& Patrum hac de re ſententijs.

Canonem de confirmatione Papiſtica,eadem Seſsione factum,ſatis confutauimus ſupra,ut non ſit opus iterata repetitione.

## SEXTAE SESSIONIS
### II. Decretum,Reſidentiæ.

De altero hoc decreto, eiuſq; Canonibus adhærentibus, ſuperuacaneum eſt prolixè uerba facere, cùm conſtet eos reipſa nunquam ueniſſe in executionem, neq; etiam receptos à clericis & ſacerdotibus fuiſſe,aut vlla ex parte obſeruatos;Id quod notum eſt publicè,& omnium prouinciarũ, quæ Papatum adhuc agnoſcunt, exemplis apertè conſtare poteſt.

Illud autem breuiter hac de re addi placuit Delectis:Cum decretum hoc de beneficijs Eccleſiaſticis & de reſidentia,ut uocant,à quibuſdam Epiſcopis,Hiſpanis præſertim,urgeretur vehementius,et res eò ſpectaret,ut maior Cõcilij pars approbatura uideretur Epiſcoporum etcæterorum antiſtitum,quibus populi paſcendi cura cõmendata eſſet,reſidentiam:ut pręſentes eſſent ſemper ipſi,nec alios ſubſtituerent:

ac ne aduerſus eam conſtitutionem ulla ualeret diſpenſatio Pontificis; neque in unam perſonam plura conferrentur beneficia Eccleſiaſtica, cui decreto plerique etiã per Galliam parebãt Franciſco rege id approbante: Pontifex Paulus III. odoratus id quod agebatur in Concilio, tractationem huius decreti ſex totis menſibus ſuſpendit, & interea Epiſcopos ad quadraginta paſſim ex Apulia et Sicilia collegit, quos priuatim de hoc decreto edoctos Tridentum poſtea miſit cum Genuenſium vicario. Atque ita ſuffragiorum numero & clamoribus facilè per hos, quod uoluit, in Synodo obtinuit: vt decerneretur, vnum eſſe Epiſcopum re ipſa, nempe Romanum Pontificem, cuius cæteri omnes mancipia quaſi ſint & creaturæ: quoſque is pro ſuo arbitrio liberè ſibi adiungere poſſit: nec decere ut hi Pontifici modum rerum gerendarum ulla ex parte præſcribant. Hac ratione exautoratum fuiſſe ſalutare illud de reſidentia decretum Tridentinum, legati Principum & Statuum, qui Concilio interfuerant, vbi domum rediêre ad ſuos, publicè æditis hac de re ſcriptis retulerunt.

Et hæc quidem hactenus de quibuſdã tantum, & craſſiſſimis erroribus Tridentinorum decretorum: Cæteri qui reſtant plurimi, ſuo proferentur tempore, nec diſsimulatione rem tantam tegi patiemur: Qua de re hic, quò melius firmiuſque fieri poſsit modo, teſtatum ſit publicè.

Quæ autem huc uſque adductæ ſunt rationes & cauſæ graues, neceſſariæ, urgentes, ac plenæ pietatis, eæ haud dubiè æquis iudicibus & intelligentibus omnibus facilè probabunt, Status & Imperij ordines qui à Pontificijs ſeceſsionẽ fecerunt, & fidei confeſsionem quæ Auguſtæ exhibita eſt amplectũtur, nullo modo in impiam hanc Tridentinæ Synodi

nodi reſtitutionem conſentire poſſe, niſi aut falſa & manifeſtè impia dogmata contra conſcientiam approbare, ſuoq́ue ſe iudicio hæreſis reos facere velint, aut receptam & agnitam ueritatem impiè deſerere. Etenim conſentiendo in hanc Concilij continuationem, manifeſtè oſtenderent ſe approbare neruos & fundamenta Pontificiæ idolatriæ: per regulam vulgatam, Quòd ratihabitio firmet ea, quæ ab initio inualida fuerint.

Quòd ſi diſsimulatione hac & continuationis approbatione etiam impios Tridentinorum decretorum errores tacitè approbarent, deſertionem manifeſtam oſtenderent eius doctrinæ, quam receptam hactenus tot ærumnis adſeruerunt: ac ſuo quaſi iugularentur gladio, quo nihil accidere homini poteſt triſtius: Bis enim, quod dicitur, perit, qui ſuis armis perit.

Ad hæc facilè intelligunt, fore vt hoc ipſo conſenſu qui expetitur ab ipſis, veritatem manifeſtam quantum in ipſis preſsuri potius ſint, quàm adiuturi. Etenim veritas opprimitur, cum non defenditur. Et qui non reſiſtit erroribus, conſentit in errores, quemadmodum ipſe ait Innocentius in ca. error. diſtinct. 83.

Quin etiam hac ipſa diſsimulatione veritatis falſi teſtimonij crimen manifeſtè incurrerent. Quia tam falſus eſt & de falſo punitur teſtis, qui uerum ſupprimit et omittit dicere, quàm qui falſum adſerit, vt Bartolus, Iaſon, Innocentius, Panormitanus, cæteriq; tàm legum quàm Canonum interpretes omnes communi ſententia tradiderunt.

Vt interim omittamus, quod ex ſuperioribus decretis impijs, quæ recenſuimus, facilè & non obſcurè animaduerti ac quodammodo præuideri poſsit, qualia futura ſint ea

decreta quæ de cæteris articulis doctrinæ controuerſis ab eo conciliabulo ſint expectanda. Nam & in Politicis negocijs ita iudicandum ſuadet ratio, vt teſti qui mendax & falſus in vno deprehendatur, fides etiam derogetur in reliqua teſtimonij dictione l. Qui falſa ff. De teſtib. Et ita præclarè dixit Innocentius in ca. fraternitatis de hæret. Et Bartolus in Conſil. 88. cuius initium eſt: In quæſtione inter Franciſcum col. 2. n. 4. lib. 1. Bald. in l. Si ex falſis. col. fin. C. de tranſanct. & in Conſil. 286. lib. 2. & in conſil. 22. lib. 3. Corneus Conſil. 197. circa fin. n. 22. lib. 2. Decius conſil. 105. col. 4. ad finem, ſecundum veterem editionem. Et Alexander in conſil. 27. num. 3. lib. 2. Qui omnes decernunt pro hac ſententia tanquam receptiore. Itemq; Hippolitus de Marſil. in ſingul. 76. & Aymo Crauetta in conſil. 9. n. 10. Quanto igitur in hac omnium grauiſsima religionis controuerſia, qua non de terrenis aut temporalibus, ſed æternis & ſummis bonis litigatur, agendum fuerit prudentius: nec temerè quidquam deinceps huic malè iuratorum turbæ Pontificiæ credendum, aut permittendum, cum in præcipuis capitibus & articulis cauſæ huius tam grauiter ac fœdè impegerint hactenus, & à veritate ad errores manifeſtiſsimos diſceſſerint.

Atq; omnia hæc ſatis docent, Status & Imperij Ordines non poſſe citra ſummum ſalutis ſuæ diſcrimen in Tridentini huius Concilij continuationem conſentire. Quæ de nona recuſati Concilij cauſa hactenus ſuffecerint.

DECIMO.

DECIMO. Non parum & hoc mouet Status atq; Ordines Imperij, quominus ſe Tridentinæ & cæteris Synodis Papalibus coniungant libenter, aut admiſceant: quòd multorum iam annorum hiſtoria ac reipſa compertum plus ſatis habeant, Pontificum Romanorum Concilia ferè plus ſemper incommodi attuliſſe orbi Chriſtiano quàm commodi: ac non raro magnorum malorum, motuum, turbarum, ſeditionum, cædium horrendarum, ac bellorum cruentiſsimorum occaſiones et cauſas præbuiſſe: inter ipſos etiam Epiſcopos & Antiſtites magis accendiſſe diſcordias quàm diremiſſe. Quod non difficile foret plurimis omnium temporum exemplis docere, niſi ea commemoratio longior quàm fert inſtituti noſtri ratio futura uideretur.

*X. Cauſa recuſandi cõcilia Põtificia, quòd magis accendant diſcordias, quàm dirimant.*

Nam, ut ex multis pauca quædam referamus exempla, quibus manifeſtiſsimè conſpici poſsit Pontificum concilia non tantùm diſsidia, diſcordias, bella et lanienas auxiſſe, ſed ipſos Pontifices & Epiſcopos hoc Conciliorum prætextu ſui quidem dominatus confirmationem & amplificationẽ, Imperatorum autem, & Principum, omniumq; politicorũ gubernatorum oppreſſionem, perpetuamq; ſeruitutẽ quęſiuiſſe: Vrbanus eius nominis II. Pontifex, quàm dirum incendium belli conflauit eo Concilio, quod Claremonti habitum fuit: quo Principes Chriſtianos ad arma contra Saracenos concitauit, recuperandæ Hieroſolymæ prætextu, ut ille interim graſſari domi poſset commodius: quod bellum à recentioribus Sacrum fuit appellatum. Ex quo tantum poſtea extitit mutuarum cædium inter ipſos etiam Chriſtianos, ut ſcribat Vrſpergenſis hiſtoricus, ipſum templum Hieroſolymitanum cæſorum corporibus undiq; fuiſſe repletum, & in ſanguine miſerorum hominum ad genua

*Vrbanus Pontifex concilio ſuo accendit bellũ Sacrũ, inde & Turbanus et turbator orbis dictus.*

nua vſq; conſtitiſſe aduerſas acies. Neq; illud ſatis ad cru-
delitatem fuit impijs Pontificibus, quin & omnium natio-
num atq; prouinciarum populos his bellis implicarent, ex-
citatosq́; inter ſe committerent mutuis cædibus et lanienis,
quæ inde vſq; iam annis ducentis durant, et orbem Chriſti-
anum perpetuis diſcordiarum fluctibus agitant atque con-
cutiunt, quomodo grauiter etiam de horum temporum mo-
tibus Auentinus lib. 5. Annalium meminit in hęc verba.

Pleriq; omnes boni, aperti, iuſti, ingenui, ſimpli-
ces, tum imperium Antichriſti cœpiſſe, quod ea,
quæ Chriſtus ſeruator noſter tot annis antè nobis
prædixit, eueniſſe eo tempore cernebant, memoriã
literis prodidêre. Orbis terrarum tunc à cardine bel-
lorum procellis iactatus eſt. Genus humanum un-
diq; turbine armorum inuolutum eſt: Orientales,
atq; occidentales inter ſe armis concurrerunt: Nor-
manni, Galli, Germani, Saxones, Vngari, Itali, Bri-
tãni, Chriſtiani Occidẽtales domeſticis diſsidijs, ci-
uilibusq́; armis attriti ſunt. Gręci, Armenij, Turcę,
& Arabes, Hiſpani, & Saraceni, Aſiatici, & Aphri-
cani infeſtis inter ſe concurrêre ſignis. Hieroſoly-
ma bis capta, bis expugnata eſt: prodigia apparuê-
re, Cœlum frequenter ardere uiſum: Sol atq; Luna
crebro præter ſolitum defecêre, complures ſtellæ
de cœlo cadere viſæ ſunt: Igneæ acies, turmæ equi-
tum, peditum cohortes, ciuitates, enſes, arma cruen-
ta in cœlo viſa inuicem conflixêre.

Quibus etiam technis ac perfidioſiſsimis machinationibus undiq; paratis Gregorius VII. & hic, quem modo diximus Vrbanus, & poſt eum Paſchalis II. rapta & occupata tyrannide in Eccleſia & imperio, fortiſsimum imperatorem, qui cum hoſte ſexagies & bis aperto Marte dimicauit, HENRICVM IIII. penè puerum ex ſinu matris ereptum bellis difficilimis, tam ciuilibus quàm externis inuoluerint, committentes eum cum hoſtibus fortiſsimis, ut fortunis & imperio arte excuterent, id nimirum hiſtoriæ fide digniſsimæ docent abundè, quas nemo profectò, niſi ferreus ſit, ſine indignatione legit.

*Crudelitas pōtificū in Henricum quartū Imp.*

Qua deinde audacia eundem excommunicatum & ex Chriſtianorum Eccleſia proſcriptū imperio exuerint, Rudolpho Sueuorum duce electo, dira eſt tragœdia: quando Papa oſtendere volens ſuæ poteſtatis eſſe tradere & abrogare imperia, nouo & inaudito exemplo coronam Rudolpho miſit, in qua inſcriptus erat verſus ille:

*Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.*

Cuius tamen donationis exitus mox admodum triſtis conſequutus eſt, Rudolpho, principe alioquin non malo, ſed à Pontificib. perſuaſo, lętaliter in pugna contra HENRICVM vulnerato, amiſſa etiam dextera: quæ cum iam exſpiraturo allata fuiſſet, Pontificum perfidiam & ſcelera ſerò deteſtatus, ad adſtantes Epiſcopos hanc extremā vocem emiſit: Hæc eſt, inquit, illa dextera, qua fidem Imperatori promiſſam confirmaui, cuius uiolandæ an rectè vos mihi authores fueritis, olim reddendæ erunt vobis Deo rationes.

Quanta deniq; & quàm impia crudelitate in hunc ipſum

Imperatorem Henricum, cum tot difficilimarum aduerſa- tionum aſperitates ſemper ſuperaſſet, filium tandem eius HENRICVM V. religionis ſpecie perſuaſum concita- uerint, vt patri poſt longa certamina & exagitationes gra- uiſsimas imperium extorqueret, Moguntino epiſcopo iuſ- ſu Pontificis ornamenta regia in conſpectu filij ei inſolen- ter detrahent, id à compluribus traditum eſt memoriæ, imprimis verò diligenter ab Helmoldo hiſtorico et presby- tero Lubecenſi, qui paulò poſt illa tempora vixit, annis ab hinc quadringentis, & in Sclauorum Annalibus lib. 1. cap. 32. & ſequente. Ac tanta fuit filij in patrem optimum accen- ſa à Pontificibus odij & iræ immanitas, ut non contentus crudeli exagitatione uiuentis, etiam in mortui cadauer deſæ- uierit. Cum enim Leodienſes proſcripti quòd patris partes ſecuti fuiſſent, culpam apud filium deprecarentur, non pri- us eos in gratiam recipere uoluit, quàm cadauer patris ibi demortui effoſſum extra vrbem abijcerent in agrum inter cætera cadauera: quod & factum fuit, & toto quinquennio honore ſepulturæ caruit, donec Spiram poſtea eſſet delatũ, ut autor eſt Henricus Mucius lib. 17. Chronicorum.

*Papa filium ſtringere gladium in uiſcera patris iuſſit.*

Idem Pontifex Paſchalis Robertum Flandriæ comitem in Leodenſes etiam, quòd ſollicitati ad defectionem diſce- dere ab Imperatore legitimo noluiſſent, immiſit, mandans ut quemadmodum paulò antè Cameracenſium Epiſcopa- tum, ita etiam Leodienſem ferro ac flammis vaſtaret. Et extat Leodienſis collegij ad Pontificem epiſtola acris, qua & fidem iuriſiurandi legitimo Imperatori ſuo debitam ex- cuſant grauiter, & Pontificem, ut facem huius parricidialis belli accuſant, vrbemq; Romanam ceu Babylonem impi- am deteſtantur, de qua & Apoſtolus prædixerit fore, ut illa

Eccleſiam

Eccleſiam Dei horribilibus tempeſtatibus turbatura ſit ac concuſſura; nihil etiam minus conuenire Pontifici, quàm ut is bella inter populos Chriſtianos concitet. Verba eius epiſtolæ inter cætera ſic habent.

*Leodiẽſis collegij cum pontifice expoſtulatio.*

Nos attenti hac nouitate rerum, quærimus vnde ſit hoc nouum exemplum, vt prædicator pacis ſuo ore, & alterius manu inferat bellum Eccleſiæ? Contra Barbarorum & inimicorum inſultus concedũt Canones etiam Clericis arma pro defenſione urbis & Eccleſiæ. Bella uero indici Eccleſiæ per authoritatem Canonicam nuſquã ſcripturarum lègimus.

*Et paulò pòſt.*

Quis Pontificum Romanorum ſuis decretis unquam authorizauit, quod debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti? &c. Cur pro malis Regibus orari debere Paulus ait? ſcilicet, ut tranquillam uitam agamus. Eſſet Apoſtolicum imitari Apoſtolum: eſſet Propheticum imitari Prophetam. Sed peccatis noſtris merentibus, Apoſtolicus qui etiam orare iam pro quouis peccatore, ut tranquillam & quietam uitam agamus, bellorum fax eſt.

*Et deinde.*

Nobis legem tenentibus obijciunt quòd tranſgrediamur eorum nouas traditiones. At illis dicit Deus: Quare uos trãſgredimini mandatũ Dei propter traditiones ueſtras? Iubet Deus ut quę ſunt Cęſaris reddamus Cęſari, et quę ſunt Dei, Deo. In hãc ſenten

ſententiam & Petrus & Paulus pedibus eunt &c.

Extat autem integra hæc epiſtola, piè ac grauiter ſcripta, inter volumina conciliorum orbis, tomo ſecundo, pag. 108.

*Pontificum Rom. in Fridericos ſcelera.*

Iam verò, quales in FRIDERICOS extiterint Pontifices Romani, quàm non niſi funditus nobiliſsima hac et laudatiſsima familia Imperatorum Germanicorum deleta & extirpata conquieuerint, id nemini ignotum eſſe poteſt, qui hiſtorias noſtræ gentis legit. Ac plenæ ſunt taliũ exemplorum hiſtoriæ noſtrorum Principum, quos vt premerent, ſibiq́ ſubiectos redderent, vetere Imperij dignitate labefactata, quid non tentarunt accenſis tot bellis ciuilibus et externis Pontifices? & quos poſſent contra Imperatores concitatis hoſtibus? Ipſe etiam Gregorius IX. nihil veritus fuit palàm & apertè dicere, potentiam Germanici imperij, nimis quàm expediret Romanis Pontificibus creſcentem, omni ratione uideri ſibi infringendam, atq; etiam, ſi qua ratione fieri poſſet, funditus euertendam. Ita enim de eo Auentinus expreſsè refert.

*Gregorius IX. Pontifex maximus, non it inficias, ſed ingenuè fatetur, uiſum eſſe flaminibus Romanenſibus imperium Germanum magis florere quàm ipſis utile foret: placuiſſe autem id contundere atq; diſcordia non ſolum debilitare, ſed in cineres quoq; atq; fauillas redigere, & Fridericum à faſtigio rerum humanarũ deturbare. Hæc ille:* quæ verba an Apoſtolica ſint, & digna Pontifice, &, ſi Dijs placet, vicario Chriſti, non difficile eſt iudicare atq; intelligere.

Iiſdem

IISDEM artibus etiam LVDOVICVM IIII. è Germanica gente Imperatorem euertere & peſſundare conati ſunt Pontifices, Germaniam omnem, Italiam, ac uicinas prouincias diſcordijs accendentes, ut Regibus et Cæſaribus ſublatis monarchiam quam moliebantur conſtituerent. Qua de re ſcripta extant à multis eo tempore edita. Fuitq́ꝫ tantus Pontificum furor, ut Imperatore excommunicato, ſubditos fide iuriſiurandi quo Imperatori legitimo tenebantur, ſoluerent, & monachorum, quos prædicatores uocant, agmina in omnes vbiq́ꝫ prouincias mitterent, qui Imperatorem diffamatum etiam in plebis odium publicũ adducerent. Principes etiam aduerſus Imperatorem concitarunt ad bella, quibus Cardinales & Abbates paſsim præficiebant capitaneos, ut pleniſsimè refert Marſilius in libro de defenſore pacis, vbi ſatellites iſtos Pontificios nominat pugiles diaboli, & grauiter monet omnes Reges & Principes, ut hoc exemplo Ludouici Imperatoris diſcant cauere ſibi à Pontificibus. Et in altera parte eiuſdem tractatus cap. 24. ſcribit: Chriſti patrimonium à Pontificibus peſſimo exemplo in militum copias effundi, cædibuſq́ꝫ et bellis exhauriri, omnium deniq́ꝫ ſcelerum excuſationem homines impios à Papa ſumere. *Furor Pontificum aduerſus Ludouicum IIII. Imp.*

Quem animum ſanguinarium & cædis cupidum acriter etiam in Pontificibus notauit Baptiſta Mantuanus, imprimis prudens poëta, & rerum humanarum intelligens: Sic enim lib. 1. Syluarum ſcripſit inter cætera. *Mantuanus.*

*Roma quid inſanis toties? quid ſanguine gaudes?*
*Quid geris imbelli ſpicula tanta manu?*
*Quò ueſana ruis? ſtudioq́; armaris inani,*
*Iam ſenio laſſas debilitante manus.*

Et paulò

*Et paulò pòſt.*

*Sic furis, ut ſpumis ex ore cadentibus atrox,*
*Fulmineus quoties dente minatur aper.*
*Sic fremis, ut frendens, cum ferrea uincula mandit*
*Cerberus, & Stigias murmure turbat aquas.*
*Tu fratres in bella uocas, in pignora patres*
*Et ſcelus omne audes, & paris omne nefas,*
*Fas & iura negas, homines & numina fallis*
*Et Iouis imperium, nec Phlegethonta times.*

QVAE etiam & qualis CONSTANTIENSI CONCILIO ſancita ſit concordia, quanta ex eo tranquillitas rerũ in orbe Chriſtiano extiterit, Huſsitarum bellum & motus Boiemici abundè docere poſſunt, deſcripti ab Aenea Syluio & Olmucenſi Epiſcopo.

Et quis deinde CONCILII BASILIENSIS exitus fuerit, notum eſt bello conflato, quod Armeniacum ridiculo vocabulo dictum fuit, quo etiam idem Concilium Pontificis Eugenij inſtinctu tandem fuit diſsipatũ. Quantum autem motus iſti varijs prouincijs & populis damni dederint, etiam hodie ueſtigia quæ per Alſatiam & Rheni ripam, alijsq; in locis reliqua ſunt, ſatis demonſtrant.

Non aliter noſtra ac Patrum memoria PISANVM CONCILIVM tractauit Iulius II. quod tandem propter infeſta Pontificis arma, quibus Italiam, omnesq; uicinos inuoluit, transferri Mediolanum oportuit. Fuitq; eius Pontificis adminiſtratio adeò quieta ſcilicet & tranquilla, ut conſtet annis non integris ſeptem, ad bis centena millia hominum eius Pontificatu bellis, quæ varia ac funeſta geſſit, miſerrimè perijſſe. Hi ſunt egregij ſacerdotis & ſucceſſoris

ris Apoſtolorum fructus ſcilicet & diſciplinę exempla, gladium Petri, quo Malcho auriculam abſcidit, in Chriſtianorum ſanguine nefariè laſſantis.

Rectiſsimè quidem de Pontificũ officio optimus et doctiſsimus ERASMVS, in Apologia aduerſus Stunicæ blaſphemias.

Romanum Pontificem, inquit, ut uerè Chriſti Vicarium exhibeat, cupio pacificatorem eſſe, non bellatorem, nec huic aut illi fœderi admixtum, ſed parentem omnibus communem, ex æquo conſulere omnibus &c. *Et alio loco idem.*

Quam nonnulli poteſtatem in lucis & tenebrarum angelos plus æquo tribuunt Pontifici, ea uellem uteretur Pontifex ad orbis Chriſtiani concordiam & pacem inter Chriſtiani nominis proceres ſtabiliendam.

Sed perpauci ſanè ex omni Pontificum numero inueniuntur, qui hac mente fuerint præditi: plurimi qui, vt Crinitus lib. 7. de honeſta diſciplina cap. 13. ſcripſit, ſub nomine religionis nihil non licere ſibi opinati ſint. Cumq; ad inſtruendos hominum animos, pacemq; humano generi conciliandam, creati atq; inſtituti primum uideantur, nihil magis conantur, quàm pro libidine ſeditiones inter Principes excitare.

Quos deniq; his annis proximis diſcordiarum motus & turbas paſsim excitauerint in Germania noſtra ſuperiores Synodi TRIDENTINAE, habitæ ad annum XLVI. & deinde LII. quæque ex illis ſecutæ ſint calamitates triſtiſsimæ, rerumque omnium perturbationes ac difficul-

difficultates plurimæ, quoniã id adhuc magna ex parte in oculis hominum defixum manet, & animus quodãmodo meminiſſe horret luctuq́ꝫ refugit, longiorem horum malorum commemorationem & non profecturas querelas hîc omittimus.

Hęc igitur cum ita ſint, cumq́ꝫ Pontificum autoritate indicta habitaq́ꝫ Concilia ad tollendas in doctrina corruptelas, diſsidia, alioſq́ꝫ morbos non tantum nihil profuerint hactenus, uerumetiam occaſiones utplurimum prębuerint maioribus diſcordijs, animorum & uoluntatum diſtractionibus, perſecutionib. bellis & lanienis: Id quod de ſuperioribus concilijs Tridenti habitis reipſa experti iam ſumus non ſine vulneribus, diſpendijs, & doloribus noſtris, ut nõ multò meliora ſperare de pręſente hoc Concilio poſſimus, ſiquidem, ut dicitur, præteriti ratio ſcire futura facit: & qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus, eoq́ꝫ magis, ſi quis non ſemel ſed ſæpiſsimè malus deprehendatur.

Proinde conſtat rectè et legitimè facere Status Auguſtanæ Confeſsionis, qui tam periculoſo tamq́ꝫ multis nominibus impio Concilio ſeſe non adiungant, aut talium conſortio implicent, de quibus Pſalmus primus expreſsè ait: Beatos eſſe qui nec ambulent in Concilio peccatorũ, nec in via eorum conſiſtant, aut conſeſſu ſedeant.

Ita monuit & Ludouicus Romanus egregius Iuriſconſultus, & in talibus negocijs uerſatiſsimus, qui floruit tempore Baſilienſis concilij, vbi etiam diem ſuum obijt. Is Conſilio 522. n. 9. ait: Imprimis ſedulò faciendum, ut manus retineamus mundas à ſanguine quem Pontifex Romanus fundit.

Quin

Quin etiam, eſt cur toto pectore gratias agant hi Status Deo, qui tot exemplis præmonere & erudire ipſos uoluerit de tantis rebus, et alieno exemplo reddere cautiores. Etenim fœliciter ſapit, quiſquis alieno exemplo ſapit.

VNDECIMO. Etiam hoc conſiderandum fuerit in hac cauſa, & quidem accuratius: quòd Pontifex cum ſocijs ſuis & addictis, hos Imperij Ordines & Status, qui doctrinam fidei Auguſtana confeſsione expoſitã amplectũtur, neutiq́ pro membris aut ſocijs Chriſtianæ et Catholicæ Eccleſiæ agnoſcat, ſed pro hęreticis excommunicationis ſuæ fulminibus, anathemate, & execrationibus extra Eccleſiam Chriſtianorũ eiectos ac proſcriptos iampridem & ſæpius condemnarit, atq́ etiamnum quotannis Bulla Cœnę, quam vocant, damnatos infeſtet, dira quęq́ ac mortem minitans: Nec tantum edicta contra noſtros ſanguine ſcripta promulget, ſed multos etiam de doctrina nobiſcum ſentientes crudeliſsimè perſequatur paſsim & interficiat. Quæ igitur cauſa fuerit, cur hunc, qui ſe pro hoſte & carnifice potius quàm pro ſacerdote gerit, ceu caput Eccleſiæ Chriſtianorum agnoſcant & venerentur? Etenim & Pontificum iure cautum, traditumq́ ſcimus, fruſtra petere honorem debitum, qui, quem debet, non ipſe etiam impendit. Cur ego te habeam vt Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem? ait ca. Eſto ſubiectus. diſt. 95. in Decretis Gratiani: qui canon deſumptus eſt ex Hieronymi lib. ad Nepotianum de vita Clericorum, num. 7. Scitũ eſt, inquit, Domitij illud: Cur ego te habeam ut Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem? quod Lucio Craſſo attribuit

*XI. Cauſa recuſati concilij: Põtificis ſuperbia, Status Imperij præſe cõtemnentis, & pro hæreticis damnantis.*

attribuit Valerius lib. 6. capite: De liberè dictis.

Eodemq́ argumento olim in pari cauſa Baſilienſi Concilio Ludouicum Romanum vſum legimus aduerſus Eugenium Pontificem in hæc verba, quæ extant in volumine reſponſorum eius conſil. 525. num. 15:

Si ipſe Papa Eccleſiam non honorat, ipſum ſalubriter admonentem, nec tum merebitur ab Eccleſia honorari, ita ut tolleret ipſum cum ſcandalo regentem atq; incorrigibilem, ſubijciens illud Oratoris Domitij: Cur ego te habeam, &c.

Atq; ex eo ſimiliter, ut ex ſuperioribus, efficitur ac patet, rectiſsimè facere Status & Ordines Imperij, qui ſeiungant ſeſe à Papa & eius factione impia, nec iure vllo teneri, vt indebitum, & quem priuata ambitione ſibi Pontifex arrogat honorem, vlla in parte deferant, ſed potius pro virili ſedulò eius conatib. impijs aduerſentur.

XII. *Cauſa recuſationis, conſcientiæ periculũ in deſerenda cauſa ueritatis.*

POSTREMO. Et hanc neceſſariam atque æquiſsimam diſſentiendi ac diſcedendi à Pontificijs cauſam Status arbitrantur, quæ optimo & honeſtiſsimo cuiq; ſemper grauiſsima fuit, nimirum conſcientiæ religionem, qua bonis viris nulla maior neceſsitas accidere poteſt. Vt autem rationes hactenus expoſitas omnes ſusq; deq; facere velint, nec pro rei magnitudine ſingula æſtimare, vitam etiam & exiſtimationem, omniaq; quæ habeant cariſsima pacis publicæ cauſa hoſtium acerbiſsimorum & infeſtiſsimorum

norum poteſtati permittere, atque extrema quæque ſubire libenter: tamen tanta huius cauſæ vis eſt, ut, quoniam non tàm ad ipſos priuatim, quàm ad diuini nominis glorificationem pertinet, nullibi minus quàm hîc de alieno qdquam largiri aduerſarijs queant.

Etenim cum intelligant Status hanc de religione controuerſiam non tàm homines quàm DEVM ipſum ſpectare, cuius negocium hîc præcipuè agitur, & cuius immenſo beneficio ad agnitionem lucis Euangelicæ clementiſsimè perductos ſeſe agnoſcunt: facilè cogitare poſſunt, ſe non niſi ſummo ingratitudinis ſcelere, ac conſcientiæ periculo grauiſsimo, adeoq́ læſæ maieſtatis diuinæ atrociſsimo crimine iſta Pontificum Concilia, quibus nihil aliud quàm veritatis Euangelicæ oppreſsio quæritur, & pacis atq́ tranquillitatis publicæ perturbatio tentatur, approbare vel agnoſcere poſſe. pertinere etiam uel imprimis ad officium ſuum vt propter gloriam Dei & ſalutem ſuam, ſuorumq́ quibus præſunt, in agnita Euangelij veritate conſtanter & magno zelo perſeuerent ac perſiſtant, neq́ ab ea vlla ratione ſe abduci in omnem æternitatem patiantur. Quemadmodum Deo adiuuante nec deſerere eam doctrinam vnquam in animo habent, neq́ etiam, ſi capiundos ſibi inimicos ſcirent omnes homines, deſerere eam, eiuſúe confeſsionem defugere per conſcientiam vlla ratione poſſunt aut debent. Vt enim præclarè Papinianus dixit, Quæ facta pietatem lædunt, exiſtimationem, uerecundiam noſtram, & generaliter, quæcunq́ contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt l. filius 15. ff. De conditionibus inſtitutio-

num. Quod etiam ipſi Canoniſtæ, & interpretes eius iuris quo Pontificij utuntur prolixè tradunt, Contra legem conſcientiæ nemini eſſe obediendum, ne Papæ quidem. Quia nota ſit trita uox: Qui contra conſcientiam agit, ad gehennam ædificat. Quippe conſcientia eſt mens ſibi ipſi conſcia, & flos intellectus, & de apicibus animę ut rectè Baldus ſcripſit: Et ut idem: Conſcientia eſt oculus cordis, quaſi cordis ſcientia, quæ debet eſſe ſicut ſpeculum ſine macula. Quinetiam conſcientia eſt ſecretum ſecretorum, & nihil aliud niſi bonus uir, qui intra te loquitur in corde tuo: Sed non eſt frater aut monachus, qui habeat diabolum ſub cappa, vt facetè dixit Cynus Iuriſconſultus antiquus, & placet Lanfranco in tractatu de arbit. in verbo: reductio. n. 34.

NEQVE VERO RATIONES SOLVM HVIVS RECVSATIONIS ſuæ Status habent neceſſarias atq; honeſtiſsimas, verum etiam exempla permulta ſanctorum in Eccleſia Patrum, qui detrectarunt tales Synodos, quib. non veritatem quęri, ſed ſtabiliri idolatriam & tyrannidem animaduerterunt, etiam ſi indictæ fuiſſent à ſummis Magiſtratibus, ipſisq; Cæſaribus.

Ita CONSTANTINVS Imperator cum in TYRO Concilium congregaſſet, quo de Ariana cauſa rurſus cognoſceretur, euocatis edicto Epiſcopis omnibus & Eccleſiarū Antiſtitibus, inter quos comparuit et Potamon martyr, & alij complures pietate & vitæ ſanctimonia præſtantes viri,

tes viri: Athanaſius Epiſcopus, qui & ipſe volens & non inuitus ad Concilium præſtò fuit, cum animaduerteret magnam partem Epiſcoporum nō obſcurè colludere cum Ario hæretico, nihil moratus, confeſtim noctu ex vrbe diſceſsit ad Imperatorem, qui in vicinia commorabatur, ſeq́ de abitione Imperatori grauiter id ferenti excuſauit humilimè, ſignificans certò aduertiſſe ſe, præcipuos Concilij futuri viros et iudicis et partis munere functuros, ſubordinatos etiā contrà ſe calūniatores à quib. falsò eſſet accuſandus.

Indicta quoq́ poſt ab codē Imperatore ANTIOCHENA Synodo, Maximus qui fuit eius temporis Epiſcopus Hieroſolymitanus, accedere ad eam noluit, licet vicina ei eſſet Antiochia. norat enim animum Conſtantini iam ſeductum atq́ infectum Arrianorum fraude & impoſturis.

Acdeinde SYRMIENSI Synodo Conſtantij autoritate congregata, contra Photinum in Hungaria renouantem blaſphemum Hebionis dogma, negantis duas in Chriſto filio Dei naturas, cum intellexiſſent Epiſcopi Occidentis, magno adeſſe numero Arrianos, etſi vocati ab Imperatore eſſent Occidentales, non tamen venerunt ad Synodum. Atq́ ex omnibus Occidentis Epiſcopis ſolus Oſius Cordubenſis ab Imperatore ex Hiſpanijs euocatus adfuit. ſed ſanè perquàm infeliciter, ab Arrianis uel coactus vel perſuaſus ut concordiæ conciliandæ cauſa ſubſcriberet deprauationi Nicęni Symboli, qua ut Arrianæ controuerſiæ nouo cothurno ſubueniretur, pro vocabulo ὁμοούσιος reponebatur ὅμοιος. Cuius tamen Epiſcopi, alioquin boni & in profeſsione veritatis conſtantis, authoritas mox ab Arrianis obiecta fuit alijs etiam qui adſentiri noluerant, & permultas Eccleſias perturbauit. Quam ob cauſam grauiter

ter poſtea eundem Oſium reprehendit Hilarius, non tantum ſtultitiam ſed etiam inconſtantiam ei obijciens. Vt multò prçſtitiſſet nunc Oſium veniſſe ad iſtam Synodum,

Ita & CYRILLVS, Hieroſolymitanus Epiſcopus, cum Gregorio Nazianzeno conſenſu de doctrina inito, ea Concilia quibus vocabulum ὁμοούσιος de filio Dei fuit oppugnatum fugit, obiectis ſacræ Scripturæ teſtimonijs, & interpoſita appellatione.

Similiter PAVLINVS, Treuirorum Epiſcopus è Mediolanenſi Concilio diſceſsit, poſtquam ſenſit Auxentium Epiſcopum cum ſuo ſatellitio inſidioſa conſilia tractare.

Recuſauit & CHRYSOSTOMVS adire aduerſus ſe indictam Synodum. Ac permulta ſimilia exempla extant paſsim in Eccleſiaſticis & cæteris hiſtorijs, ubi pij & docti viri etiam priuati aut fugerunt ſuſpectas & inſidioſas Synodos, aut protinus ex illis diſceſſerunt cum impia dogmata ſtabiliri animaduerterent.

¶ Atque hinc eſt quòd etiam Pontificio iure conſtitutum legimus, licere impune recuſare quæuis Concilia ſuſpecta & periculoſa. Et ſiquidem in ciuilibus ac leuioribus cauſis licet iudicem quemuis ſuſpectum, inimicum, incompetentem, iniquum, iure optimo recuſare, quantò magis id in grauiſsimo fidei & religionis Chriſtianæ negocio licebit?

Rectè itaque Gelaſius: Quero, inquit, iudicium, quod prætendunt vbinam poſsit agitari? an apud ipſos, qui ijdem inimici cum ſint, & teſtes & rei & iudices erunt? Sed tali iudicio nec humana debent committi negocia. Quod ſi in iudicio, vbi ijdem ſunt inimici qui iudices, nec humana committi debent iudicia: quantò minus diuina, id eſt, Eccleſiaſtica. Qui ſapiens eſt intelligat.

Et paulò

*Et paulò pòſt.*

Nam quodammodo naturale eſt, ſuſpectorum iudicum inſidias declinare, et inimicorum iudicium uelle refugere.

Ad hæc, & ipſi Canoniſtæ atq; interpretes iuris Pontificij fatentur, cuilibet impunè licere recuſare Concilia quibus non ipſe etiã Papa præſens interſit, vt videre eſt apud Iacobatium Cardinalem in tractatu de Concilijs libro 5. articulo 10.

Qui tamẽ Papa etſi huic Cõcilio intereſſet præſens, vt ab eo procul abeſſe ſcimus, nihilòminus rectè à Statibus et Ordinib. Imperij recuſari poſſet vt hoſtis apertus & capitalis, ac multis nominibus alteri partium meritò ſuſpectiſsimus. Qua de re ſatis à nobis expoſitum fuit ſuprà.

Iam verò cum caput ipſum partis aduerſæ propter multas cauſas Statibus ſit meritò non tantum ſuſpectum, ſed haud dubiè pro illo ipſo, qui prædictus fuit, Antichriſto & hoſte Chriſtiani nominis execrabili habendum: conſequens eſt & membra huic capiti adhærentia, Cardinalium, Epiſcoporum Prælatorumqúe gregem omnem ei iuratum & obſtrictum vinculis arctiſsimis, non minus ſuſpectum nobis eſſe oportere. Ac quemadmodum excluditur Papa ipſe, cum de eius agitur negocio aut facto, ita pariter excludi debere eius Cardinales & Epiſcopos. Cum enim caput ſuſpectum eſt, etiam alij, qui caput veriſimiliter ſequuntur ſuſpecti ſunt meritò. Quomodo Abbas pòſt Vincentium notauit in cap. 1. num. 14. Extrà: de iudicijs. Ac de adhærentibus idem quod de principali iudicatur,

vt rectè Philippus Decius contrà Concilium à IVLIO II. Romę indictum argumentabatur in ſermone qui adiectus eſt conſilio eius 151. num. 20.

Atq; hoc ius eò magis locum hîc habere & in cauſa hac præualere debet, quòd ad Eccleſiaſticos uel imprimis pertineat, vt iudicia & cenſuram Eccleſiæ rectè regant, & cognitioni minimè ſuſpectos aut alteri partium addictos præficiant. Eccleſia enim cum ſit cultrix et auctrix iuſticiæ, non patitur contra iuſticiam quidq; in ſe uel in alterum fieri, textus eſt in cap. 1. §. Sed diuerſum. de alienatione feudi. Qua de re, & de iudicio æqualiter & abſq; omni ſuſpitione rectè ab Epiſcopis conſtituendo, copioſè diſſerit Zaſius in epitome feudalis doctrinæ parte 11. n. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Quinetiam licet pleriq; Epiſcopi qui Cõcilio huic interſunt, minus viderentur addicti Papę, cuius tamẽ planè ſunt adiurata mancipia et ſerui omnes, nihilominus rectè id recuſari poſſet. Cũ conſtet eã eſſe Põtificis in ſuos poteſtatẽ, ut facilè quoſcunq; ex ſuorũ numero in ordinẽ redigere & eò adigere poſsit, ut ne hiſcere quidẽ contrà auſint. Idq; eò magis cũ totũ collegiũ iuriſiurandi fide ac vinculo arctiſsimè habeat ſibi obſtrictũ. Itaq; propter caput Synodi ſuſpectũ, meritò tota Synodus ſit ſuſpecta, vt præclarè docet Baldus l. 1. c. Si rector prouinciæ. Præſertim quando vniuerſitas ei ſubeſt. Per ea quæ notauit Ioan. Andreæ in additionibus ad Speculatorem, tit. de iudice delegato §. fin. verſ. Item quod ex pluribus n. 8. Et quando illud caput adeò ſit potens, ut ei non auſit contradicere vniuerſitas, ſecundum Baldum in cap. 1. De iudicijs, quem refert Felinus n. 6. Idemq; placuit Iacobatio lib. 5. aut 10. col. 3.

TERTIA

# TERTIA PARS TRACTATVS, quæ eſt

## DE FORMA ATQVE RAtione liberi, Chriſtiani, & œcumenici Concilij.

HACTENVS IGITVR, QVA FIERI potuit breuitate ac ſimplicitate, rationes neceſſarias, graues, ac conſtantes expoſuimus, cur Principes & Imperij Ordines qui oblatam Auguſtæ Confeſsionem fidei amplectuntur, reſtitutam à Pontifice PIO IIII. SYNODVM TRIDENTINAM nulla in parte agnoſcendam ſibi, aut etiam adeundam arbitrentur: addita ſimul commemoratione ſacrarum literarum teſtimonijs confirmata, quæ ſit eius Concilij & cæterorum omnium decretorum ac continuationum Pontificiarum ratio. Atq; his ſatis, ut arbitramur, inſtitutæ ſcriptionis noſtræ pars altera fuit explicata.

Reſtat nunc, ut, ſecundum ea quæ ab initio propoſuimus, tertium eundemq; vltimum recuſationis huius locum breuiter perſtringamus, quale ſcilicet ſit illud Concilium & Eccleſiæ iudicium, quod in his de religione diſsidijs

cognoſcendis ac dijudicandis non tantum reuerenter ſe agnoſcere Status teſtati ſunt ſemper, verumetiam multis iam in Comitijs & conuentibus publicis ſæpius & ex animo apud imperium efflagitarunt, atq; etiamnum precibus ardentibus à Deo Opt. max. exoptant: cuius etiam progreſſum, quantum in ipſis eſt, ſumma voluntate & ſtudio omni iuuare ac prouehere cuperent.

Neq; enim quæ ſuperius de Concilijs dicta ſunt, ita accipi Status volunt, quaſi omnem de doctrina cognitionem, ac legitima ueraq; piorum ex verbo Dei iudicia, quibus controuerſiæ de dogmatibus neceſſariò in Eccleſia dijudicandæ ſunt, aſpernentur: aut iudicia piarum Synodorum, ac decreta verbo Dei conſentanea ferre nolint: quæ, pro eo ac debent, plurimi faciunt & uenerantur reuerenter, non ignari quod etiam vetus & purior Eccleſia ad tollendas de religione controuerſias hoc veluti præcipuo vſa ſit remedio, piarum ſcilicet Synodorum indictione: & ſi naturæ rationem ſequi volumus, ad explicanda dubia, remouendos errores, tollendasq; controuerſias iudicio omninò opus ſit & cognitione, ut de re ipſa tandem definiri ac ſtatui poſsit.

Etenim non difficile fuit intelligere, nec obſcurè cernebant Status, ſi omnem ſine diſcrimine cognitionem Eccleſiaſticam, omniaq; Concilia, iudicia Orthodoxæ Eccleſiæ & omnia in vniuerſum recuſaturi eſſent, quàm illud pijs & intelligentibus omnibus inſolens, odioſum, ac multis nominibus meritò ſuſpectum eſſet futurum, quaſi de cauſæ bonitate parum ſibi conſtantes effugia & diuerticula & latebras quærerent, &, quod reorum eſt, iudicium ſubterfugere conarentur. Siquidem qui iudicium refugit, is de iuſti-

cia cau-

cia cauſæ diffidere videtur, ut Canon ait, & , quemadmodum eſt in Mimis Publianis, fatetur quodammodo facinus, qui iudicium fugit.

Quibus ſuſpitionibus ut tempeſtiuè occurrerent Status, & ut ad poſteros extaret teſtimonium publicum voluntatis ipſorum. Viſum fuit Delectis hoc in loco ſententiam ſuam de ratione legitimi Concilij breuiter explicare, eaq; colligere certis rerum capitibus, quæ conditiones & qualitates, &, vt ita dicamus, ſubſtantialia complectantur eius Synodi quæ ad illuſtrandam Dei gloriam, deq; religione firmam concordiæ ineundæ rationem momentum habere videatur. Quam indicationem noſtram bonos omnes & tranquillitatis Eccleſiæ amantes gratam habituros, & ſtudium noſtrum, pro eo ac decet, in bonam partem candide interpretaturos omninò confidimus. *Requiſita iuſti Concilij.*

PRINCIPIO igitur, & ampliſsimorum Imperij Ordinum ratio ſumma hoc exigitur, & ipſa Imperij maieſtas, ut Chriſtiani & œcumenici Concilij indictio ac gubernatio fiat ab ipſo Imperatore, ſummo orbis terrarum monarcha & magiſtratu. Eſtq;, ut ſupra demonſtrauimus, hoc eius munus proprium, quod à nemine alio aut ſuſcipi aut perfici poteſt. Ita primus ex vniuerſo orbe Chriſtiano conuentum haberi curauit Conſtantinus magnus, & pòſt eum Theodoſius Primus, qui Diuo Ambroſio, non etiam Romano Epiſcopo præſente, Synodum Aquileiæ habuit. Item Theodoſius Secundus, Martianus, Iuſtinianus, laudatiſsimi Imperatores. Eſt enim hoc opus digniſsimum omnibus magnis & ſapientibus Imperatoribus. 1. *Indictio Concilij facta à Cæſare.*

Qui

Qui autem hanc curam ad ſolum Pontificem Romanum & Epiſcopos reijciant, ademptam Imperatori & magiſtratui politico, eos falli & errare demonſtratum eſt ſupra, tam rationibus adductis, quàm exemplis. Nam & LEONEM Pontificem à Cæſare expetiuiſſe legimus ut is autoritate ſua Epiſcopos Eccleſiarum paſsim conuocaret ad Chalcedonenſe Concilium. Quod & alios Imperatores ſimiliter feciſſe conſtat, de quibus abundè dictum eſt ſuprà.

*In epiſtola ad Theodoſ. Auguſtum: & in epiſt. 40. & 41. ad Mantuanum Imp.*

Aut etiam, ut ſaltem communi Imperatoris & Pontificis Rom. autoritate & cura Concilium indicatur. In quam ſententiam decretum factum fuit, olim Spiræ in comitijs anni XXIX. Et ita Carolum Magnum cum Adriano Pontifice Concilium conſtituiſſe legimus ca. Adrianus Papa diſtinct. 63. Quod ſi fieret, Status & Imperij Ordines citra vllum præiudicium in tali Synodo liberè comparere poſſent, nullo ex ea comparitione Pontifici præiudicio ſuperioritatis agnitæ generando.

*Quando per Papã id fiet? Ad Calendas Græcas.*

Qua ratione autem cæteri Reges & Principes, qui Iuriſdictionem Imperij noſtri non agnoſcunt, ad vniuerſalis huius Concilij ſocietatem comiter permoueri queant, nihil hîc Cæſareæ maieſtati præſcribere nos decet, cuius prudentiæ rem iſtam meritò relinquimus moderandam. Speramus tamen & hac in re pios & bonos Principes qui extra Imperij fines ſunt, non defuturos officio ſuo. operamque daturos libenter & non grauatè, vt iuſto modo & ordine cognitis, dijudicatis, & ſublatis diſsidijs de dogmatibus, pax & concordia tandem Orbi Chriſtiano reſtituatur, & pia Eccleſiarum emendatio inſtitui aliquando poſsit.

SECVNDO. Ad indicendam piam & œcumenicam Synodum neceſſarium omninò eſſe ducunt Status, vt non in Italia ſed intra GERMANIAE limites locus Concilio oportunus deſignetur: quæ quidem ſpes ſępius et multis in Comitijs hactenus expreſsè facta fuit Principibus noſtris, etiam præſentib. Legatis Pontificijs. Cum igitur GERMANIA ſemel iam definita ac deputata fuerit Concilio habendo, Iure meritò ratum id manere debet quod placuit ſemel. Locus enim ſemel deputatus ad Concilium, mutari non debet, vt ex Iuriſconſultis Petrus de Anchara reſpondit, & placuit Iacobatio Cardinali libro 3. tractatus de Concilio, articulo primo. 2. De loco concilij habendi.

Ad hæc, & ipſa iuris ratio ſuadet, ut eo in loco Concilij diſceptatio ac dijudicatio inſtituatur, in quo loco initium diſſenſus extitit inter partes. Quemadmodum etiam in primitiua Eccleſia factitatum legimus, ut Synodi eo in loco celebrarentur potiſsimum, vbi aut nata primum fuerunt dogmata controuerſa, aut in quo loco ea vigebant potiſsimum, veluti Hieroſolymis, Alexandriæ, Antiochiæ, Romæ, &c.

Accedit his præterea ea GERMANIAE commoditas, quod plurimæ per eam & liberæ & Imperiales ciuitates ſint, quæ vtriq; parti tutiſsimum de religione diſputandi locum præbere poſsint, abſq; vllius periculi metu & formidine. Quomodo & olim auorum memoria & paulò ſuperius duo illa famoſa Concilia Conſtantienſe & Baſilienſe apud nos celebrata fuêre, quo tempore non minus graue de religione diſsidium ortum fuit publicè.

Eſt autem hoc inter liberi Concilij conditiones vel præcipuum requiſitum, vt LOCVS CONCILII HABENDI

SIT

SIT OPPORTVNVS, TVTVS, ET SINE PERICVLO acceſſuris omnibus, idq́ propter ſententias dicendas, quas omninò liberas eſſe oportet. Debet enim in Concilio eſſe ante omnia libertas votandi, ut interpretes iuris loquuntur. Alioquin ſi metu tyranni quis non auderet liberè votum ſuum dare, non teneretur vocatus ad Concilium comparere, ut tradit Innocentius in c. ſuper ijs. De accuſation. Et Martinus Laudenſis in tractatu de Concilio, quæſtione 5. Idemq́ legitur de Concilio Agathonis in prima actione in fine epiſtolæ ad Conſtantinum, & quemadmodū textus iuris Canonici ait, 24. q. 1. ca. alienus: non magis multitudini quàm vnitati eſt attendendum. Verba Agathonis ad Conſtantinū Imp. ſunt admodum dulcia: Concedite, inqt, liberam loquendi facultatem, vt ab omnib. cognoſcatur qđ nullo terrore, nulla poteſtate, nulla cōminatione uel auerſione quiſq́ pro veritate loq volēs prohibitus aut repulſus ſit. Atq́ hęc ſententiarum libertas & ſecuritas niſi concedatur, recuſari Concilium tanquam ſuſpectum propter maiorum potentiam iuſtiſsimè poteſt, vt idem Cardinalis Iacobatius teſtatur lib. 2. de Concilio, Articulo 1. & 5.

*Quibus perſonis præſtanda ſit fides publica.*

Neq́ verò ipſis tantum Principalibus qui euocantur ad Concilium, ſed & his qui vices eorū gerunt, procuratorib. legatis, adiunctisq́ oratoribus & comitibus tutum ac liberum Cōcilij locum eſſe oportet, vt ipſi teſtantur Canoniſtæ & iuris Pontificij interpretes: qui etiam hoc inſuper tradūt, quod citatus ad iudicium, ex hoc ſolo quod citans odio habet citatum, dicatur non ſatis tutus, & talem citationē fore nullam re ipſa, etiamſi citatus neq́ excipiat contra citationem, neq́ etiam ab ea prouocet, per Clementin. Paſtoralem ꝰ notorium vbi Doctores. De re iudicata.

Ex his

Ex hiſ igitur intelligi poteſt, rectiſsimè & veriſsimè dici, nullum poſſe locum commodiorem, magiſúe opportunum & à periculis tutiorem Concilio libero deputari vſpiam quàm in Imperiali & libera aliqua GERMANIAE ciuitate, in qua utriuſq; tàm Auguſtanæ Cōfeſsionis quàm Papiſticæ religionis libera eſt opinio publicè, inter ciues inter ſe concordantes. In tali ciuitate nihil eſſet quod quiſquam ſibi metueret, aut quod alteri parti grauamen iuſtum adferre poſſet. At quæ vni ſoli, ſeu alterutri religioni & parti addicta eſt ciuitas, exploſa religionum altera, illa non poteſt non eſſe ſuſpecta meritò alteri partium cuius ibi religio exploſa ſit, quemadmodum tradunt & Canoniſtæ, quod Gibellinus etiam cum ſaluo conductu non erit tutus ubi dominantur Guelphi, vel econtrà. ſicut dicit gloſſa in ca. ſtatutum. in Parag. cum uerò. ſuper verbo: non audens. De reſcript. lib. Sexto Decretal. & placet Cardinali Iacobatio libro ſeptimo, Articulo primo.

Ratio huius iuris euidens & breuiter hæc eſt: quòd in deliberandis rebus ſerijs, arduis, & grauibus ut utiliter cōſulatur, oporteat metum periculi omnem longè abeſſe ab ijs qui ſententiam dicunt. Metus enim infirmitas eſt voluntatis & conſilij vulnus, vt præclarè Baldus dixit in cap. 1. Qui feudum dare poſſunt. col. 7.

Proindè ex hiſ quæ diximus, etiam hoc efficitur, neceſſariò opus eſſe vt & CONSTANTIENSIS SYNODI DECRETVM iniuſtum, de fide hæreticis non ſeruanda, ante omnia in ſpecie aboleatur, abrogetur, & irritum publicè pronuncietur. Et inuicem omnibus ad Concilium vocatis & acceſſuris liber, tutus, pleniſsimus, & qui

*Decretum Synodi Conſtantienſ. abrogandum.*

& qui nulla ex parte diſputabilis ſit, ſaluus conductus fidei publicæ literis ac diplomatibus aſſecuretur ac præſtetur re ipſa, toto illo tempore quo uel ad Concilium ueniunt uel ab eodem recedunt. Idq; cum omnibus clauſulis ac partibus ſolitis & neceſſarijs, quo id melius firmiusq; fieri poſſit modo, tàm pro cauſa principali quàm pro perſonis Concilio interfuturis. Quod æquiſsimum eſſe, & pro rei magnitudine imprimis neceſſarium prudentes omnes intelligunt facilè. Nec enim Status in hac incertitudine aliter uel de pace colenda firmiter, uel de animo integro & ſyncero fidem habere aduerſarijs queunt.

His, quæ de loco hactenus diximus, ita conſtitutis primum, ac grauaminibus omnibus ſublatis, ſi, ut in votis habent et ex animo exoptant Status, loco tuto ac libero Cōcilij indictio legitima fiat, quo ſine vlla periculi ſuſpitione ea proponi queant, quæ ad gloriam Dei illuſtrandam & errorum emendationem piam facere videantur, non tantum ſumma voluntate huic exceptioni loci non tuti renunciaturos ſe in poſterum Status palàm teſtantur, verumetiam operam quàm maximam daturos, vt tale Concilium, quod ad ipſos attinet, tutum ac liberum re ipſa & eſſe, & hoc nomine rectè appellari ac dici poſsit.

3. *De perſonis, quæ uniuerſali concilio intereſſe debeãt*

TERTIO. Perneceſſariū fuerit, vt ad hoc negocium rectè tractandum ex omnium prouinciarum & nationum Orbis Chriſtiani partib. optimi & grauiſsimi quique deligantur ac conuocentur Eccleſiarum Antiſtites, ſapientia & autoritate præſtantes, Epiſcopi Eccleſiarum, nō quidem qui nomine ſolo, & titulo turgeant, ſed & re ipſa Epiſcopi ſint, hoc eſt, Eccleſiarum & miniſterij inſpectores ac

res ac gubernatores docti, quibus curæ ſit officium ſuum: tum etiam inferiorum graduum Prælati, Abbates, & monaſteriorum Præſules, præpoſiti Collegiorum, Superintendentes, Theologi, Doctores & paſtores ſeu miniſtri Eccleſiarum, et concionatores, quiq; in qualibet prouincia inſignis doctrinæ & pietatis nomine celebrantur. Ex his, qui ad cognoſcendum & iudicandum idonei ſunt, mitti & admitti ad Synodum, ut ſingulorum de doctrina ſententia & teſtimonium audiatur, & quidem ab utraq; parte, aut cuiuſcunq; religionis ſint, neceſſarium omninò exiſtimamus. Illiterati tamen, idiotæ, & indocti, tùm etiam manifeſtis ſceleribus contaminati abſint & arceantur ab hoc iudicio. Neq; enim ex Eccleſiæ Concilijs Cercopum, vt veteres dicebant, conuentus faciendi ſunt, in quibus homines Epicurei, impuri, polluti idolis, & notorijs ſceleribus concurrant, vt furores & tyrannidem ſtabiliant: ſed ſint cœtus virorum eruditorum, grauium, ſapientum & honeſtatis amantium, ac Deum timentium, qui vſum habeant negociorum Eccleſiæ, aut viderint quid alij de magnis ac dubijs rebus iudicauerint, pacis & tranquillitatis amantes: quales Apoſtolus Paulus ad Tit. 1. & Timoth. 3. nobis graphice deſcripſit: Irreprehenſibiles, unius vxoris mari- „
ti, ſobrij, modeſti, temperantes, placidi, hoſpitales, „
ad docendum idonei, non vinolenti, non percuſſo- „
res, non turpis lucri cupidi, ſed manſueti, alieni à cō- „
tentionibus, alieni ab omni auaritia. &c. „

*Cum qua deſcriptione congruit &* IACOBI *epiſtola cap. 3. inquiens:*

Quę è ſupernis eſt ſapientia, primum quidem ca- „

Z ſta eſt,

" ſta eſt, deinde pacifica, modeſta, tractabilis, plena mi-
" ſericordiæ & fructibus bonis, abſq; dijudicatione,
" ſine ſimulatione, &c.

*Eraſmus.* Quod Iacobi dictum diſerta paraphraſi in hunc modum doctiſsimus ERASMVS declarauit: Qui prætermiſsis ijs, quæ verè faciunt ad pietatem, fumos obijciunt perplexarum quæſtionũ, qui loquuntur ad gratiam Principum, qui dicunt ad quæſtum, qui doctrinam Euangelicam detorquent ad ventris ſui negocium, qui venantur gloriolas humanas, qui grauem ſarcinam imponunt humeris aliorum quam ipſi digitulo nolint attingere, qui pro diuinis præceptis docent ceremonias, & humanas conſtitutiunculas, qui pro Philoſophia Euangelica tradunt nouum Iudaiſmũ, deniq; qui ſe ipſos prædicant verius quàm Chriſtum: horum ſapientia non eſt illa ſapientia, quam pater nobis per filium demiſit è ſublimi, vt nos à terrenis ſtudijs auocatos, in cœlum ſubueheret: ſed craſſa eſt, atque terrena, & ideo terram ſapit: ſed animalis eſt, & ideo magis illa ſpectat, quæ conducunt ad hanc vitam quàm ad vitam æternam: ſed dæmoniaca eſt, quæ non eſt ex affectu ſpiritus diuini, ſed ab inſtinctu dæmonum, qui ea ſuggerunt, quæ nos alienent ab Euangelica ſynceritate. Hæc ille.

Et idem in Paraphraſi Paulinæ ad Titum epiſtolæ, cap. 1. veri Epiſcopi qualitates ſimiliter diſertè exponens, ita ſcripſit: Oportet igitur eum, qui Dei vicibus quodammodo fungitur, cuiq; ille theſaurus Euangelicæ doctrinæ, veluti ſelecto diſpenſatori, concreditus eſt, vndiquaq; inculpatum eſſe, longè ſemotum à vitijs iſtorum, qui vulgò magiſtratus gerunt: vt qui lubentibus, ac volentibus imperet,

peret, quique præter gregis ſibi commiſsi ſalutem nihil ſpectet: qui mederi ſtudeat, non opprimere: docere, non cogere: ducere, non trahere: quiq; perſuadeat potius, quàm exigat, beneficijs, ac bonitate vincat magis, quàm imperio. Hæc qui ſpectat, eum non oportet eſſe præfractum, non iracundum, non linguæ procacis, quibus rebus citius alienantur homines, quàm ſanantur: non turpiter auidum lucri: quæ res, cum in prophano magiſtratu & fœda ſit & peſtilens, multò magis in Epiſcopo erit deteſtanda. Nihil enim incorruptè gerit, quem morbus habet auaritiæ.

Hæc dicta ſatis diſertè docent, quales admittere ac præficere Epiſcopos & cognitores oporteat in Synodorum conuentibus, quibusq; legitimo Concilio intereſſe, & ſententiam ſuam dicere concedatur.

Hinc eſt, quod & Conſtantinus Imperator Agathonem Epiſcopum monet, vt ad indictum à ſe Concilium, mittat viros placidos, intelligentes, peritos Scripturę ſacrę, alienos à temerarijs iudicijs, & vitæ inculpatæ, qui de omnibus rebus rationibusq; ſine fraude & liberè decidant, &c. Quod & Canon in Decretis GRATIANI monet eleganter his verbis:

Non oportet nos, qui Epiſcopi ſumus, indigere doctrina: ſed aliorum eſſe doctores. Malorum Doctorum, mala eſt doctrina. Eccleſia de malis Doctoribus ſacerdotes non recipit. ca. conuenientibus. §. Item Tharaſius 1. q. 7.

DEINDE, QVOD AD HAEC, QVAE DICIMVS, iudicia rectè cõſtituẽda attinet, opera dãda eſt ut deligantur ex 2. *Conſtantia in doctrina.*

ex omnibus viri graues & cõſtantes, qui non quouis vento temere ferantur; ſed in quibus timor Dei ſit, quiq; gloriam Dei rebus omnibus anteferant, præſtantes eruditione et ſcientia, ac mediocri vſu rerum periti. Iuxta dictum Ambroſij in Epiſt. ad Simplicianum:

Sapiens ſemper idem eſt animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus: nec ut paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinę, ſed manet perfectus in Chriſto, fundatus charitate, radicatus fide. Sapiens igitur defectus rerum ignorat, & varium animum neſcit: ſed fulget ſicut ſol iuſticiæ, qui in regno patris ſui fulget.

Huc pertinet & canon 1. diſt. 36. Qui vult Epiſcopum eſſe prudentem, non ſolum peritia ſacrarum literarum, verum etiam ſecularium negociorum diſpenſatione. Quo in loco notantur etiam illi, qui ſub nomine ſimplicitatis excuſant ſtultitiam ſacerdotum.

3. *Studium ueritatis & odium Sophiſtices.*

AD HAEC, QVAM MAXIME OPERA DANDA eſt, vt, qui ad conſultationem Synodalem, & negotium tàm arduum, adhibentur, ſint viri imprimis amantes et ſtudioſi veritatis, ſynceri, aperti, candidi: non praue inſtituti aut ad ſophiſticen aſſuefacti, non callidi præſtigiatores & ſycophantæ, qui flexiloquas & fucoſas conciliationes machinentur, quibus nihil eſt pernitioſius Eccleſiæ, nihil veritati magis aduerſum: nulla enim durabilis in Eccleſia tranquillitas, ſine veritate conſtitui poteſt. Imprimis igitur opera danda eſt, vt his negocijs viri prudentes & periti adhibeantur

hibeantur: qui et corruptelas cauere poſsint, & doctrinam ex veris, certis, & non calumnioſè detortis teſtimonijs cognoſcere ac dijudicare. Quomodò Conſiliarum eleganter Ambroſius deſcribit in hæc verba:

Talis debet eſſe Cōſiliarius, qui nihil nebuloſum habeat, nihil fallax, nihil fabuloſum, nihil ſimulatū, quod vitam eius et mores refellat, nihil improbum, aut maleuolum, quod auertat conſulentes. Neque enim ſapiens eſt, quiſquis nocet. vt honeſtiſsimè dictum eſt à Lucio Epiſcopo. 6. q. 1. ca. Sapiens. *Ambroſius.*

QVINETIAM NONNVLLA ET AETATIS HABENda eſt ratio, vt tantò negocio non iuuenes aut neophyti imperiti rerum ſpiritualium ſed viri annis & animo maturi, vſuq́; rerum plus mediocri præſtantes & ætate graues adhibeantur: Tales enim non tantum Concilium ipſum firmant, verumetiam grauitate quadam & autoritatis ſpecie honeſta exornant. Quæ haud dubiè ratio fuit, cur etiam Apoſtoli ſuis in Concilijs & grauioribus deliberationibus ſeniores populi, hoc eſt presbyteros, ſemper adhibuerint, atq; etiam cæteris prætulerint. Quemadmodum eſt cernere in actis Apoſtolicis, & ſingulorum ferè epiſtolis. 4. *Aetas & uſus rerum.*

Ita de Sardica Synodo, in qua ducenti quinquaginta Epiſcopi conuenerūt, epiſtola Concilij ait iuſſu Imperatoris ſingulari adfuiſſe etiam Oſium Cordubenſem Epiſcopum valdè ſenem, qui propter ætatem grandem & propter conſtantiam in confeſsione veritatis magno in honore fuerit.

Hinc & Syracides ait, cap. 25.

Quàm ſpecioſum caniciei iudicium: & presby-

teris cognoſcere conſiliū: Quàm ſpecioſa ueteranis ſapientia? & glorioſus intellectus, & conſiliū. Corona ſenum, multa peritia, & gloria illorū timor Dei. Quin etiam vmbra ſenis plus valet, quàm gladius iuuenis, vt præclarè dictum eſt à Baldo.

5. *Vſus rerum ſpiritualium & peritia.*

PRAETEREA, CVM IN LEVIORIBVS ETIAM NEgocijs præferantur qui vſu rerum & experientia mediocri valent, quantò magis in ſummo hoc & periculoſiſsimo iudicandi de doctrina munere curandum fuerit diligenter, vt non niſi quorum explorata iam, & in negocijs ſpiritualibus periclitata ſit induſtria, Concilijs & Synodis Eccleſiaſticis adhibeantur. Et hunc vſum non minus quàm ingenium aut doctrinam requirendum conſtat. Ita enim Apoſtolus iubet explorari prius qui Eccleſiæ erudiendæ præficiantur, & Timotheum nobis prædicat, non ſolum quod ſacrarum literarum ſtudijs inde uſq; à teneris innutritus ſit, ſed etiam comes interfuerit Apoſtolorum certaminibus, deliberationibus, diſputationibus & periculis. Bene & ſapienter, vt omnia idem Syracides cap. 34.
Vir eruditus nouit plurima, & qui uſu multarum rerum peritus eſt, ſapienter diſſerere poteſt: qui non eſt tentatus, qualia nouit?

6. *Eruditio ſolida et cognitio ſacrarum literarum.*

HIS ACCEDAT OPORTET VT QVI AD CONCIliorum Eccleſiaſticorum deliberationem adhibentur, ſolida eruditione inſtructi ſint, & ſacrarum literarum ſcientia nulli ex populo inferiores: multa etiam lectione & ſtudio plus mediocri ſcripturæ ſacræ confirmati. Etenim ſine eruditione ſolida, ſine doctrina, ſine verbi cognitione, lectione multi-

multiplici, & meditatione aſsidua, impoſsibile eſt ut quis grauiſsimas, quæ de religione natæ ſunt, controuerſias uel mediocriter dijudicare uel explicare recte poſsit. Quod & Auguſtinus fatetur lib. 4. De doctrina Chriſtiana.

Debet, inquit, diuinarum ſcripturarum tractator, & Doctor, defenſor verę fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, atq; in hoc ſermonis opere conciliare auerſos, remiſſos erigere, neſcientibus quid agitur, quid expectare debeant intimare.

*Sic & Beda de templo Salomonis loquens.*

Fruſtra, inquit, ſibi officium Doctoris uſurpat, qui dilectionem Catholicæ fidei ignorat: neq; ſanctuarium Domino, ſed ruinam ſibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipſi non didicere, conantur.

Et præclarè D. Hieronymus in Leuitico, duo ait eſſe Põtificis opera, vt & à Deo diſcat ſcripturas diuinas legendo ac ſæpius meditando: & inuicem populum doceat, quę à Deo ipſe didicerat, nõ ex proprio corde, uel humano ſenſu, ſed quæ ſpiritus ſanctus docet. Quod dictum relatum fuit in ca. fin. diſt. 36. Decretorum Gratiani.

VITAE ETIAM INTEGRITAS SINGVLARIS ET morũ ſanctimonia, atq; in omni officio fides elucere cum priuatim, tùm publicè ex omni parte in ijs debet, quib. hic honos habẽdus ſit ut de doctrina iudicẽt. Etenim doctrina quantumuis egregia, niſi morũ caſtimonia et vitę modeſtia condiatur ferè ſine fructu eſt, et facile gratiã amittit omnem. 7. *Vitæ ſanctimonia & integritas.*

Nemo (inquit Ambroſius lib. de officijs ſecundo) ſon-

tium limpidiſsimorum ſcaturigines in lacunis quę-
*Ambroſius.* rit, nemo ex impura ac turbida aqua hauſtum ſua-
uem ſperat. Itaq; vbi luxuria eſt, vbi intemperãtia,
vbi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauri-
endum exiſtimet? quis non deſpiciat morum collu-
uionem? quis vtilem alienæ cauſæ iudicet, quem vi-
det inutilem ſuæ? *Et iterum.*

Quomodo eum potes iudicare conſilio ſuperio-
rem, quem vides moribus inferiorem? Supra me de-
bet eſſe cui me committere paro: An verò idoneum
putabo qui mihi det conſilium, qui non dat ſibi? &
mihi eum vacare credam, qui non vacat ſibi?

*Ac deinde.*

In acquirendis conſilijs plurimum authoritatis
adiungit uitę probitas, uirtutũ prærogatiua, bene-
uolentiæ uſus, frugalitatis gratia.

*Et idem in Commentario explicationis Pſalmi: Beati immaculati.*

Ante vita quàm doctrina quærenda eſt. Vita bo-
na ſine doctrina gratiam nõ habet: vt nec doctrina
ſine uita integritatem ſuam habet.

*Sic & Auguſtinus ad Ioannem.*

*Auguſtinus.* Doctrina per malos, palmes eſt in ſepibus, botrus
inter ſpinas: Cautè hæc lege, ne, dum quæris fructũ,
laceres manum. et cum audis bona dicentem, ne imi-
teris mala facientem.

*In eandem*

*In eandem ſententiam multa etiam eleganter Chryſoſtomus: ut in libro de compunctione cordis.*

Docere & non facere, non ſolum lucri nihil, ſed damni plurimum adfert. Grandis enim condemnatio eſt componenti quidem ſermonem ſuum, vitam verò ſuam atq; opera negligenti. *Chryſoſtomus.*

*Et ad illud Matthæi: Quæcunq; dixerint uobis, facite.*

Doctrinam, inquit, accipiamus, non mores: apibus herbę non ſunt neceſſariæ. Sic & vos flores doctrinæ colligite & conuerſationes relinquite.

*Et ad Acta Apoſtol. homilia 30.*

Doctrina optima, vita docere: Et delicatus magiſter eſt, qui pleno ore de ieiunijs diſputat.

*Præclarè etiam Beda.* *Beda.*

Clauſum habeas os peccator. Qui ſeipſum docere non potuit, is nec alios doceat.

Permulta ſunt in hanc ſententiam grauiſsimè dicta & ſcripta omnibus ætatibus à viris doctis, quæ docent, quantum momenti ſit in vita, moribus, & exemplis eorum qui, ut alios ad pietatem erudiant, doctrinæ præſunt publicè: quales ſunt Epiſcopi & Eccleſiarum Antiſtites, à quibus facilimè manant exempla vitiorũ in auditores & vulgus. Ideoq; & in his conſtituendis perneceſſariò delectus quidam adhibendus fuerit.

ATQVE INTER CAETERAS VIRTVTES QVIBVS præditos eſſe oportet hos Aganothetas & in Concilio pu- 8. *Zelus pietatis*

blico collocutores, vel præcipuè opus eſt pio quodam atq; ardentiore zelo iuuandæ ac defendendæ gloriæ diuini nominis, præſertim inter tot infeſtiſsimos veritatis hoſtes, quorum minis non paucos frangi conſtat. Huius heroici affectus præclarum exemplum nob. proponitur in Dauide, Pſal. 68. Zelus, inquit, domus tuæ comedit me, & opprobria malignantiũ ceciderunt in me ſine cauſa. Itemq; in latrone, qui contra ſupplicij ſocium ſemiuiuus ac laceratus tamen gloriam Dei in cruce tuetur.

9. Timor Dei. ET, QVOD ANTE OMNIA NECESSARIVM IMprimis fuerit, quodq; primum ac præcipuum eſſe ſani omnes intelligere poſſunt facilè: deligi ac definiri huic negocio non niſi viros DEVM timentes oportet, ac præcipua quadam pietate præditos. Siquidem initium

„ ſapientię omnis eſt timor Domini, vt ſcriptura ait.

„ *Et rurſus.*

Quo reſpiciam? niſi ad humiliatum et contritum corde, ac trementem ſermones meos. Stulti autem, hoc eſt, homines profani & impij, timorem Domini contemnunt, nec eſt timor Dei ante oculos eorũ. Pſal. 13. Et hos negat in Concilio locum habere Liberius Epiſcopus epiſtola ſua ad Athanaſium: Fieri, inquit, non poteſt, ut locum in Concilio habeant hi, qui fide impij ſunt. Et paulò antè: In Synodo ſolus timor Domini ad omnia ſufficit.

10. Priuati affectus remouendi intercollocutores. POSTREMO. OMNIS ANIMORVM ACERBITAS, odia & offenſæ omnes vtrinq; deponi debent inter partes, ut nihil

vt nihil hic aliud quàm gloria Dei, & pax atque tranquillitas quæſita videatur. Ita rectè Gregorius:

A Concilio procul abſint odia, facinorum nutrimenta, & interna inuidia tabeſcat.

Et idem de eo qui primus aut ſuperior ſit habendus in Concilijs, epiſtola 72. cap. 72. ſic ait:

Concilium Catholicorum Epiſcoporum admoneri pręcipite, ut primatem nō ex ordine loci, poſtpoſitis uitę meritis faciat: quoniam apud Deum nō gradus elegantior, ſed vitę melioris actio comprobatur. Quæ etiā hac de re Baldi fuit ſentētia in c.1.n.13. de iud.

Et ut breuiter omnia complectamur: Ad Concilium venire debent PATRES SANCTI ex omni orbe terrarum, ut ait ca. Canones in p. diſtinct. 15. Et ut Baldus: Concilium eſt congregatio multorum et maximorum virorum.

Nimis autem verum eſt quod his verbis adiecit Petrus à Monte, in tractatu ſuo de Monarchia Cōciliorum 3. q. in p. Secundum hoc, inquit, hodie non poteſt celebrari Concilium, cum nullos habeamus Sanctos patres, adeò deprauata eſt religio Chriſtiana.

Quæ autem hactenus à nobis enumeratæ fuerunt perſonarum qualitates, conditiones, & requiſita, ea magna ex parte etiam ipſis Canonibus Eccleſiaſticis ſancita ſunt, & tradita ab interpretibus eorum, vt patet ex ca. oportet, & ca. illiteratos, & per totam diſtinct. 36. & ex ca. ſi rector diſtinct. 43. Itemque Gregorio in cap. 15. Paſtoralis, & in Regiſtro lib. 1. cap. 24. & ca. oportet 8. q. 1. Pleraque etiam ex

Iacobatio

Iacobatio Cardinale lib. 5. de Concilio. 1. articulo. Quod ideo monemus lectorem, ne quis exiſtimet nos nouis legibus aduerſarios noſtros onerare, quorum & iura propria & ſcriptores atque interpretes Canonum omnes hæc ipſa aut etiam plura grauiter ab eis exigunt atq; requirunt.

IIII. *Quod etiam Laici in concilijs œcumenicis locū habeant & ius decernendi.*

QVARTO. Non tantum, ut iam dictum eſt, Epiſcopi & Clerici ad habendum Concilij vniuerſalis conuentum pertinent, ſed & Laici homines ac politici ex Chriſtianis omnibus omnium Ordinum, veluti ſunt Imperatores, Reges, Principes, Comites, Barones, ciuitatum & oppidorum municipes, & in vniuerſum qui in quaque prouincia inſignis alicuius doctrinæ, intelligentiæ, & ſanctitatis nomine celebrantur, ſiue ij Laici ſint, ſiue Clerici. Quib. etiam omnibus nō ſolum vox deliberationis & conſilij, ſed & iudicij ac definiendi poteſtas in Concilio communis cum Clericis eſſe debet.

Quod enim citant ex Ambroſio: Laicos eſſe docendos ab Epiſcopis & Clericis, id etſi de officio ſacerdotum verè & rectè dictum ſit in genere, quibus miniſterium docendi Euangelij & adminiſtrandi Sacramenta commendatū eſt, quo nomine etiam in Synodis & Concilijs (ſi modò re ipſa tales ſint, ut munus ſuum rectè obire poſsint) inter primos habentur: tamen ubi de ijs rebus, quæ principaliter ad vniuerſalem Eccleſiam pertinent, deliberatio pia inſtituitur: quale eſt imprimis negocium fidei Chriſtianę quę vniuerſalis eſt, quæ omnium communis, quæ non ſolum ad Clericos, verumetiam ad Laicos & omnes omninò pertinet: iniquiſsimum foret omnes omninò Laicos & politicos viros idoneos ab huiuſmodi deliberatione ſubmoueri & excludi. Etenim Eccleſia Chriſtiana tàm latè per

orbem

orbem Chriſtianum diffuſa, non ex ſolis Clericis conſtat, ceu miniſtris doctrinæ diuinæ, ſed cœtus eſt omnium fidelium ac Chriſtianorum, inter quos etiam Laici ſunt, quib. iſti ſeruire & miniſtrare debent. Communi igitur tàm Laicorum quàm Clericorum conſilio iſta tractanda, deliberanda ac definienda ſunt, iuxta regulã æquiſsimam: Quod omnes tangit id etiam ab omnibus tractari & comprobari debere.

Idq; ita obſeruatum fuiſſe etiam ab Apoſtolis in Eccleſia primitiua, Actuum Apoſtolicorum hiſtoria teſtatur cap. 15. vbi deſcribitur Apoſtolorum Synodus Hieroſolymis habita: & inter cætera hæc leguntur verba: Placuit hoc Apoſtolis & Seniorib. cum tota Eccleſia. Quis autem negabit iſti Eccleſiæ interfuiſſe etiam Laicos? *Exempla antiquißimorũ Conciliorum.* *Conciliũ Apoſtolicum.*

Eadem etiam fuit CARTHAGINENSIS Synodi ratio, eius cui D. Cyprianus præfuit: Expreſſe enim in actis eius fit mentio plebis, quod nimirum Laicorum nomen eſt: Verba Synodi inter cætera ſic habent: *Conciliũ Carthaginenſe.*

Cum in unum Carthagini conueniſſent Calendis Septembrib. Epiſcopi plurimi ex prouincia Aphrica, Numidia, Mauritania, cum presbyteris & Diaconis, præſente etiam plebis maxima parte, & lectæ eſſent literæ Iubaiani &c.

De NICENA Synodo relatum hoc extat in hiſtoria Eccleſiaſtica: in tanto Epiſcoporum numero, qui trecenti decem & octo conuenerant, & cum ijs Laici multi viri docti & pij, ſenem quendam Laicum non ita peritum admodum logices & Philoſophiæ, plus præſtitiſſe aduerſus Philoſophos eo in Concilio, quàm cæteri Epiſcopi omnes, *Nicenum cõcilium.*

mines, quod eſt apud Ruffinum lib. 1. cap. 4. hiſtoriæ.

*Teſtimonia ſcripturæ.* Et huc referendum etiam eſt præceptum illud Chriſti: DIC ECCLESIAE: quo nomine non minus contineri Laicos quàm Clericos iam ſuprà demonſtratum eſt. Sic, quod ad Theſſalonicenſem Eccleſiam ſcribens Paulus præcipit: ne cuiuis ſpiritui fidem habeant, ſed ſpiritus probent an ex Deo ſint: Verba ſine omni diſtinctione concepta, certò demonſtrant, iudicium hoc & δοκιμασίαν qua ſpiritus explorantur, tàm ad laicos quàm ad Clericos pertinere.

*Teſtimonia patrum.* Hæc quæ de Laicis etiam admittendis ad Concilij vniuerſalis conuentum diſſeruimus, Patrum quoque teſtimonijs atque exemplis laudatiſsimorum Regum et Principum non difficulter confirmare poſſumus, quos non tantum adfuiſſe Synodis & Concilijs ſed præfuiſſe etiam legimus.

*Ambroſius.* Tradit enim D. AMBROSIVS in epiſtolam Pauli ad Timoth. 1. cap. 5. priſcis temporibus & in primitiua Eccleſia obſeruatum, ut certus eſſet numerus virorum ætate et rerum prudentia grauium ex populo cōſtitutus, ſine quorum conſilio nihil fieret in Eccleſia, quod arduum eſſet & diligentiore aliqua deliberatione indigeret. Quod præclarum inſtitutum tamen poſtea conciderit & exoleuerit paulatim, non ſine incommodo Eccleſiæ.

*Auguſtinus.* Apud AVGVSTINVM multis in locis, & nominatim in epiſtola 48. & 162. & 166. ſcriptum extat, Reges & politicos magiſtratus, de rebus diuinis & dogmatibus in Eccleſia controuerſias cognouiſſe & dijudicaſſe.

*Theodoretus de Conſtantino Imp.* Sic & apud THEODORETVM lib. 1. cap. 10. Conſtantinus Imperator ſubſcribit ipſe Symbolum Nicęna Synodo conditum: et in principio Epiſtolæ eius hæc ſunt verba: Plurimis, inquit, collectis Epiſcopis, me quoque, tanquam è numero

è numero veſtro, præſente, de omnibus conueniente inquiſitione tractatum fuit. Minimè enim negauerim, quo maximè gaudeo, eſſe me in ſocietate miniſterij veſtri.

Eodemq́ prorſus modò autor hiſtoriȩ Tripartitæ Euſebius lib. 2. cap. 11. epiſtola ſua ad Palæſtinos de Concilio Nicȩno et fide Conſtantini Imp. ſententiam eodem in Cõcilio dictam refert his verbis: Sed et ipſe Primus Deo amabilis Imperator noſter Conſtantinus eam rectiſsimè habere teſtatus eſt, & ſic etiam ſe ſentire profeſſus: in quam ſententiam omnes conſentire & ſubſcribere, & in his dogmatibus concordare præcepit. *Euſebius.*

Eundem etiam Imperatorem laudatiſsimum, & omnib. heroicis virtutib. præſtantem, legimus Donatiſtarũ ſectam impiã (quȩ Romana & pòſt Arelatenſi Synodo damnata appellationẽ ad Imperatorẽ interpoſuerat) cauſa cognita et errore dogmatis impij intellecto damnaſſe per ſententiam legitimam: quæ ſanè nullius autoritatis fuiſſet, niſi hoc ius quod dicimus de doctrinæ dogmatib. definiendi etiam ad Laicos pertinere concedamus. Quemadmodũ & D. Auguſtinus hoc exemplum allegat aduerſus Creſcent. Grammaticum lib. 3. cap. 17. ſic inquiens: Inſero adhuc et verba Conſtantini ex literis eius ad alium vicarium vbi ſe inter partes cognouiſſe, & innocentem Cælianum compeiſſe teſtatur. *Exempla ueterum Imp.*

Eſt & apud Sozomenũ de Cõſtantino Imp. quod Epiſcopis mandauerit ut de cõtrouerſis articulis eius temporis inter ſe placidè deliberent, & communi deliberatione vnam aliquam conſtantem & certam ſententiam concipiant, in quã cõſentientes, capita eius perſcripta ad ipſum per decẽ fidedignos viros ex occidentalib. cõmuni cõſenſu delectos, *Sozomenus.*

mittant;

mittant: vt quid de ipſorum dogmate & ſententia ſtatuendum ſibi ſit ſecundum Scripturæ ſanctæ conſenſum, eò facilius arbitrari queat.

*Honorius.* Sic & HONORIVS Imp. graſſantibus in Aphrica Donatiſtis Carthagini Synodum indixit, cui Marcellinum Tribunum præfecit præſidem et cognitorem, qui, audita quantum ſatis erat vtraque parte, ſententiam poſtea tulit hanc: Donatiſtas veris Catholicorum & firmiſsimis rationibus conuictos videri & eſſe. Quemadmodum Auguſtinus in opere breuiculi collat. tertiæ diei annotauit in fine, qui & ipſe huic Synodo iam ſexagenarius interfuit cũ alijs Epiſcopis ducentis & ſedecim.

*Theodoſius.* Eodem pertinet & exemplum THEODOSII, Optimi Imperatoris, cuius gubernatio multum etiam Eccleſiæ profuit. Is in ea ad Cyrillum epiſtola præclarè ait: Imperatoris boni officium eſſe vtrumque curare ac prouidere diligenter, ut & tranquillè ſubditi degant & ut piè: Verba eius hæc ſunt:

In regnum itaque à Deo conſtituti, et connexio pietatis ac proſperitatis ſubditorum exiſtentes, cuſtodimus ſocietatẽ horum perpetuò indiuulſam, prouidentia noſtra pacem inter homines procurantes, hactenus quidem Reipub. augendæ miniſtramus: per omnia verò ſubditis, ut ita dicimus ſeruiemus, vt piè uiuant & conuerſentur, ſicut pios decet adornamus, vtriuſque ut conuenit, curam gerentes &c.

*Iuſtinianus.* Quinetiam legimus IVSTINIANVM Imp. edicto ſtatuiſſe, quod etiam Concilio Conſtantinopolitano per Menam præfectum eius publicè fuit propoſitum: nihil decernen-

decernendum aut ſtatuendum in Synodo de quo non ſit ante ad Imperatorem relatum. Eò quod minimè conueniat præter Imperatoris iuſſum quidquam in Eccleſia Catholica fieri. Quod edictum præſides eius Concilij ad pietatem & zelum Principis rectè retulerunt, ac placuit patribus cæteris eo Concilio congregatis, quemadmodum annotatum eſt in voluminibus Conciliorum, tomo primo, Act. 4. Concilij Conſtantinopolitani II.

Pari fide & pietate MARTIANVS Imperator qui Theodoſio Secundo in imperio Orientis ſucceſsit, vt Eccleſiæ diſcordias ſedaret, cognitionem controuerſiarum Chalcedonenſi Concilio ipſe ſuſcepit, & decreta eius conſcribi adhibitis conſiliarijs ſuis politicis curauit: Extantque Orationis eius hæc verba: *Martianus.*

Nos, inquit, ad confirmandam fidem, non ad oſtentandam virtutem, exemplo Imperatoris Conſtantini adeſſe Synodo cogitauimus, ne in poſterũ multitudo populi inſtitutionibus prauis attracta, inueniatur diſſentiens. et quæ ſequuntur deinde, Tomo 1. Conciliorum orbis, inter acta Chalcedonenſis Concilij. quę etiã relata leguntur in diſtinct. 96. Gratiani.

Poſtremò, cum etiam intelligamus, in Vetere Teſtamento & politia diuinitus conſtituta, Reges ipſos Dauidem, Salomonem, Ezechiam, Ioſiam & cæteros Concilijs & congregationibus in populo habitis interfuiſſe & præfuiſſe ſemper: quæ diuerſitatis ratio fuerit, cur hoc tempore Principes & alios viros eruditos ac pios à talibus nego-

eijs relegemus: quos, ſi vnquam aliâs, maximè hoc ſęculo euerſo & deplorato adhiberi opus eſſet, quo Epiſcopatus & ſacerdotia indoctiſsimis quibuſq; & à religione alieniſſimis conferri ferè ſolent: quod tamen priſcis temporibus parcius fiebat.

Neq; verò valde opus eſt hac de re diſputatione ſubtiliore inquirere, præſertim cum ipſi Canones iuris Pontificij expreſsè non vno in loco affirment Principes, debere adeſſe & præeſſe Concilijs, ut traditum eſt nominatim in ca. Principes. 23. q. 5. vbi gloſſa interpretis addit, hoc tum uel pręcipuè locum habere, cum Clerici fidem Chriſtianam oppugnare & euertere nituntur, & in eam ſententiam allegat multos Canones. Quod & Petrus de monte, Venetus ſcriptor accuratè exeqtur in tract. ſuo de cō. quęſt. 3. n. 3. 4. 5.

Atq; is, quem modo diximus, Canon hoc etiam addit: niſi hoc fiat, Principes Deo reddituros rationem propter Eccleſiam neglectam hac in parte.

Reges autem & Imperatores non tantum interfuiſſe ſed & præfuiſſe Cōcilijs, multis in locis eiuſdem iuris legimus, ca. Adrianus 2. diſt. 63. ca. nos ad fidem diſt. 96. ca. vbinam ead. diſt. ca. futuram. 12. q. 1. c. Si quis ingenuus 29. q. 2. Nec Principes tātū ſed et Laicos. ca. Ad ſedē 35. diſt. et alibi.

Ac Platina qui vitas Pontificum ſtudioſè conſcripſit, in Nicolao Primo Pontifice annotauit, eum hoc nouum ius primò omnium impetraſſe apud Imperatorem Ludouicum, ne ullus Princeps ſecularis aut etiam Imperator Concilijs Clericorum intereſſe audeat, niſi quando de fide agitur, tum enim licere & par eſſe. Ita ille.

Sed prolixiorem huius quæſtionis tractationem omittimus, ſatis enim conſtat de Principibus, non modo ſuffragiorum, &

giorum, &, ut vocant, conſultandi vocem, ſed & definiendi ac determinandi ius ipſis competere in Concilio. quod etiam is, de quo ſæpe iam meminimus, Marſilius Patauinus lib 2. cap. 21. ex vetuſtis Concilijs copioſè demonſtrat.

QVOD AVTEM ATTINET ad cæteros Laicos, qui dignitatis gradu inferiores ſunt Regibus & Principib. de his ita ſentimus, neq; hos rectè ab huiuſmodi deliberationibus ſummoueri poſſe, ſi modo idonei deprehendantur eruditione & vitæ integritate, vt dictum eſt. Atq; hæc fuit etiam Chryſoſtomi ſententia, vt eſt intelligere ex homilia 18. ad alteram ad Corinth. epiſt. vbi in hæc verba ſcribit: *De cæteris laicis qui Principibus dignitate inferiores ſunt.*

Hæc ſanè à nobis dicta ſunt, vt omnes qui reguntur ſobrij ſint, vt diſcamus, quod vnum corpus ſumus omnes, & tantum inter nos habentes diſcrimen, quantum membra à membris: et ne totum in Sacerdotes iaciamus, ſed & ipſi tanq; pro communi corpore, ſic Eccleſię vniuerſę curã geramus. Hoc enim et nobis, et vobis maiorẽ pręſtat ſecuritatẽ, magisq; ad virtutes præparat: vnde audi et de Apoſtolis quomodo ſæpè ſubditos ſententiæ ſuæ ſocios acceperunt. Etenim cum ſeptem elegerunt, prius populo conſilium communicarunt, & quando Matthiam Petrus, egit præſentibus omnib. tunc, & viris, & mulieribus. Etenim Eccleſiam ſicut domum vnam oportet inhabitare, & ſicut corpus vnum affici.

*Et paulò pòſt ait.*

Ne deſpiciamus eos, qui vtilia conſulunt, licet ſubditi ſint & uiles, neq; illa, quæ nos introduxerimus, vim habere ac robur omnia putemus: ſed ea, quæ apparent conducibilia, hæc ab omnibus confirmentur. Sæpe enim fit, ut hallucinantes pleraq; uideant, quæ non cernant acutè videntes, eò quod diligentiores ſint, et circumſpectiores. Ita Chryſoſt.

Et in hanc ſententiam ſimiliter NICOLAVS de Lyra, interpres vetus Scripturæ ſacræ ad caput 16. Matthæi ſuper illo. Et portæ inferorum non præualebunt, &c.

*N. Lyra.* A vera fide: ſcilicet ſubuertendo. Ex quo patet, quòd Eccleſia non conſiſtit in omnibus ratione poteſtatis vel dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſecularis: quia multi Principes, ſummi Pōtifices, & alij inferiores inuenti ſunt apoſtataſſe à fide: propterea quòd Eccleſia cōſiſtit in illis perſonis, in quibus eſt notitia vera, & confeſsio fidei & ueritatis. Hæc Lyra.

Huc pertinet quod à Gerſone parte 1. de examinatione doctrinarum traditum eſt, in hæc verba:

*Gerſon.* Prima, inquit, veritas hæc ſtat, quòd ſcilicet aliquis ſimplex, non authoriſatus, poſsit tam excellenter in ſacris literis eſſe eruditus, ut eius aſſertioni plus ſit credendum in caſu doctrinali quàm Papæ declarationi. Quia conſtat plus eſſe credendum Euangelio quàm Papæ. Si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Euangelio contineri, ubi vel Pa-

vel Papa neſciret, vel ultrò erraret, patet vtrius præferendum ſit iudicium.

In eandem ſententiam idem & alibi diſputat, ita concludens: Plus eſſe credendum homini munito Canonica authoritate, id eſt ſcriptura, quàm Papæ & vniuerſali Concilio: quia & Papa & vniuerſale Concilium errare poſsint. Idq; & ex Auguſtino multis probat.

Atq; ita etiam celeberrimi iuris Pontificij autores ſenſerunt, inter quos eſt & Abbas Panormitanus, cùm alibi, tùm in c. ſignificaſti De Elect. ita concludens: Quòd in concernentibus fidem, dictum vnius priuati, melioribus autoritatib. noui aut veteris Teſtamenti ſubnixum, quàm Papæ dictum, præferendum etiam ſit Papæ dicto. Hoc amplius, Laicos idoneos etiam debere intereſſe Eccleſiaſticis Concilijs idem expreſsè defendit in quæſt. 1. num. 26. citans ad hoc ca. vbinam, diſtinct. 96. & Petrus de monte Venetus in tractatu de Concilijs quæſt. 3. num. 7. Itemq; Marſilius Patauinus in defenſione Pacis, parte 2. cap. 20. & alibi ſæpe. *Panormitanus.* *Marſilius.*

Eſt & apud PICVM MIRANDVLAM de quæſtione, An Papa ſit ſuprà Concilium, hæc definitio: Quod ſimplici ruſtico, & infanti & aniculæ plus credendum ſit, quàm Pontifici maximo & mille eius Epiſcopis, ſi hi contra Euangelium, iſti autem pro Euangelio verba facerent. *Picus Mirandula.*

Et hactenus quidem de perſonis quæ intereſſe Synodo œcumenicæ debeant: de quibus pleriſq; etſi magna decretorum Pontificiorum varietas eſſe videatur, tamen ex his quę diximus conſtare ſatis poteſt, etiam Laicos quoſcunq;,

modo rerum diuinarum ſcientia Clericis inferiores non ſint, & vitæ integritate præſtent, audiendos & admittendos non minus quàm Clericos. quidquid ſentiat Iacobatius Cardinalis de hac quæſtione, qui hoc Pontificis voluntati & arbitrio adſcribit, an largiri is hanc dignitatis prærogatiuam Laicis velit. Quod etiam ante eum ita Petrus de Monte tradidit, ſed falſò: Quæ enim ratio eſſe poteſt cur hoc in Pontificis arbitrium conferamus, quod natura & per ſe æquiſsimum eſt & liberum?

V. *Requiſitum Concilij, ut ſit uniuerſale.*

QVINTO. Cum Synodorum & Conciliorum plura ſint genera, imprimis placeret (quod etiam decretis imperij publicis fuit comprobatum) in grauiſsimis & maximi momenti diſsidijs ex omnium nationum & prouinciarum orbis Chriſtiani partibus Concilium, quod œcumenicum & vniuerſale dicitur, congregari. Ac ſpes bona Status tenet, fore ut, tanta iam diuinæ veritatis et doctrinarum omnium luce vbiq; patefacta, pleræq; etiam exteræ nationes pietatem ſuam erga Eccleſiam afflictam, ſtudiumq; fidele hac in parte declaraturę ſint, non grauatè operam dantes vt ritè dijudicatis dogmatibus veritas ab errorum deprauationibus & abuſibus idolatricis vindicata atq; illuſtrara extet: & conſenſus firmus, ſtabilis, ac perpetuus Prophetarum, Apoſtolorum, & omnis Eccleſiæ conſequuturæ ad poſteritatem piè conſtitui & firmari poſsit. Quo quidem beneficio & officio, ſi Eccleſiæ tranquillitas reſtituatur ita munita ut diuturna eſſe poſſit, nihil profectò Deo gratius, nihil humano generi conducibilius, nihil ad omnem poſteritatis memoriam glorioſius ſuſcipi poſſe certum eſt.

Etenim

Etenim ea eſt ſolennium & œcumenicorum Concilio-rum quę pro publicis Eccleſiæ vtilitatibus ſuſcipiuntur ratio, ut non tantum ex vnius aut alterius prouinciæ natio-niſue Epiſcopis ac Prælatis, ſed maxima populi Chriſtiani parte adeoq́ tertijs duabus totius orbis Chriſtiani conſtare debeat, quemadmodum Canoniſtæ tradiderunt, & imprimis Ioannes Andreæ, cuius ſententiam ut receptiorem reliqui probant omnes, tum etiam is quem ſæpe iam diximus, Petrus à Monte, Venetus in tractatu de Concilijs, quæſt. 6. in princ. Nec negat id Iacobatius Cardinalis, eodem in tractatu lib. 5. artic. 7. etſi multa in vtramq́ ſententiam prolixè diſputet.

Ac ſi qua vnquam fuerunt aut eſſe poſſunt tempora, quibus hiſce remedijs opus fuit, ſunt certè noſtra hæc, quibus extremæ rerum confuſiones & opinionum diſtractiones infinitę impendere videntur cum grauiſsima totius orbis Chriſtiani iactura, niſi ex omnibus nationibus magno ſtudio deligantur eruditiſsimi quiq́, intelligentes doctrinam, & amantes veritatis, ac pij viri, qui de rebus tantis placidè ſine præiudicijs, ſine animorum acerbitate, ſine crudelitate in Cōcilio deliberent. Et profectò hæc cura ad magiſtratus atq́ gubernatores imprimis pertinebit. Facilius plurium induſtria ac collatione pia erui & illuſtrari veritas poteſt, facilius errores etiam conuinci ac refutari: quomodo & Canon ait: facilius inueniri quod à pluribus quæritur. Verus etiam repromiſſor Dominus ita ait: Si duo vel tres ex vobis ſuper terram conueniant in nomine meo, quacunq́ de re patrem petieritis in nomine meo, fiet illis à patre meo: Textus eſt in Canone. de quibus

in fin. diſtinct. 20. & veritas per plures melius inuenitur, ut notat Dominicus cap. per hoc. §. Verum. De hæreticis lib. 6. decretal. Et Decius in cap. prudentiam. in 3. notabili. De offic. delegati: Itẽ. Vbi multa ſunt cõſilia, vbi multa ſalus: verba ſunt Petri Anchorani in cõſilio 157. in princ.

Ad hæc accedit, quod maior etiam apud omnes nationes futura videatur autoritas eius doctrinæ, quam vniuerſalis Concilij orbis Chriſtiani & piorum omnium conſenſus approbauit. Nec enim leue pondus habent bonorum virorum conſentientes ſententiæ, &, ut textus Canonici iuris ait: rectius eſt iudicium quod plurimorum ſententia roboratur. d. cap. prudentiam & in ca. Extra conſcientiam. diſtinct. 64. Et Cardinalis Iacobatius lib. 1. de Concilio, artic. 9. Et lib. 6. artic. 2.

Inſuper etiam ſpes non obſcurè propoſita videtur, ſi, quale dicimus, Concilium ex omnib. omnium nationum doctiſsimis ac pijs quibuſq; congregaretur, non ſine vberrimo Eccleſiæ fructu & augmento inſigni id futurum. Vnicuiq; datur in Eccleſia manifeſtatio ſpiritus ad bonum ait Apoſtolus: Et huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij verò ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij verò fides per eundem ſpiritum.

Atq; hactenus quidem quæ fuerit ratio conſtare poteſt, cur inter Imperatorem, Electores, cæteroſq; Imperij Ordines iam olim ita conſtitutum publicè fuerit, ut ad diſsidium de religione tollendum & tranquillitatem pacemq; orbi Chriſtiano reſtituendam vniuerſali & œcumenico Concilio potius, quàm particulari conuentu, qualis is eſt, quem nunc in TRIDENTINIS rupibus Epiſcopi Papales agitant, inclinatæ Reipub. orbis Chriſtiani ſuccurratur.

SEXTO.

SEXTO. Et hoc neceſſarium fuerit eiuſmodi Concilio œcumenico, quale dicimus, habendo, ut Pontifex Romanus Epiſcopos, Prælatos, antiſtites Eccleſiarum, quotquot fide data & iuriſiurandi vinculis obſtrictos et deuinctos ſibi habet, primò omnium ijs vinculis ſolutos planè liberet & iuramenti gratiam omnibus pleniſsimè faciat. Nec enim aliter liberè & ſine periculi metu ſententiam dicere, aut veritati teſtimonium perhibere poterunt, ſemper timore hoc animos eorum ſollicitante, ne, ſi quid aduerſus Pontificem liberius decernerent, id aliquando eis fidei non ſeruatæ & violati iuriſiurandi ignominiam apud eundem adferret. Nam & PIVS II. Pontifex, ſua ad Moguntinum Capitulum epiſtola in hanc ſententiam apertè ſcripſit: Eam eſſe vim iuriſiurandi quo Clerum Pontifex ſibi obſtringit, ut per id ne quidem in cauſa iuſta & veritatis defenſione Clericis liceat Papæ aduerſari.

VI. *Relaxatio iuriſiurãdi quo Epiſcopi & Clerici obſtricti ſunt Papæ.*

Neq; verò mirum videri cuiquam debet, quod dicimus, Epiſcopos & cæteros Pontifici iuratos Clericos (ſunt autẽ de conſuetudine hodiè ferè omnes Pontifici iuramento obſtricti quotquot dicuntur Generales ſeu Prouinciales religioſorum Ordinum, qui ad dignitates promouentur, ut docet Cardinalis Iacobatius lib. 2. art. 2. tractatus de Concilio) per iuriſiurandi quo obſtricti tenentur fidem nõ poſſe liberè in Concilijs dicere ſententiam ſuam. Nullum enim iureiurando grauius vinculum vllo uel diuino uel humano iure vnquam inuentum fuit. Etenim & diuino, & humano iure omni, tàm ciuili quàm etiam pagano, iuramenti vinculum quo ad obſeruantiam promiſſorum adigimur, arctiſsimum meritò habetur, nec quidquam eſt quod homini non profligatiſsimo maiorem neceſsitatem adferat.

 Vt præ-

Vt præclarè in libris Officiorum docet Cicero, Reguli Conſulis Romani exemplum honeſtiſsimum proponens, quem nec Patriæ nec ſuorum charitas retinere potuit, quominus fide hoſti data rediret etiam ad crudeliſsima Pœnorum ſupplicia, ne iuriſiurandi religionem violaſſe turpiter videretur. Nulla, inquit, res efficacior excogitata eſt à maioribus noſtris quàm iuriſiurandi religio: nullum præterea vinculum ad adſtringendam fidem iureiurando maiores noſtri arctius eſſe voluerunt. Id indicant duodecim tabularum fœdera, quib. etiam cum hoſte deuincitur fides. Qua de re cum alij ex iuris interpretibus tractarunt, tum imprimis copioſè Hieronymus Cagnolus in l. Si quis maior viginti quinqꝫ. num. 6. & ſequent. C. de tranſaction.

Cum autem hanc iuriſiurandi religionem adeò ſanctè ſeruarint etiam Ethnici homines, quantò magis exiſtimandum fuerit, viros pietatis & doctrinæ ſtudijs deditos, ac profeſsione Clericos, iuriſiurandi eius quo ſuperiori ſuo, ac veluti capiti deuincti tenentur, rationem ſummam habituros.

Tantiſper igitur dum hi Pontificio iureiurando tenebuntur, ſemper in Concilio ſententiæ eorum ſeruæ exiſtimandæ ſunt, & nulla ex parte, quomodo oportebat, liberę. Enimuerò & iuris autores atqꝫ interpretes omnes magno conſenſu tradiderunt, quidquid ob iuramenti religionem uel fiat uel omiſſum ſit, id non ſponte ſed iuſto metu factũ omiſſumúe videri, & coactê. Atqꝫ inde fieri ut ſi quis per metum cum iuramento contraxerit, etſi poſteà per plura tempora & ex interuallo ſatis longo impleat promiſſa, nõ tamen cenſeri purgatum metum ex tali impletione, ſed præſumi quòd tale implementum ſecutum ſit coactè, videlicet

licet periurij euitandi cauſa. Quod egregiè præ cæteris Aretinus Conſilio 14. demonſtrauit in quarto eius reſponſi dubio. Quin imò iuramentum cenſetur habere vim quandam torturæ ſpiritualis quemadmodum conſulendo reſpondit Barth. Socinus in conſil. 253. in 1. col. circa fin. lib. 2. Quod autem torturæ & tormentorum metu fit id non ſponte ſed coactè fieri & inuoluntarium eſſe nemo nõ intelligit; quomodo etiam rectè argumentatur Aymo Crauetta in conſil. 6. num. 84.

Omninò igitur & ante omnia neceſſarium erit ad hanc, quam requirimus, ſententiarum libertatem, ut Pontifex Archiepiſcopos ſuos, Epiſcopos, Prælatos, cæteroſq; ſibi iuratos & obſtrictos abſoluat à iuramenti vinculo.

Ita enim et in ciuilibus ac politicis negocijs fieri conſueuit, quando Electores, cæteriq; Imperij Principes ſecundum formulas receptorum iudiciorum actori petenti iudicia & iudices dant conſiliarios ſuos, quos conſtitutio primum iubet ſoluere, quod ad præſentem cauſam attinet, ab omnibus vinculis quibus domino ſuo deuincti ſint, quatenus ea cognitionem legitimam in cauſa de qua iudicandum ſit impedire videantur. Quæ ſi de pecuniarijs &, vt ita dicamus, prophanis negocijs in quib. temporalia tantum verſantur, ſalubriter conſtituta exiſtimamus, quantò magis idem in his longè grauioribus negocijs, quæ ſalutem æternam ſpectant, attendendum fuerit?

Enimuero nihil magis aduerſum eſt libertati Cõcilij, quã ſententiarum ſeruitus, quàm vox metu hærens, & periculi formidine exterrita, miniſue fracta ad veritatem adſerendam obmuteſcens. & inuicem nihil magis ſecundũ naturã liberi Concilij quàm ſententiarũ proponendarũ libertas:

quam

quam & CYPRIANVS in ſuo illo, de quo ſuprà iam ſæpe attigimus, Concilio imprimis requirebat:

Liberæ eſſe debent, inquit, Epiſcoporum ſententiæ, nec quiſquam diuerſum ſentientem cōdemnet. Nec enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum eſſe conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſsitatē collegas ſuos adigit. Quilibet enim habet poteſtatem & arbitrium liberum.

Atq; hæc eſt antiquiſsima piorum in Eccleſia Conciliorum ratio, multis annis ita etiam olim illa ſapientiore & modeſtiore ætate obſeruata, qua nuſquam legimus eos qui Concilio interfuturi & dicturi ſententiam eſſent, Epiſcopis Romanis vlla ratione fuiſſe obſtrictos. A qua conſuetudine vt diſcedatur, quæ poteſt eſſe legitima ratio? præſertim cum et ipſe Cardinalis Iacobatius lib. 2. tractatus ſui de Cōcilio, articulo 5. circa finem apertè fateatur, nullo iure teneri quem ut in Synodo compareat, cui ſententiam in ea liberè dicere non liceat, ſeu ut ipſe loquitur, qui non audet dare votum liberum. Et deinceps lib. 6. eiuſdem tractatus, artic. 2. deliberationibus Conciliorum & Synodorum publicis ritè & cum fructu peragendis neceſſarios eſſe homines liberos, & quòd ad Concilij negocia attinet, nulli obſtrictos, quiq; in neutram partem deliberationis priuato aliquo affectu ſint propenſiores.

Quamobrem, conſtare ex his ſatis arbitramur, valde neceſſarium eſſe libero Concilio habendo, vt ante omnia hi quos Pontifex fide & iureiurando ſibi deuinctos habet, ea neceſsitate prius liberentur, q̄ liberius id quod apud animū ſentiunt apertè & ſine diſsimulatione in medium proferre auſint.

HOC

HOC VINCVLO IVRISIVRANDI ITA, quemadmodum iam diximus, ante omnia relaxato, non inutiliter initio totius diſputationis ab his perſonis omnibus quæ ad deliberationem & iudicium adhibendæ ſunt, calumniæ iuramentum exigi poſſe videretur: quod quidē Statibus & parti noſtræ minimè moleſtum fuerit, ut data per iuſiurandum fide, pars vtraq;, & in vniuerſum omnes qui cognitione facta deciſuri poſtea ſint, ſanctiſsimè recipiant, ſe, vtraq; parte quantùm ſatis fuerit audita & cauſa cognita, de ijs articulis omnibus qui in controuerſiam venturi ſint, fide optima iuxta verbi diuini præſcriptum eiusq; ſincerum & incorruptum ſenſum iudicaturos: neq; in eo facturos quidquam contra conſcientiam dolo malo: nullius deniq; rei præterquam gloriæ Dei et veritatis rationem in eo iudicio ſeſe habituros. Cum enim hæc ita in politicis negocijs & de ſtillicidio aut aqua pluuia litibus ac iudicijs rectè obſeruentur, quantò magis hac diligentia & iudiciorum ſeueritate opus erit in grauiſsimo Catholicæ Eccleſiæ, vbi res omnium maximæ aguntur, iudicio. *Iuramentum calumniæ exigendum.*

Nec deſunt exempla & rationes. Enimuero vbi iuſtius Deum teſtem vocari poſſumus, quàm in ea cauſa quæ de gloria & vera eius agnitione principaliter eſt ſuſcepta? Quomodo & Prophetæ Deum teſtificatorem perpetuò adhibent in adſeranda doctrina, cum dicunt: Os Domini locutum eſt: &, Hæc dicit Dominus.

In ciuilibus controuerſijs hæc diligentia et fides eſt iudiciorum, vt, ſi vel Imperator vel alius quiſpiam Princeps delegatum vel commiſſarium in cauſa aliqua det, qui inter litigatores cauſam bona fide ſecundum conſcientiam decidat, eius ſententia non aliter effectum habere cenſeatur,

quàm

quàm ſi delegatus iureiurando affirmet,ſe fide bona ſecundum conſcientiæ ſuæ religionem pronunciaſſe. Quæ eſt conſentiens omnium Iuriſconſultorum doctrina, atq; imprimis Angeli, Pauli Caſtrenſis & Alexandri.

Eadem eſt & in teſtimonij dictione iudiciorum ciuilium ratio: Nam teſti iniurato, adeò nulla fides adhibetur, ut ne quidem utraq; parte ei gratiam iuramenti faciente, aut etiã Papa diſpenſante audiatur: ut prolixè & eruditè multis autoritatibus probat Hippolitus de Marſilijs, Singul. 214. Ad validitatem.

Quæ igitur ratio vetet,cur non etiam in Concilijs publicis, vbi alioquin veritas etiam ſub æternæ ſalutis periculo adſerenda eſt,iuramenti vinculum hoc adſtringendæ fidei cauſa adhibere liceat? In quo tamen nihil quidquam præiudicatum cuiuſq; opinioni volunt Status, ſuam hac de re ſententiam,commonefaciendi cæteros cauſa,breuiter ita in medium proponentes.

VII. *Tollenda & abroganda priora decreta omnia Synodorum Tridentinarum de hac cauſa.*

SEPTIMO. Perſonis ita,quemadmodum hactenus diximus,conſtitutis ac legitimatis, proximum eſt ut proceſſus omnes in hac religionis cauſa hactenus facti, omneſq; cenſuræ, aggrauationes,excommunicationes editæ per Bullam cœnæ, & cætera præiudicia Pontificum omnia pro irritis et de iure nullis, reſcindantur, ut quæ contra abſentes & non citatos, cauſa indicta, et ab eo qui iudicandi munus temerè nulloq; iure ſibi ſumpſit, nulliter ſint inſtituta & peracta.

Atq; imprimis ipſa flagitabit neceſsitas rerum, ut Decreta Tridentina, partim palàm falſa, partim ambigua & Sophiſtica,prorſus tollantur è medio & abrogẽtur:De quibus etiam olim legitimè teſtati ſunt Status, recuſatione iuſtiſsima

ſtiſsima & ſolen̄i interpoſita, nō aſſentiri ſe iniuſtis decretis, ſed flagitare ut ijſdē de reb. & noſtri audiantur, & errores cōfirmati emēdentur. Cū igitur illegitimè & de facto hactenus proceſſerint decreta omnia, æquū eſt eadē ut de facto etiam tollantur, aboleantur, et irrita publicè denuncientur.

Idq́ʒ ut fiat neceſſaria hæc ſubeſt ratio, q̄d aliter neqʒ audiri Status per aduerſarios in Concilio, neqʒ defenſionē vllam, aut cauſam dicere queant, ſed laqueis quaſi irretiti ab ipſo ſtatim limine conuentus, cauſa indicta, ſua quodammodo ſententia damnarentur: quodq́ʒ fruſtra ſuſceptus labor omnis adeundi ad Concilium & comparēdi videretur, et quaſi actū agi, toties iam pręcipuis articulis doctrinę noſtræ, ut ſuprà oſtenſum eſt, pro hæreſi impia condemnatis.

Quandò igitur, qui Decretis iſtis et Cōcilijs præfuêre Epiſcopi et præſides, in propria cauſa ius ſibi dixerunt, ſimul et iudicis et partis perſonā ſumentes (quod cōtra omnia et diuina et humana iura fieri, cùm alij tùm etiā M. Mantua in tract. de Concilio prolixè num. 41. et ſeq. docet) conſequens eſt, quidquid hactenus ita decretum illegitimè & nulliter publicatum fuit, id omne meritò reſcindi & aboleri atqʒ infectum fieri debere: quò tandem ex omni parte ſublatis præiudicijs ad legitimam cauſę cognitionem & determinationem perueniatur.

Atqʒ hæc abolitio iniuſtorum decretorū, et errorꝝ emēdatio eo minus moleſta aduerſarijs eſſe debet aut grauis, q̄d conſtet nō prorſus nouū aut inauditū hoc in Eccleſia accidere, imò ſępius factitatū antè, ut decreta prioris Synodi poſteriore retractata reſcinderētur, reuocarētur, et caſſarentur.

Ita legimus SARDICA Synodo in Illyrico, ad annū Dn̄i CCCLI. confirmata fuiſſe Nicænæ Synodi decreta,

& inui-

& inuicem emendatos errores aliquot Antiſynodorum, Syrmienſis in Vngaria habitæ, & Ariminenſis in Italia, Mediolanenſis, Seleucianæ, & Antiochenæ quibus Arrianæ hæreſis dogmata fuerant confirmata.

EPHESINA Synodo, quam Theodoſius poſterior ad annum Domini 404. conuocauit, damnatus per Cyrillum fuit Neſtorius hæreticus; Cyrillum verò pòſt ab Epiſcopatu Alexandrino reiectum, damnauit Ioannes Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quem tamen Theodoſius Imperator audita eius purgatione reſtituit.

Altera Synodus Epheſina Eutychis dogmata impia approbauit, Dioſcoro Cyrilli ſucceſſore Epiſcopo. Eademque Synodo Flauianus, Epiſcopus pius, qui ſe Eutychi grauiter oppoſuerat, condemnatus, & tumultu exorto ita colliſus fuit, vt triduò pòſt vitam cum morte commutaret: quo Concilio multi docti viri & pij Epiſcopi iniuſtè damnati fuerunt, quorum condemnationes cum cæteris Decretis poſtea ſuſtulit Martianus Imp. Chalcedonenſi Concilio anno Domini D. L IIII. cui ſexcenti triginta ſex Patres & Epiſcopi interfuêre, qui Neſtorium, Eutychen, & Dioſcorum damnauerunt, ut eſt apud Nicephorum & in Euagrij hiſtoria libro 2. cap. 4.

CONSTANTINOPOLITANA Synodo, quæ habita fuit anno DCC. L IIII. Imaginum & Statuarum vſus ſublatus fuit è templis: quem poſtea reſtituit Irenice cum filio Cōſtantino Imp. Nicęna Synodo, Anno DCC. XC. vt autor eſt Sabellicus Enneade 8. lib. 8. Et B. Myrandes Hiſpanus in ſumma Conciliorum.

Quoties autem Pontifices Romani inter ſe funeſtis diſcordes odijs anteceſſorum ſuorum decreta & Canones

ſuſtu-

ſuſtulerunt ipſi contrarijs decretis & conſtitutionibus: Id quod hiſtoria ipſorum non vno in loco docet. Quæ cum ita ſint, cur non idem etiam in præſente negocio fieri liceret? vt quę ante edidit Synodus decreta, ea infirmari & publicè irrita pronunciari poſsint & debeant.

VIII. *Præſes ſeu iudex ſupremus in Concilio Chriſtiano & libero: ipſe Chriſtus.*

OCTAVO. Sublatis igitur his impedimentis et præiudicijs omnibus, proximum eſt ut de præſide ſupremo Chriſtiani Concilij quæratur. quam quidem curam præcipuam eſſe & maximè neceſſariam, facilè intelligere poſſumus omnes. Neq; verò alium hîc iudicem aut præſidem conſtituere fas eſt, quàm ipſum Eccleſiæ caput, CHRISTVM & verbum CHRISTI. Vt quicunq; claro verbi Dei teſtimonio ſententiam ſuam in Concilio fundet ac demonſtret, is & audiatur & vincat. Solus igitur CHRISTVS & verbum eius Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis traditum præſideat, & norma ſit ſecundum quam in Concilio iudicetur.

Eſt enim hoc æternum & immutabile Decretum maieſtatis diuinæ, & mandatum ſupremum quod pater æternus, è cœlo voce clara humanum genus affatus, promulgauit ipſe de filio dicens: „HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS IN QVO BENE COMPLICITVM EST MIHI, „HVNC AVDITE. Matthæi 17. Et 2. Petri 1. Item: Qui „non audierit, ego vltor ero. Et filius ſimiliter de ſuo officio „aſſeuerans inquit: EGO SVM VIA, VITA, ET VERITAS. „Item: Oues meæ vocem MEAM audiunt, & „ego cognoſco eas, ac ſequuntur me, & ego vitam æternam „do illis. Et Apoſtolus: Si quis aliud Euangelium doceat, „licet ſit Angelus de cœlo, Anathema ſit.

*Teſtimonia Patrum.*

Huic ſententiæ & Patres omnibus temporib. in Eccleſia

magno conſenſu ſubſcripſerunt: Nã ex antiquiſsimis CYPRIANVS expreſsè & diſertè idem docet lib. 2. epiſtolarum ad Cælium, epiſt. 3. Vtiq; id nos audire & facere oportet quod Chriſtus fecit, quodq; faciendum eſſe mandauit. Cùm ipſe in Euangelio ſuo dicat: Si feceritis quæ mando vobis, iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: Et quod Chriſtus debeat ſolus audiri, pater de cœlo teſtatur, dicens: Hic eſt filius meus dilectus in quo benè ſenſi, ipſum audite. Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum eſſe putauerit, ſed quid qui ante omnes eſt, Chriſtus, prior fecerit. Neq; enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem, cum per Eſaiam Prophetam Deus loquatur & dicat: Sine cauſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

*Cyprianus.*

*Et circa finem epiſtolæ ſubijcit:*

Nam ſi ſacerdotes Dei & Chriſti ſumus, non inuenio quem magis ſequi, quàm Deum & Chriſtum debeamus, cum ipſe in Euangelio maximè dicat: Ego ſum lumen mundi: qui me ſequutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Ne ergo in tenebris ambulemus, Chriſtum ſequi & præcepta eius ſeruare debemus, &c.

*Et alio in loco idem de lapſis:*

Quomodo audent, inquit, quidquam ſtatuere ſine Chri-

ne Chriſto: quorum & ſpes, & fides, & virtus, & gloria omnis eſt in Chriſto.

Quæ quidem Cypriani ſententia etiam in Canones relata extat in ca. ſi ſolus. Diſtinctione 8. his verbis: Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere qd aliquis ante nos faciendum putauerit: Sed quid primus, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Concordat c. ſi fruſtra. ead. diſtinct.

Breuiter ſupremus Pręſes piorum Conciliorũ & omnis de dogmatibus iudicij in Synodo eſt ipſe Chriſtus: neque alium iudicem vllum Eccleſia agnoſcit, quemadmodũ Auguſtinus etiam loquitur in libro de vnitate Eccleſiæ cap. 4. Totus, inquit Chriſtus caput & corpus eſt. Caput vnigenitus Dei filius, et corpus eius Eccleſia, ſponſus & ſponſa, duo in carne vna. Quicunq; de ipſo capite à Scripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inueniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. *Auguſtinus.*

*Ita & Baſilius in lib. de ſpiritu Sancto cap. 5.*

Quod Chriſtus Eccleſiæ caput ſit, didicimus ab Apoſt. dicẽte: Et ipſũ dedit caput ſup omnia Eccleſię. *Baſilius.*

Intellexit et hoc ex iuris interpretibus Marſilius Patauinus, multis teſtimonijs idem docens in Defenſorio pacis.

Pertinet huc quod ipſe Dominus ait: Ioannis 14. Ego ſum via, veritas, & vita. quod dictum explicans Baſilius in d. libro de ſpiritu Sancto capite octauo: Re vera, inquit, eſt bona via, exorbitationis erroriſq; neſcia,

Dominus noſter IESVS, ad patrem, qui verè bonus eſt, perducens, Nemo, inquit, venit ad patrem, niſi per ME.

*Et Auguſtinus lib. 7. Confeßionum cap. 18.*

Solus Chriſtus via ad cognitionem ſalutis.

Atq; hęc haud dubiè eſt ratio cur toties in Scriptura filius Dei dicatur lux mundi. Ioan. 1. 3. & 8. cap. Ego ſum lux mundi: lux ſanè inexhauſta, quæ ſola mentis noſtrę caliginem ac tenebras diſcutit, vt mentem æterni patris cernamus propius, quemadmodum loquitur Baſilius lib. 1. contra Eunomium.

Hinc item eſt quod Scriptura Chriſtum appellat Solem Iuſticiæ: quod quidem eleganter Auguſtinus explicat lib. 1. de ſermone Domini in monte, circa fin.

Hinc & ſapientia patris dicitur, qua myſteria DEI cognoſcimus. ad Coloſ. 2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi: quod copioſè & piè explicat idē Auguſtinus lib. 13. de Trinitate cap. 19. in fin.

Quæ quidem omnia ſatis demonſtrant, neminem rectius dici aut conſtitui poſſe præſidem conuentus Chriſtiani quam ipſum CHRISTVM, cui hic honos meritò relinquendus eſt ſaluus & integer. Cum enim is ſolus ſit lux mūdi, via, veritas, Sol iuſticiæ, Sol occaſum neſciens, & ſapientia æterna, cōſequens eſt, extra hūc nihil niſi tenebras eſſe, nihil niſi cæcitatē merā, errores, ſtultitiā et mendacium.

Impiè igitur faciunt Canoniſtæ & Pontifici Scriptores, quotquot hunc titulum præſidentiæ, Chriſto & verbo eius detractum, Pontifici adfingunt immoderatis præconijs, inter quos nō poſtremas tenent Iacobatius Cardinalis in tractatu

ctatu de Concilio lib. 6. artic. 2. Et H. Albanus in libro de poteſtate Papæ, in 2. parte nu. 108. & ſeq. qui Papam etiam multis modis flagitioſum, nihilominus ſupra totam congregationem piorum euehunt ceu numen aliquod, cum tamen is plerumqꝫ & literarum ſcientia ac pietate cuiuis ex plebis fece infima longè inferior ſit. Quod etiam grauiter Bernardus ſuo ſeculo taxauit: Quæ maior, inquit, ſuperbia eſt quàm ut vnus homo toti congregationi iudicium ſuum præferat? tanquam ipſe ſolus habeat iudicium Dei. Idolatriæ ſcelus eſt, nolle acquieſcere, & quaſi peccatum idolatrandi. Quam vocẽ D. Bernardi laudat & probat etiã Picus Mirandula in quæſt. An Papa ſit ſupra Conciliũ, Vt ſanè digniſsima eſt laude. *Bernardus.*

NONO. Cum conſtet ſupremum caput & iudicem atqꝫ præſidem Concilij Chriſtiani eſſe Chriſtum, conſequens eſt, normam ſecundum quam dijudicanda & examinãda ſint dogmata & amuſsim iudicij omnis eſſe ſolam SCRIPTVRAM SACRAM Propheticis & Apoſtolicis libris comprehenſam, quę ipſa ſupremi iudicis vox eſt viua, &, ut ait Apoſtolus Actorum 10. de Chriſto abundè teſtificatur. Etenim Prophetæ omnes & Apoſtoli magno conſenſu nos deducunt ad hunc velut fontem omnis lucis & intelligentiæ. Quemadmodum piè ſcripſit ex Patribus CHRYSOSTOMVS Homilia 10. ad Marcum: Ego, inquit, quando lego Euangelium, & uideo ibi teſtimonia de lege, teſtimonia de Prophetis, ſolum Chriſtum conſidero. Sic vidi Moyſen, ſic vidi Prophetas, vt de Chriſto intelligerẽ loquentes. Deniqꝫ

IX. *Norma ſeu regula iudicij de dogmatibus.*

*Chryſoſtomus.*

quando venero ad ſplendorē Chriſti, et quaſi ſplendidiſsimum lumen clari Solis aſpexero, lucernæ lumen non poſſum videre. Nunquid lucernam ſi accendas in die, lucere poteſt? Si Sol luxerit, lucernæ ſplendor non apparet. Sic & Chriſto præſente, cōparata lex et Prophetæ penitus non apparent. Non detraho legi & Prophetis, quin potius laudo, quia Chriſtum prædicant. Sed ſic lego legem et Prophetas, ut non permaneam in lege & Prophetis, ſed per legem & Prophetas ad Chriſtum perueniam.

*Et hoc eſt quod Apoſtolus 1. Corinth. 3. ait.*

Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter
» hoc quod poſitum eſt, quod eſt IESVS CHRI-
» STVS. De quo dicto piè etiam D. Hieronymus
» monet in Epiſtolam Pauli ad Titum c. 1.

*Pſalm. 118.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine,
» & lux in via mea.

*Remittit & nos ipſe filius Dei ad Scripturam.*

*Ioan. 5. ubi ait:*

Scrutamini ſcripturas, illæ ſunt quæ teſtimoni-
» um de me perhibent.

Sic de Theſſalonicenſium Eccleſia et primorib. legimus Actor 17. quòd Paulo ibi docente, ſcrutati ſint ſcripturam quotidiè perſtudiosè, an hæc ſe ita haberent.

» Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt

eſt ad doctrinam, ad redarguendum, ad correctio- ››
nem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſticia, ad hoc vt ››
homo integer ſit Dei, ad omne opus bonum para- ››
tus, ait Paulus 2. ad Timoth. 3. *Et 2. Pet. 1.* ››

Firmum ſermonem habemus traditum à Pro- ››
phetis, cui, quòd attenditis tanquam lucernæ in ob- ››
ſcuro loco lucenti, rectè facitis, donec dies illuce- ››
ſcat & lux exoriatur in cordibus veſtris. Scriptura ››
enim prælucet mentibus noſtris in huius mundi te- ››
nebris tanquam lucerna in loco caliginoſo, quoad ››
dies illuceſcat in cordibus noſtris, quemadmodum ››
piè explicat hoc dictum Eraſmus ad Pſalmum 22. ››

His & ſimilibus teſtimonijs ſcripturæ perpetuò deducimur ad vocem uerbi diuini per ſpiritum ſanctum traditam. Non igitur norma vlla aut regula alia iudicij & dijudicationis de dogmatibus eſſe poteſt, quàm hæc arcana ſapientia Dei ignota creaturis omnibus, & in verbo diuinitus reuelata. Quamobrē hæc ſola ſequenda erit in iudicando, nō traditiones, nō conſtitutiones humanæ, aut Pontificum decreta, nō conſuetudines quoquo modo aut inſcitia hominū aut ſuperſtitione receptæ & obſeruatæ: quarum pleræque Prophetarū & Apoſtolorū doctrinæ apertiſsimè repugnāt, & falſiſsimo titulo vniuerſalis conſenſus ornantur, cum re vera Pontificiæ Eccleſiæ recens & impius conſenſus ſint, nō ita pridē ex errorib. & abuſib. varijs cōflatus & auctus.

Huic regulæ de autoritate ſuprema verbi diuini, ſcriptorumq; Propheticorum & Apoſtolicorum in Eccleſia accedunt & Patres omnes, omniſq; antiquitas purior. *Teſtimonia Patrum.*

Et multa paſsim extant in hanc ſententiam pulcherrima Patrum dicta. Ita Ambroſius ait in Lucam:

Ambroſius. Sequere ſcripturas, ut errare non poſsis.

Et AVGVSTINVS copioſè lib. 2. de Baptiſmo aduerſus Donatiſtas cap. 3. cuius dicta pleraque etiam relata ſunt in Decretis: vt in ca. Quis neſciat. Diſtinctione IX.

Auguſtinus. Quis neſciat ſacram Scripturam Canonicam, tam veteris quàm noui Teſtamenti, certis terminis ſuis contineri: eamque poſterioribus omnibus Epiſcoporum literis ita præponi, ut de illa omninò dubitari & diſceptari non poſsit vtrum verū vel vtrum rectum ſit quidquid in ea ſcriptum ſit: Epiſcoporū autem literas quæ poſt confirmatū Canonem ſcriptæ ſunt uel ſcribuntur, licere per Concilia reprehēdi, ſi quid in eis fortè à veritate deuiatum ſit.

*Idem lib. 11. Aduerſus Fauſtum Manichæum. cap. 5.*

In illa Canonica eminentia ſacrarum literarum, etiamſi vnus tantum Propheta, aut Apoſtolus, aut Euangeliſta aliquid in ſuis literis poſuiſſe ipſa Canonis confirmatione declaratur, nō tamen licet dubitare an verū ſit: alioqui nulla erit pagina qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas, ſi librorum ſaluberrima autoritas aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur.

*Et in lib. de unitate Eccleſiæ. 3. cap.*

Sed, ut dicere cœperam, non audiamus hæc dico, hæc di-

hæc dicis: ſed audiamus hæc dicit Dominus. Sunt libri Dominici, quorum autoritati vtriq; conſentimus, vtriq; credimus, vtriq; ſeruimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.

*Et paulò pòſt:*

Quia nolo humanis documentis, ſed diuinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari.

*Et rurſus:*

Si autem Chriſti Eccleſia Canonicarum ſcripturarũ diuinis & certiſsimis teſtimonijs in omnibus gentibus deſignata eſt, quidquid attulerint, & vndecunq; recitauerint, qui dicunt: Ecce hîc Chriſtus, ecce illîc: audiamus potius, ſi oues eius ſumus, vocem paſtoris noſtri, dicentis: Nolite credere. Illæ quippe ſingulæ in multis gentibus vbi iſta eſt, non inueniuntur, hæc autem quæ vbiq; eſt, etiam vbi illæ ſunt, inuenitur. Ergò in ſcripturis ſanctis Canonicis eam requiramus.

Hæc dicta manifeſtè docent, Eccleſiam eiuſq; cenſuram ac iudicia ſuprema, cuiuſmodi ſunt Concilia et Synodi pię, nuſquam alibi quærenda quàm vbi ſacra Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta purè & incorruptè tractantur, alijſq; doctrinis omnib. præferuntur, quemadmodum idem Auguſtinus ſcribit: Quæſtio eſt vbi ſit Eccleſia: Quid ergò facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri ſumus, an in verbis Domini? Et puto quod in ver- Auguſtinus.

bis illius quærere debeamus, qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum.

Et eodem de vnitate Eccleſiæ libro cap. 3. alligans Eccleſiam ceu oues ad paſtoris ſui vocem ait: Habeo maniſeſtiſsimam vocem paſtoris mei, commendantis mihi, & ſine vllis ambagibus exprimentis Eccleſiam. Mihi imputabo, ſi ab eius grege, qui eſt ipſa Eccleſia, per verba hominum ſeduci atq; aberrare voluero, cum me præſertim admonuerit, dicens: Quæ ſunt oues meę vocē meā audiunt & ſequuntur me. Ecce vox eius clara, & aperta & exaudita. Qui eam nō ſequitur, quomodo ſe ouem eius dicere audebit?

Non aliter & CHRYSOSTOMVS de autoritate Scripturæ diſputans Homilia 3. de Lazaro Euangelico ait:

*Chryſoſtomus.*

Neglexímus noſtram ſalutem dilecti: hæc omnia ſcripta ſunt propter nos, ad correctionem noſtri, in quos fines ſeculorum inciderunt. Magna aduerſus peccatum munitio eſt ſcripturarū lectio: magnum præcipitium, profundum baratrum ſcripturarum ignoratio: magna ſalutis perditio, nihil ſcire ex diuinis legibus. Ea res & hæreſes peperit, ea vitam corruptā inuexit, hoc ſurſum deorſum miſcuit omnia.

*Et in homilia de ſancto & adorando ſpiritu:*

Multi, inquit, ſpiritum ſanctum iactitant: ſed qui propria loquuntur, falsò illum prætendunt. Vt Christus non à ſeipſo loqui ſe teſtabatur, quia ex lege lo-

ge loquebatur & Prophetis: ita ſi quid præter Euã-gelium ſub titulo ſpiritus obtrudebatur, ne credamus. Quia Chriſtus legis & Prophetarum impletio eſt, & ita ſpiritus Euangelij.

Hoc dictum diſertè negat Concilium vllum rectè de ſpiritu ſancto gloriari poſſe, quo verbo Dei contraria ſtatuuntur, aut quidquam aliter, quàm in Prophetarũ & Apoſtolorum ſcripturis ſacris traditum eſt, ordinetur.

Atq; huc non incommodè referri poteſt quod de Conſtantino THEODORETVS Epiſcopus refert in Nicænæ Synodi hiſtoria: qua grauitate optimus & religionis amantiſsimus Imp. Epiſcopos, qui ad Synodum conuenerant, admonuerit inter cætera, vt depoſita animorum acerbitate, qua ſe mutuò laceraſſent & riſum præbuiſſent hoſtibus, hoc imprimis cogitarent, quomodo Deus ob impietatem & facinora tàm antiſtitum quàm populi paſſus fuiſſet graſſari in eos ſæuitiam ſuperiorum Imperatorum, et nunc à ſe rem Eccleſiaſticam maximis laboribus vix reſtitutam, ut in pace & ocio degere poſſe videantur: Decere igitur & officij eorum eſſe, ut in tãta Eccleſiarum diſtractione principiò charitatem inter ſe redintegrari patiantur, & mutua odia deponant: tum in diſputationibus de dogmatibus controuerſis Euangelicorum & Apoſtolicorum librorum præſcriptam doctrinam accuratè ſequantur. Hæc enim ſunt verba eius: Tũ Cõſtãtinus nihil, inqt, indigni9, quàm hoſtibus fidei domitis, cum nemo inueniatur amplius q rebellare auſit, ipſos inter ſeſe ſacerdotes committi, iurgijs et conuicijs ſe mutuò proſcindentes, atq; ea re riſum præbere & voluptatẽ hoſtibus *Theodoretus*

doctrinæ;

doctrinæ: præcipuè in diſputationibus rerum diui-narum ac fidei, in quibus tamen habent ſanctiſsimi ſpiritus doctrinam præſcriptam. Euangelici enim & Apoſtolici libri, nec non & antiquiſsimorum Prophetarum oracula planè inſtruunt nos quid de voluntate Dei ſentiendum nobis ſit. Proinde hoſti-li poſita diſcordia, ſumamus ex dictis diuini ſpiri-tus explicationes quæſtionũ omniũ, &c. Hæc ille.

Vtinam verò & in hac rerum perturbatione atq; opi-nionum de religione fluctibus, quibus totius orbis Chri-ſtiani Eccleſia periclitatur, ſummorum Ordinum guber-natores, quiq; & Eccleſiarum antiſtites illuſtrè hoc & lau-datiſsimum exemplum requirerent atq; intuerentur, con-ſiderantes quid iјs temporibus rectè et præclarè factum vi-deretur, quibus aliquando non minus quàm nunc diſſen-ſionibus & opinionibus Eccleſiæ turbatæ, & harum quaſi concuſsione Reſpublica etiam exagitata fuiſſe reperitur. Quod ſi fieret, ratio non difficulter ab intelligentibus iniri poſſet, quando iam multarum ſuperſtitionum vanitas no-ta eſt publicè, quomodo per Concilium Chriſtianum in-clinatæ religioni conſuli ac pia Eccleſiarum emendatio tandem perfici queat.

*Aduerſus calumnias Papiſtarum de ambiguitate & obſcuritate Scripturæ.*

NEQVE VERO mouere nos debet, quòd ho-mines prophani & hoſtes tranquillitatis clamitant, mul-ta eſſe in ſacrarum literarum libris ambigua, atq; ideo vix fieri poſſe, ut certa aliqua & immota iudicij regula inde conſtituatur.

Manifeſta hæc eſt peruerſitas aduerſariorum, qui etiam conuicii

conuicti non deſinunt quærere calumnias. Quaſi verò, qui immenſa bonitate ſe generi humano per verbum patefecit DEVS, ludere ambiguis ſermonibus nos voluerit ceu Sphingis ænigmate & Sybillæ folijs, aut Eridis pomũ obijcere, cum traderet verbum ſuum de voluntate æterni patris, quomodo is agnoſci, coli, & inuocari vellet à genere humano, de quo Pſalmus expreſsè ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum. „

*Et Propheta:*

Ad legem & ad teſtimonium: Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina. „

Ipſe etiam titulus Scripturæ ſacræ hoc refellit, quæ ob id Canonica, hoc eſt regularis dicitur, quod certam, firmam, & immotam regulam doctrinæ verbis minimè dubijs aut ambiguis tradat de rebus ijs, in quibus omnis ratio ſalutis noſtræ conſiſtit. Quomodo & AVGVSTINVS lib. 19. De ciuitate Dei cap. 18. ait:

Ciuitas Dei credit ſcripturis ſanctis & veteribus & nouis, quas Canonicas appellamus: Vnde fides ipſa conceſſa eſt ex qua iuſtus viuit, per quam ſine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur à Domino.

Atq; hanc obſcuritatis calumniam apertè etiam refutarunt Patres: Ita enim eſt apud Clementem Alexandrinum in protreptico: Nullis, inquit, cælatum eſt verbum, lux eſt communis omnibus, illuceſsit hominibus. Nullus eſt in verbo cimmerius, tenebræ nullæ. *Teſtimonia Patrum.*

Et paulò

*Et paulò pòſt:*

Verbum Sol eſt animæ, qui ſi exortus in profundo mentis ſit, ipſius quoq; mētis illuſtratur oculis.

Ita Clemens, qui alibi etiam in hanc ſententiam de certitudine verbi multa præclara habet, & in lib. 1. Pædagogi cap. 3. ait: Dux optimus eſt Dei verbum.

Etſi enim alia dicta aliis ſint explicatiora, tamen ſi quorum fortè ſententia obſcurior legenti videatur, collatio ſine preiudiciis & affectibus piè facta facilè oſtendit ſententiam certam & minimè ambiguam: Et hanc diligentiam exercitiis meditationum, inuocationis, & ſcrutandi Scripturas ſpiritus Sanctus exacuere in nobis iſto modo voluit, ut ait Auguſtinus libro 2. de doctrina Chriſtiana capite ſexto:

*Auguſtinus.* Quædam, inquit, ſunt in Scripturis obſcura & difficilia, nec tamen aliud, quàm quod alibi planiſſimis verbis proponitur. Magnificè igitur & ſalubriter ſpiritus Sanctus ita ſcripturas ſanctas modificauit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſsimè dictum alibi reperiatur.

*Et libro 3. eiuſdem operis cap. 28.*

Per ſcripturas diuinas multò tutius ambulatur, quas verbis translatis occupatas cum ſcrutari voluerimus, aut hoc inde exeat quod nō habet controuerſiam, aut ſi habet, ex eadem ſcriptura vbicunque inuen-

inuentis atque adhibitis eius teſtibus terminetur.

*Sic & D. Hilarius. lib. 1. De Trinitate:*

Optimus lector eſt qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quàm imponat: & intulerit magis quàm attulerit: neq; cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum. *Hilarius.*

*Rurſus idem Auguſtinus lib. Confeßionum 13. cap. 23.*

Spirituales ergò qui præſunt vel obtemperant, ſpiritualiter iudicant, non de cognitionib. ſpiritualibus quæ lucent in firmamento: Non enim oportet de tam ſublimi autoritate iudicare, neq; de ipſo libro tuo, etiamſi quid ibi non lucet. Quoniam ſubmittimus ei noſtrũ intellectum, certumq; habemus quod clauſum eſt, etiam oculis noſtris rectè veraciterq; dictũ eſt. Sic enim homo, licet iam ſpiritualis & renouatus in agnitionem Dei, ſecundum imaginem eius qui creauit eum, factor tamen legis debet eſſe, non iudex. Multa ſunt prçtereà in hanc ſententiam ab eodem diſertè tradita lib. 6. cap. 4. & ſeq. *Auguſtinus.*

Ac de vero Scripturarum ſenſu eruendo imprimis multa tradidit is, quem modò diximus, Clemens Alexandrinus libro ſeptimo ςϱωμάτωϱ, ita ſcribens inter cætera:

Qui ex errore reuerſus, obedit ſcripturis, & vitam ſuam veritati permiſit, Deus quodammodo ex homine efficitur. *Clemens.*

Hactenus

Hactenus igitur conſtat, quod propoſuimus, Verbum DEI ſolum, ut Propheticis & Apoſtolicis libris comprehenſum eſt, ſupremi in Eccleſia iudicis vocem eſſe viuam, et ceu Lydium lapidem ac normam iudicij Conciliorumq; Eccleſiaſticorum omnium. Quod cum ijs in locis quos è patribus adduximus traditur, tùm verò apud eundem Auguſtinum copioſè epiſtola 48. Et de vnitate Eccleſiæ aduerſus Maximinum hæreticum lib. 3. cap. 3. Et in enarratione Pſalmi 57. Rurſus apud Clementem lib. 1. Pædagogi cap. 2. & cap. 8. Quod ſolum Dei verbum ſit iudex controuerſiarum de dogmatibus Eccleſiæ.

## DECIMO ET VLTIMO.

X. *Quæ Patrũ & Conciliorum antiquorum autoritas eſſe debeat.*

Cum Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ ſummus, qui meritò ei debetur, locus ita, quemadmodum modò diximus, fuerit relictus, & iudicij autoritas ſuprema attributa: non diſplicet noſtris, ſuum etiam, ſed inferiorem, relinqui locum ſcriptis Patrum, & conſenſui piorum doctorum primitiuæ ac purioris Eccleſiæ. Ita tamen, ut nullo modo hi cum ſacris libris in comparationem veniant, ſed ſolum conſulantur velut interpretes & teſtes in obſcuris & controuerſis articulis, & quatenus cum ſummi iudicis, hoc eſt, Scripturæ voce congruant, adhibeantur.

Idq; inter cætera cautum meminimus ab vniuerſo Imperij Senatu decretis Auguſtanorum Comitiorum publicis: quibus placuit ut tota tractatio horum negociorum & concluſio Concilij fieret depoſitis præiudicijs & affectibus priuatis omnibus, piè ac ritè, ſecundum Scripturas ſanctas Prophetarum atq; Apoſtolorum, & perpetuum conſenſum Sanctorum in Eccleſia Patrum.

Nec enim

Nec enim Patrum et vetuſtorum in Eccleſia ſcriptorum autoritatem aſpernantur Status, ſed, ut decet, faciunt plurimi et ſuo loco venerantur omnes, illos præſertim qui primitiuæ Eccleſiæ & Apoſtolorum temporibus viciniores fuêre, iuxta regulam traditam à Tertulliano: Rectum eſſe quodcunque primum ſit: adulterinum verò quodcunque recens. Quam regulam in lib. aduerſus Praxeam commendat imprimis, ac tenendam monet. Et quidem nominare ſe ait primum, quod Prophetæ & Apoſtoli tradiderunt, hanc enim eſſe antiquiſsimam Eccleſiæ doctrinam. *Tertullianus.*

Sic & ipſi Patres ſæpe allegant partim Apoſtolos, partim proximos ætati Apoſtolorum. Sic Irenæus Florino opponit teſtimonium Patrum qui ipſum anteceſſerunt & imprimis Polycarpi, qui auditor fuerat Apoſtolorum & diſcipulus Ioannis Euangeliſtæ, quem etiam ait, ſi Florini dogma impium audiuiſſet, execraturum id fuiſſe, & locum ipſum in quo id ſparſiſſet ut pollutum deuitaturum. *Irenæus.*

Sic Baſilius nutricem ſuam allegat, cuius matronæ pietatem ait imprimis fuiſſe laudatam, & addit eam accepiſſe doctrinam à Gregorio Neocæſarienſi, qui eruditione ſumma & miraculis eo tempore quo Samoſateni impietas damnata fuit, claruit in Eccleſia. Eſtque huius Gregorij antiquiſsimum quod poſt Apoſtolorum ſcripta in Eccleſia extet teſtimonium de Trinitate et fidei confeſsio. Apud ſcriptores Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 7. *Baſilius.*

Origenes in quæſtione de Baptiſmo infantium allegat Apoſtolos. Et ad caput 6. Epiſtolæ ad Romanos ſcribit Eccleſiam per manus ab Apoſtolis accepiſſe hanc conſuetudinem baptizandi paruulos. *Origenes.*

Omittimus multos alios, qui longo ſatis ordine ſinguli

audiuerunt à maioribus ſuis, & quaſi per manus traditam ab Apoſtolis et horum auditoribus acceperunt doctrinam & iudicia de dogmatibus. Magna itaq; autoritas meritò attribuitur Patribus, & imprimis illis qui propius ab ortu & Apoſtolorum temporibus abfuerunt. Prima enim Eccleſia velut teſtis eſt Apoſtolicæ doctrinæ, & cuſtos cuius fidei oracula ſua concredidit DEVS, quæ in Eccleſia perpetuò ſonare & exaudiri vult, vt teſtimonia illuſtria ad omnẽ poſteritatem de doctrina extent.

Cumq; excellens fuerit diligentia ac fides primorum in Eccleſia Patrum & doctorum, quibus cum tot ſubinde hæreticis & fanaticis hominibus conflictandum fuit, ut ad poſteros doctrinam incorruptam propagarent, decet nos de tantis viris, tam præclarè de omni poſteritate meritis reuerenter ſentire, et teſtimonia ipſorum facere plurimi. Semper autem tenenda eſt Apoſtoli regula 1. Theſſalon. 5. dicentis:

Omnia probate, & tenete quod bonum eſt.

Itaq; delectus quidam adhibendus eſt neceſſariò, &, quoniam non omnium ætatum eadem fuit ſcriptorum puritas, ac ne quidem vnius, prudenter conſiderandũ an cum fontibus ſacrarum literarum conſentiant: Super quo conſenſu, ut idem Paulus ait, extructa eſt Eccleſia. Et ſiquidem cũ Propheticis & Apoſtolicis congruant, meritò recipiendũ eſt eorum teſtimoniũ: ſin aduerſentur, improbandũ.

*Ita Auguſtinus epiſtola 3. ad Fortunatianum.*

Neq; enim, inquit, quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum et laudatorum hominum, velut ſcripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non

bis non liceat ſalua honorificentia, quæ ipſis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atq; reſpuere: Si forte inuenerimus, quòd aliter ſenſerint quàm veritas habet diuino adiutorio uel ab alijs intellecta uel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.

*Et, quæ ſequitur, epiſtola 112. ad Paulinam de uidendo* DEO.

Nolo autoritatem meam ſequaris, ut ideo putes tibi aliquid neceſſe eſſe credere quoniam à me dicitur: Sed aut ſcripturis Canonicis credas, ſi quid nõdum quod verũ ſit vides, aut interius demonſtranti veritati. *Ac paulò inferius.*

Si diuinarum ſcripturarum, earum ſcilicet quæ Canonicæ in Eccleſia nominantur, perſpicua firmatur autoritate, ſine vlla dubitatione credendum eſt. Alijs verò teſtibus vel teſtimonijs, quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi credere uel non credere liceat, quantum meriti ea admonentem ad fidem faciendam, uel habere uel non habere perpenderis.

Prudenter itaq; & accuratè animaduertendum, ne autoritatem Patrum verbo diuinitus tradito præferamus, ac perpetuò in conſpectu ſit regula iſta: Si quis aliud Euangelium doceat, etſi uel Angelus de cœlo ſit, Anathema eſto, Galat. 1. quam & Cyprianus libro 2.

epiſt. 3. allegat, et recitatur etiam in ca. Si quis præeſt. 11. q. 3.

In hanc ſententiam ipſi etiam Canones Eccleſiaſtici, qui dicuntur, & Patres paſsim loquuntur, diſertè & expreſsis verbis tradentes, eatenus accedendum Patribus, quatenus doctrinæ ſuæ fidem ex verbo Dei faciant. Sic enim ex epiſt. Auguſtini 19. ad Hierony. habet ca. Ego ſolis. diſtinct. IX.

Ego enim fateor charitati tuæ, ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur didici hunc timorē honoremq́; deferre, ut nullum eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſsimè credā. Ac ſi quid in eis offendero literis quod videatur cōtrarium veritati, nihil aliud quàm mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictū eſt, uel me minimè intellexiſſe non ambigam. Alios autē ita lego, ut quantalibet ſanctitate, quantaúe doctrina polleant non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi uel per illos autores, uel Canonicas, uel probabili ratione, quod à vero non abhorreret, perſuadere potuerunt. Nec te mi frater ſentire aliquid aliter exiſtimo: prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarū vel Apoſtolorū, de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, dubitare nefariū eſt.

Et ex eiuſdem Auguſtini Epiſtola ad Vincentium 48. quod relatum eſt in Canonem: noli frater. Diſtinctione 9.

Noli ergò frater contra Diuina tàm multa, tàm clara, tàm indubitata teſtimonia colligere velle calumnias

calumnias ex Epiſcoporum ſcriptis, ſiue noſtrorum, ſiue Hilarij, ſiue antequam pars Donati ſepararetur ipſius vnitatis, ſicut Cypriani & Agrippini. Primò quia hoc genus literarum ab autoritate Canonis diſtinguendum eſt: nō enim ſic leguntur, tanquam ita ex eis teſtimonium proferatur, ut contrà ſentire non liceat, ſicubi forte aliter ſapuerint quàm veritas poſtulat. In eo quippe numero ſumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apoſtolo accipere: Et ſi quid aliter ſapitis, id quoq; Deus vobis reuelauit. Veruntamen in id quod peruenimus ambulemus, in illa via ſcilicet quæ Chriſtus eſt.

*Et rurſus:*

Audi dicit Dominus, non dicit Donatus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut Ambroſius, aut Auguſtinus, ſed dicit Dominus, cum legitur: Benedicēturin te omnes tribus terrę, omnes gentes magnificabunt eum, &c. et tu contradicis diuinis teſtimonijs, tanta firmitate roboratis, tanta luce manifeſtatis?

*Et idem in Prologo lib. 3. de Trinitate.*

Noli meis literis quaſi Canonicis inſeruire, ſed in illis quodcunq; non credebas, cum inueneris incunctanter crede: in iſtis autem quod non certum habebas, niſi certum intellexeris noli firmè credere.

*In Commentario ſuper Matthæum.*

Quod neq; contra fidem Catholicam, neq; contra bonos mores eſſe conuincitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum.

*Idem lib. 2. de nuptijs & concupiſcentia, Ad Valerium cap. 29.*

Quid autem dicã de ipſis diuinarum ſcripturarum tractatoribus qui in Catholica Eccleſia floruerunt? Quomodo hæc non in alios ſenſus conati ſunt vertere, quoniam ſtabiles erant in antiquiſsima & robuſtiſsima fide, nec nouitio mouebantur errore. Quos ſi colligere, & eorum teſtimonijs vti velint, & nimis longum erit, & Canonicis autoritatibus, à quibus non debemus auerti, minus fortaſſe videbor præſumpſiſſe, quàm debui.

*Deniq; in enarratione Pſalmi 57.*

Nec tu mihi quos ex Euangelio nominas legis, nec ego quos nomino ex Euangelio lego. Auferantur de medio chartæ noſtræ, procedat in medium Codex Dei: audi Chriſtum dicentem, audi veritatem loquentem.

Conſultò et de induſtria collegimus maiorem aceruum ſententiarum Auguſtini, ſummi in Eccleſia doctoris et qui cœleſtem illum theſaurum Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ præcipua diligentia & fide nobis conſeruauit: & idem

idem quod nos de interpretum et doctorum in Eccleſia autoritate diſertè multis in locis adſeruit: in diſputationibus de dogmatibus religionis præcipuè & ante omnia conſulendam eſſe ſcripturam veteris & noui Teſtamenti, & huius fundamento ſoli innitendū: cætera, ut humana omnia, obnoxia facilè fieri errorib. Quomodo & de ſeipſo & ſcriptis ſuis monet lib.5.de Baptiſmo cōtra Donatiſtas cap.17:

Nullo modo meas literas ab omni errato liberas audeo uel putare uel dicere.

*Et lib. 4. de anima cap. 1.*

Necq; enim negare debeo, ſicut in ipſis moribus ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis quę poſſint iuſto iudicio & nulla temeritate culpari.

Eadem fuit hac de re & HIERONYMI ſententia cùm alibi, tùm in epiſtola ad Minerium et Alexandrum: Necq;, inquit, iuxta Pithagoræ diſcipulos præiudicata doctoris opinio, ſed doctrinæ ratio pōderanda eſt. Si quis autem contrariæ factionis immurmurat quare eorum explanationes legam, quorū dogmatibus nō acquieſco, ſciat me illud Apoſtoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et ſaluatoris verba, dicentis: Eſtote probi numularij, vt ſi quis numus adulter eſt, & figuram Cæſaris nō habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur. qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis noſtri marſupium recondatur. *Hieronymus.*

*Et paulò infra:*

Meum propoſitum eſt, inquit, antiquos legere, probare ſingula, retinere quę ſint bona, & à fide Eccleſiæ non recedere.

*Alio in loco eleganter idem:*

Quod ſcripturæ ſacræ autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua recipitur.

Non alia fuit & CHRYSOSTOMI de Patrum autoritate ſententia. Homilia 49. in Matthæi caput 24.

*Chryſoſtomus.*

Nullis omnino credendum, niſi dicant uel faciant quæ conuenientia ſint ſcripturis ſanctis.

*Et ad Pſalmum 95.*

Et quis eſt qui iſta promittit? Paulus: neq; enim oportet quidquam adſeuerare ſine teſtibus ſola animi cogitatione. Nam ſi quid abſq; ſcriptura dicitur, auditorum cognitio claudicat, nunc annuens, nunc hæſitans, & interdum ſermonem vt friuolum auerſans, interdum ut probabilem recipiens. Verum vbi eſt ſcriptura, ibi diuinæ vocis prodijt teſtimonium, & loquentis ſermonem, & auditoris animum confirmans.

Proinde, quæ Patrum ſcriptis autoritas ſit in dijudicandis Eccleſiæ controuerſijs, ſatis hactenus arbitramur explicatum. Eadem autem ratio eſt & iudiciorum in Synodis. Nam

Nam regula quam ſupra retulimus ex Paulo: Omnia eſſe probanda, non tantum ad Patrum ſcripta & Doctorum in Eccleſia interpretationes pertinet, ſed etiam extendi & accommodari debet ad Concilia Eccleſiaſtica & Synodos. Etenim nec horum Decreta aliter recipienda fuerint aut approbanda, niſi quatenus Scripturis ſacris conſentanea ſint. Quo nomine Nicænæ Synodi decreta tantopere prædicat ATHANASIVS, quòd decreta eius ſecundum præſcriptum ſacrarũ literarũ fideliſsimè ſint confecta. Sic enim dixiſſe fertur Magnus Athanaſius ad Epictetum:

Quæ in Synodo Nycæna à Patribus ſecundum diuinas ſcripturas expoſita ſit fides, eam ſufficere ad omnem omnis impietatis deſtructionem, & ad cõfirmationem piæ in Chriſto fidei. *Athanaſius.*

Verba hæc, ſecundum ſanctas ſcripturas expoſita, ſatis arguunt vnde ſit ſua autoritas Concilijs & Synodis, à ſcripturis Prophetarum nimirum & Apoſtolorum.

Eadem fuit & Auguſtini ſententia hac de re expoſita, cap. 13. libri 3. contra Maximinum Arianum, his verbis:

Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius autoritate, nec tu illius detineberis: Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque proprijs, ſed vtriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet & vtrique tanti ponderis molibus cedamus. *Auguſtinus.*

Atque huius ſententiæ teſtimonia diſertè perſcripta extant etiam inter Canones Decretorum Gratiani, quib. expreſsè

vetitum fuit parere vllo modo ijs quæ cōtra ſcripturam ſint conſtituta. Ita inquit text. Canonis: Si is qui præeſt 11. q. 3. Etiamſi nos, aut Angelus de cœlo Euangelizauerit vobis, præterquam quod vobis euangelizauimus, Anathema ſit.

*Item.*

Si quis prohibet vobis quod à Domino præceptum eſt, & rurſus imperat fieri quod Dominus prohibet, execrabilis ſit ab omnibus qui diligunt Deum.

*Item.*

Is qui præeſt, ſi præter voluntatem, vel præter id quod in ſanctis ſcripturis euidenter præcipitur vel dicit aliquid vel imperat, is tanquã falſus teſtis Dei & ſacrilegus habeatur. Concordat ca. Non ſemper. Et ca. Si Dominus. ead. cauſa & quæſt. vbi plura ex dictis Auguſtini & Hieronymi referuntur.

Et hactenus quidem de autoritate Patrum & Conciliorum Eccleſiæ, quid quantumq; eorum ſententijs, decretis, & deciſionibus rectè & piè ſit tribuendum.

IAM VERO, Si, quale hactenus deſcripſimus Concilium liberum & pium, ordine recteq; ad inſtaurandam religionem & errores repurgandos indiceretur, Omnium rerum nihil facturos ſe libentius Status & Imperij Ordines, qui Auguſtanæ Confeſsionis ſunt, teſtantur, quàm ut eiuſmodi congregationi & deliberationibus piè inſtitutis ſeſe cōiungant, atq;, ut decet, ſubmittãt reuerenter, compa-

compareant legitimè, decretis & deciſionibus eius ſanctè et religioſè obtemperent. Qua de re ut ſępenumero hactenus voluntatem et ſtudium ſuum in Comitijs et deliberationib. publicis declararunt, ita etiamnum hoc ipſo declaratam ac teſtatam publicè volunt.

Etſi autem Epiſcoporum conuentus ſua habeant incommoda, & de melioribus etiam temporibus dixerit Nazianzenus: nullum ſe vidiſſe conuentum Epiſcoporum aut Synodum vllam, quæ nō magis accenderit diſcordias, quàm diremerit: tamen ſi, quale delineauimus Concilium, ope diuina, ac ſtudio diligētiaq́ religioſa ſummorum ordinum & procerum orbis Chriſtiani congregaretur ac procederet, dubium nobis non eſt, permultum id ad illuſtrandam Dei gloriam & errores multos ac magnos qui in Eccleſia hærent extirpandos momenti eſſe allaturū. Siquidē hoc Conciliorum & Synodorum remedio ſemper in grauiſsimis motibus & diſsidijs dogmatum Eccleſiam vſam intelligimus etiam ex hiſtorijs & antiquiſsimis quæ de religione mota fuerunt certaminibus, & idem etiam Patrum ſententijs traditum accepimus:

*Nazianzenus ad Procopium Epiſt. cap. 11.*

Ad extirpationem errorum, & ut fides vnica ac vera luceat in toto grege Dominico: denique ad reformationē Eccleſię in capite et membris cōmodiora non ſunt remedia vlla quam vniuerſalia Cōcilia.

Vt in Canone 1. Diſtinct. 15. Et in Ca. Sicut relatum extat, & prolixè expoſitum à Panormitano in tract. de Concilio Baſilienſi in princ. à Iaſone in conſil. 95. col. 6. verſ. tranſeo ad tertium. in 4. volumine. Cataldinus item in tractatu de translatione Baſilienſis Synodi num. 4.

Enimuerò

Enimuero multi oculi acutius rem implicitam cernunt quàm vnus, ac plus poſſunt plures manus quàm vna. vt ait Antonius de Roſellis in tractatu de Cõciliijs §. nunc vtilem. num. 12. Neq; omnia vnus vir cernit vt eſt in Prouerbio.

Eſt & hæc apud Canoniſtas piorum Conciliorum vtilitas annotata & commendata imprimis, quod per ea Põtificum Simoniæ, tyrannidi, cæteriſq; vitijs commodiſsimè obuiam iri queat & reſiſti, vt ex antiquioribus interpretibus teſtantur Ioannes de Turre cremata, & Cardinalis Iacobatius lib. 1. de Concilio.

SIN autem huiuſmodi Concilij œcumenici ſeu generalis, quale diximus, nos fallat expectatio, ut id congregari vndiq; ex omnibus Chriſtiani orbis prouincijs in tanta pacis & rerum omnium incertitudine non poſsit, quod colligi tamen propter multas cauſas exoptãdum foret maximè: Supereſt ut Status ſeſe offerant ad particulare ſeu Nationale Concilium liberum atq; Chriſtianum, quod intra Germaniæ noſtrę limites ijſdem rationibus & conditionibus, quomodo iam antea de vniuerſali Cõcilio expoſitũ fuit, peragatur. Ac ſperant illud ipſum Concilium prouinciale (quod etiam pleriſq; in comitijs placuit Senatui Imperij publicè) doctis & pijs maiore frequentia inter ſe candidè, placidè, ſine odijs, ſine animorum acerbitate & præſtigijs colloquentibus ad fructuoſum Eccleſiæ vſum, & cõcordiam ſtabiliendam plurimum momenti habiturum, iuxta promiſsiones diuinas: Vbicunq; duo vel tres cõ„ gregati fuerint in nomine meo, in medio eorũ ſum.

Fieri

Fieri autem nequit, ut,ipſo præſente et cœpta dirigente, non etiam exitus negocij piè ſuſcepti ſalutaris ſit generi humano futurus. Quem quidem euentum, ut cætera noſtra omnia, ipſe filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſolus moderari poteſt, & certò moderabitur, ſicut ait ipſe:

Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Matth. 11. »

*Et Ioan. 15.*

Sine me nihil poteſtis facere. »

*Et Ioan. 1.*

Omnia per ipſum facta ſunt. »

*Matth. 28.*

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. »

*Vnde & Chryſoſtomus Homilia 49. in Matth.*

Vbi Chriſtus eſt ibi Angeli, ibi Cœlum, ibi Lux & bona omnia adſunt.

Et de tertio, eodemq; vltimo inſtitutæ huius ſcriptionis loco hactenus ſatis.

## EPILOGVS.

SVMMAM IGITVR CONTROVERSIAE OMNIS de Synodis Pontificum & in vniuerſum de doctrina, qua fieri breuitate potuit, huc vſq; complexi, id operam dedimus, ut quæ ad cauſam hanc pertinerent, quod in nobis eſſet, diſtinctè atq; ordine ad rerum ipſarum explicationem quàm ſimplicisſimè exponeremus.

Iam,

Iam, vt, quæ hactenus pro rerum neceſsitate prolixius dicta ſunt, in pauca conferamus omnia, ſumma rerum capita breuiter perſtringemus:

*Calumniæ aduerſariorum.*

AC PRINCIPIO, velut in proœmio & ante quàm ipſam arcem cauſæ aggrederemur, neceſſariò reſponſum fuit pleriſq; aduerſariorum & maleuolorum calumnijs, quibus præter meritum & iniquiſsimè prægrauantur in hac cauſa Status: quaſi cenſuram omnem, omnemq; cognitionem iudiciorum Eccleſiæ Catholicæ ſuperbè aſpernentur: Cæteraſq; orbis Chriſtiani nationes, quarum præclara hucuſq; ſemper pro defenſione religionis merita fuerint, præ ſe contemnant: lucem etiam & conſpectum intelligentium peroſi, Conciliorum ac Synodorum autoritatem grauiſsimam ſubterfugere nitantur: deniq; quaſi per eos ſtet quominus concordiæ & pacis publicæ ratio vlla tandem iniri inter partes diſsidentes poſsit.

Quibus calumnijs ita in hac parte & initio ſcripti reſponſum fuit à Delectis, ut pijs & intelligentibus omnibus conſtare inde facilè poſsit, Status & Imperij Ordines qui à Pontificibus ſeceſsionem neceſſariò fecerunt, nihil rerum omnium magis ſemper in votis habuiſſe, aut etiamnum cupere impenſius, quàm ut omnis controuerſia hæc piorum, eruditorum, & intelligentium, omnium nationum atq; prouinciarum & vbicunq; ſint, iudicio cognoſceretur: & ad talium virorum colloquia, congreſſus, & cenſuras prouocaſſe ſemper, qui intelligunt cõtrouerſias, nec amant Sophiſmatum præſtigias, nec in alterutram partem addicti ſint

cti ſint magis, ſed doctrina confirmati Deum timentes, & amantes veritatis ſine maleuolentia iudicent candore doctis & bonis conueniente.

Quod ſi impetrare vnquam potuiſſent Status, aut etiamnum impetrare liceret, res ipſa facilè oſtenſura eſſet, vtra pars lucem Euangelij reformidet, vtra etiam noua atq; impia dogmata, pugnantia cum perpetuo Prophetarum & Apoſtolorum conſenſu in Eccleſiam inuexerit, & tanta pertinacia atq; crudelitate defenderit hactenus. Deniq; vtra ſchiſmatum & diſſidiorum autor ſit, eáne quæ errores & dogmata manifeſtè falſa defendit & propugnat, an verò quæ Euangelij & veritatis agnitæ lucem deſerere contra conſcientiam nec vult nec poteſt, grauiſſimam ac ſæuerißimam comminationem diuinam conſiderans ac præ oculis habens, qua ipſe Dominus ait:

Qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor & ego illum coràm Patre meo qui eſt in cœlis: Et inuicem qui me negauerit coràm hominibus, negabo eum & ego coràm Patre meo qui eſt in cœlis.

DEINDE, quæ altera inſtitutæ ſcriptionis pars fuit, cauſis & rationibus ordine, diſtinctim ac planiſſimè demonſtratum fuit, cur Principes & Imperij Ordines, qui Confeſſionis Auguſtanæ ſunt, indictum aut reſtitutum à Pontifice Concilium Tridentinum neq; agnoſcendum ſibi neq; adeundum arbitrentur.

PRIMO

PRIMO QVIDEM: quia illegitimè & contra ius manifeſtum indicta ſit hæc Synodus, à Pontifice Romano, rapiente & arrogante priuatim ſibi ius illud, quod ſolius Imperatoriæ Maieſtatis conſtat eſſe proprium: quemadmodum exemplis laudatiſsimorum Principũ veteris Teſtamenti, tùm etiam primitiuæ Chriſtianorum Eccleſiæ, & tot Romanorum Cæſarum, Conſtantini, Theodoſij vtriuſq;, Martiani, Arcadij, Honorij, Iuſtiniani, Fridericorum, Otthonum, Henrici, Sigiſmundi, ex fide dignisſimis hiſtorijs fuit demonſtratum.

Item, quia nullam Romano Pontifici iuriſdictionem aut ſuperioritatem, aut deniq; primatum vllum in hos Ordines aut eorum Eccleſias Status concedant: Et ea, quam ſibi priuatim ſumpſit Papa in Eccleſias omnes poteſtas, ex diametro contraria ſit expreſſo verbo Dei, Matth. 20. quo dictum eſt: Reges gentium dominantur, vos autem non ſic: Tum etiam antiquiſsimis primitiuæ Eccleſiæ & Patrum inſtitutis, ac Canonibus Eccleſiaſticis ſincerioribus. Cum is qui ſe vniuerſalem Epiſcopum ab alijs omnibus haberi velit, inq; omnes imperium ſibi ſumat, ipſius Antichriſti præcurſor videatur, quemadmodum grauiter ipſe Gregorius Magnus, Epiſcopus Romanus, olim ſcripſit.

Quodq; nec titulum eius iuris poſſeſsioniſue iuſtum, nec fidem bonam allegare vllo modo Pontifices Romani poſsint, adeoq; nullo vnquam tempore ius illud rectè præſcribere. Multa etiam paſsim in omnibus prouincijs Concilia fuiſſe conſtet congregata ſub Imperatoribus Chriſtianis ſine autoritate & præſentia Romani Epiſcopi, alijs pijs viris & Eccleſiarum Epiſcopis præſidentibus.

Quæ

Quæ licet deeſſent rationes, nihilominus tamen conuocandæ Synodi ius hoc tempore Pontifici Romano non competiturum, propterea quòd is cum ſuis Cardinalibus & Monachis adhærentibus de erroribus grauiſsimis, idolatria manifeſta, de falſa doctrina, ſuperſtitione ethnica, de Simoniaca hæreſi & alijs compluribus vitijs publicè ſit poſtulandus: & ob id nulla iuris ratione eum, qui futurus ſit in hoc iudicio pars rea, etiam iudicis perſonam eodem in iudicio ſuſtinere, ac ius conſtituendi iudicij ſibi ſumere poſſe.

DEINDE. Ob locum Concilio celebrando minimè omnium opportunum, & extra Germaniæ fines ſitum, contra quàm pluribus in Comitijs publicè decretum fuit de libero & Chriſtiano Concilio in Germania congregando. Neq; enim Tridentum liberam aut Imperij ciuitatem eſſe, ſed Italiæ oppidum, Pontificijs Cardinalibus perpetuò ſeruum, & in inſidioſis illis rupibus ob Italicas machinationes multis nominibus meritò ſuſpectum noſtris: pleriſq; etiam omnibus Imperij Ordinibus, & illis uel præcipuè qui Confeſsionis Auguſtanæ ſunt, admodum remoto ſitum loco, atq; omninò tale ut nec cauſæ ipſi quæ agenda eſſet, nec Principibus, aut ipſorum Legatis, Theologis, Oratoribus, & cæteris qui mittendi ſint, tutum receptum præſtare poſſe videatur.

TERTIO. Quoniam ijſdem Imperij decretis diſertè & expreſsè cautum ſit de Concilio œcumenico ſeu vniuerſali habendo, quo religionis diſsidium graue iudicetur:

Huius autem Tridentini Concilij longè aliam eſſe cauſam, quod ex vnius aut alterius nationis populo, aliâs Pontifici magna ex parte in temporalibus ſubiecto, collectum ſit, laicis omnibus contra antiquiſſimam Eccleſiæ & uetuſtorum Canonum conſuetudinem excluſis, ac Pontifice cum Cardinalibus & mancipijs ſuis ſummam præſidendi ac decidendi poteſtatem ſibi ſumente.

QVARTO. Quia nec liberum ſit Concilium quod à Pontifice indicitur, ſed multis modis ſeruum, coactum, & duriſſimis uinculis obſtrictum Papę, qui iudicij et definiendi poteſtatem his ſolis, quos arctiſſimis & horrendis iuramentorum vinculis deuinctos habet, largitur: cæteros autem, & pios ac doctos omnes, longiſſimè ab eo arcet: Tum etiam fulminibus damnationum & excõmunicationum, bullis cœnæ ſuæ, ac ſimilibus cenſuris iniurioſiſsimis Status ſine ulla cognitione legitima & indicta cauſa iampridem condemnarit, multosq; nobiſcum ſentientes crudeliter interfecerit hactenus: Quæ præiudicia grauiſſima nequedum, ut fieri debebat, ſublata ſunt aut caſſata, ſed uigẽt, curſumq; ſuum obtinent: Vt Statibus eo in Concilio nihil niſi extrema quæq; expectanda certò ſint, ſi quid pro defenſione veritatis aduerſus grauiſſimos errores & facinora aduerſariorum neceſſariò dicendum foret liberius.

QVINTO. Quòd Synodus hæc nullo, non modo liberi, ſed nec Chriſtiani Concilij nomine rectè cenſeri poſſit. Quoniam Pontifices Chriſto & verbo eius ſoli, uelut ſummo iudici, debitam autoritatem uocis deciſiuæ iudicijq; ſupremi

premi adimunt, & homini humanisq́ traditionibus & decretis adſcribunt: de quibus conſtat, niſi uocem Chriſti obſeruent, multipliciter ea falli, grauiter errare, labi, & in omnem partem à ueritate diſcedere poſſe: qualia permulta etiam ueterum Conciliorum exempla extant, ex quorum numero relata ſunt Syrmienſe, Seleucianum, Ariminenſe, Epheſinum, Laodicenum, Toletanum, Mileuitanum, Lateranenſe & alia complura.

Sexto. Propter corruptiſſimum Papatus, & regni Pontificij Statum, manifeſta ac notoria turpitudine, luxu, auaricia, ſuperbia, tyrannide, nefarijsq́ libidinibus adeò deteſtabilem, ut multis iam annis grauiter eo offenſos conſtet permultos paſſim bonos, & intelligentes quorum querelæ hac de re extant publicè: D. Bernhardum, Eberhardum Salisburgicum, Petrarcham, Mirandulam, Ferrarienſem, Albericum, ac plerosq́ etiam Imperatores. Quo caſu etiam ipſi Canones, & iura quibus Pontifices utuntur, expreſsè adimunt eis iudicandi munus, et fugiendos procul ac deſerendos præcipiunt.

Septimo. Tùm verò uel imprimis ob nocentiſsimum ambitus Simoniaci crimen; ita peruulgatum in Papali curia, uti nullius ſceleris maior vſpiam ſit licētia aut impunitas. Vnde tam variæ extiterint Annatarum expilationes, tot ex omnibus negotijs & cauſis taxæ pœnitentiariæ, indulgentiæ, reſeruationes, diſpenſationes, relaxationes: tã varij rapinarum tituli de pallijs, de bullis cõmiſsionis, bullis ad capitulum, bullis ad clerũ, ad populum, Cancellarię taxę. breuiter, tot nundinationũ et monopoliorum formulę, ut ſacra et prophana omnia venalia facta ſint pontificib. impijs,

& maior quàm pro cuiuſquam opinione auri argentiq́ uis ex orbis Chriſtiani prouincijs paſsim exportata quotânis, & etiamnũ cum dedecore atq́ turpitudine per lamias iſtas æruſcatur. Vt iure optimo recuſare iſtos nundinatores Simoniacos videantur Status, quominus in publico orbis Chriſtiani Concilio iudicium de dogmatibus illis committatur, quorum hæreſin & ſocietatem impiam procul fugere boni omnes debeant.

OCTAVO. Ad hæc, copioſè ſatis demonſtratum fuit, quod ad neruos controuerſiæ huius vel imprimis pertinebat, Pontifices & Monachos nõ tantum denſiſsimis errorũ & ſuperſtitionum tenebris inuoluiſſe doctrinam Eccleſiæ, ſed nouum prorſus religionis genus à Prophetica & Apoſtolica ſcriptura diuerſiſsimum in Eccleſiam inuexiſſe, ac nouum, ſi Dijs placet, Chriſtianiſmum nobis peperiſſe: perinde ut Iudæi ſuo Thalmud, quod vocãt, & Turcæ Alcorano, maiorum ſuorum religionẽ transformarunt olim. Ex eo genere ſunt quæ ex libris ipſorum retulimus qui extant, & iam inde uſq́ à trecentis annis in manib. omnium ſunt: De hominum mortuorum inuocatione: de Statuarũ adoratione: de ſanctis interceſſoribus conſtituendis apud Deum: Quod fingunt homines mereri remiſsionem peccatorum proprijs operibus bonis, & iuſtos eſſe impletione legis: Quòd Sacramenta omnia multipliciter prophanant: Quòd cœnam Domini horribili audacia ad vſus impios extra verbum Dei transformant in ſpectaculũ & oblationes pro viuis & mortuis. Quod humanæ naturæ triſtiſsimam deprauationẽ & prauam concupiſcentiam, quæ nominatur peccatum originale, extenuant quaſi nihil ſit mali quod cum lege Dei pugnet inuicem falſiſſimis præ-

conijs

conijs exornantes commentitia ſupererogationum opera: Quod tam immodicis exaggerationibus amplificant uires liberi arbitrij: quod impiè deprauant doctrinam ſalutarem de iuſtificatione per fidem in filium Dei, quam manifeſta Dei contumelia operibus noſtris adſcribunt. Quòd iubent homines perpetuò dubitare an ſint in gratia credentes in filium Dei, et an Deo placeant. Itē tam pertinax ſeptē Sacramentorum adſertio, atq; etiam nouum extremæ vnctionis Sacramentum: et ignis purgatorij commentum uaniſsimum: Tot inſuper traditiones in immenſum cumulatæ, & conſcientiarum laquei inexplicabiles: auricularis confeſsionis carnificina multiplex, omniumq; delictorum vaniſsimæ enumerationes, fidem & inuocationem omnem extinguentes: tot confictæ ſatisfactiones: tot religioſorum, nihil aliud quàm impiè miſsificantium, ordines: vita monaſtica plena falſarum opinionum et ſuperſtitionum, et in reliqua Eccleſia opiniones & labyrinthi inextricabiles: Tam impius legitimi coniugij contemptus, & de cœlibatu leges turpiſsimæ. Miniſterij autem Eccleſiaſtici tam ingens neglectus & prædicationis deſertio, qua multis in locis aut ſilent conciones toto anno, aut ſi quæ fiant næniás tradunt ſuperſtitioſiſsimas.

Præterea tot cultus noui in Eccleſiam inuecti ſine vllo Dei mandato, maxima ex parte prorſus Ethnici et idolatrici, nec diſsimiles incantationum & magicarum ſuperſtitionum: tot obiurationes: tot conſecrationes olei, ſalis, herbarum, campanarum etiam & eſculentorū, tum aquę luſtralis aſperſiones Ethnicæ pro abluendis peccatis, tot funebria ſacrificia, miſſæ tot in omnibus omnium ſacellorum angulis, &, ut Propheta ait, aræ omnes plenæ vomitus.

Atq; hęc de erroribus doctrinę et cultuum. Deinde verò quàm ſuperbus ſit & præpotens Rom. Epiſcopi dominatus ſupra Reges & Principes omnes longè ſe extollentis, et primatū contra expreſſum Chriſti verbum, contra primitiuę Eccleſię et S.S. patrū, Ignatij, Cypriani, Auguſtini, Chryſoſtomi, Irenæi, Gregorij I. et Pelagij Epiſcoporū, tum etiā contra antiquiſſimorum Conciliorum autoritatem prætextu impio miniſterij Euangelici conſtituentis, tyrannidēq; infinitam exercentis ubiq; in Eccleſia, dum pro conficta ac uaniſſima plenitudine poteſtatis quoduis audet, quiduis licere ſibi putat, bella gerere, diſſoluere fœdera, ab obedientia abſoluere, iuramenta ſoluere, regna & imperia dare & eripere quib. uelit, Reges et Principes infeſtis armis cōmittere, bellis funeſtis implicare, vrbes diripere, ſpoliare, regiones ferro igniq; uaſtare, poteſtatem ſanguinis politico magiſtratui ereptam exercere, ac iactare quaſi Imperator hāc & ius ſuum omne à Pontifice Roma. habeat, Regib. tanq; uaſallis imperare, ſpoliare prouincias omnes ſuis theſauris omnib. & expilare quidquid uſpiam argenti reliquum ſit. Babylonem nouam (quomodo Tertullianus, Hieronymus & alij Romam appellarunt) conſtituere, cuius inexhauſtę uoragini omnium regnorū opes infundantur, quęque ſentina ſit profligatiſſimorū hominum omniū. Quib. etiam emētita illa Cōſtantini donatio debeatur: Quiq; iura omnia in ſcrinio pectoris ſe geſtare iactitent, nec errare ullo modo queant: breuiter, quib. incertum eſt an uita alia reſtet poſt hanc uitam, & an animæ hominum ſint immortales: quosq; non puduit Euangelium de Chriſto dicere fabulam, quomodo de Leone X. relatum eſt ſupra.

NONO loco etiam hoc plenè demonſtratum à nobis fuit,

fuit, Tridentinam hanc congregationem aliud nihil quàm continuationẽ quandam & confirmationem fore decretorum, quæ antea & hactenus partim falſa, partim ambigua & ſophiſtica in conuentib. Papiſticis edita fuerunt. Quale primò fuit tertiæ Seſſionis decretum manifeſtè impium, de traditionib. humanis pari autoritate cum diuinis præceptis eodemq́ affectu pietatis ſuſcipiẽdis: quod manifeſtiſſimis ſcripturæ ſanctæ teſtimonijs, tum etiam S.S. Patrum Cypriani, Hilarij, Origenis, et antiquiſſimorum Conciliorum autoritate refutatum fuit.

Tum, quod de uulgata ſacrorum librorum interpretatione latina eadem ſeſſione ſtatutum fuit, nihil in ea quidquã deſiderari aut ullo prætextu reprehẽdere licere. Id ſimiliter oſtenſum fuit aliter ſe habere, & pleraq; multa in Hebraicis ac Græcis fontib. aliter inueniri: multisq́ in locis hanc ipſam uerſionẽ à Patrib. olim, & alijs uiris doctis correctã fuiſſe atq; emendatam. Pleroſq; etiam veteris & noui teſtamenti libros haberi ab ipſis inter Canonicos, quos D. Hieronymus & alij plures doctores in Eccleſia apocryphos & extra Canonem eſſe publicè teſtati ſint.

Deinde Seſsionis IIII. decretum de praua concupiſcẽtia, non intelligi eam peccatũ Deo diſplicens, grauiſsimis et multis ſcripturæ ſententijs, ac Patrum, imprimis verò Auguſtini & Hieronymi expreſsis teſtimonijs confutatũ fuit. Tum quòd eadẽ ſeſsione tanta vanitate Papam ſupra Conciliorum authoritatem omnẽ euehunt, quod tamen pleriſq; etiã Scholaſticis doctorib. & Canoniſtis iamolim diſplicuiſſe oſtendimus.

Similiter & quintæ Seſsionis Canon ſeptimus refutatus fuit, quo de iuſtificationis articulo manifeſto errore ſtatutũ

fuit, quòd opera quæ ante iuſtificationem fiunt, etiam ſine fide Deo placeant: cum contra expreſsè dicat Paulus de iuſtificatione; Sine fide impoſsibile eſt Deo placere. Et idem etiam traditum ſit conſentiente omnium Patrum voce & ſententijs antiquiſsimis.

Item Canon vndecimus & duodecimus de eodem iuſtificationis articulo, damnantes doctrinam Eccleſiarum noſtrarum, ut in exhibita confeſsione comprehenſa eſt. Quæ cenſura itidem manifeſtè pugnat cum Paulinis diſputationibus in Roman. & alibi. & cū ſententia Petri Actor. 13. & perpetuo conſenſu antiquiſsimorū doctorum in Eccleſia, Cyrillo, Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino, Bernardo, Eraſmo etiam & alijs.

Ac deinde 13. & 14. Canonis decreta quę iubent ſemper dubitare an ſimus in gratia: errore penitus impio et blaſphemo, quem & Paulus manifeſtè refutat, & S. Patrum ſententiæ conſentientes, Cypriani, Gregorij, Nazianzeni, Hilarij, Auguſtini, Bernhardi.

Item 30. Canon eiuſdem ſeſsionis, qui Purgatorij commentum fabuloſum & inferias ethnicas confirmat, contra expreſſiſsima ſcripturę teſtimonia, quibus opinio de media uia reijcitur: tum etiam Patrum ſententiam et ueterum ſcriptorum, tam Græcorum quàm Latinorum, qui Apoſtolorum temporibus vicini fuerunt.

Ad hæc ſextę Seſsionis decreta, de numero Sacramentorum Eccleſię: et quòd Sacramenta ex opere operato etiam ſine fide gratiā cōferant. Quę, ut ſuperiora omnia, ſimiliter cū ſcripturis et patrū ſententijs pugnare oſtendimus, atq; ob eā cauſam Status, qui Auguſtanę confeſsionis ſinceriorem doctrinam amplexi ſunt & ſequuntur, rectè & iure Tridentinarum

tinarum Synodorum continuationes recuſaſſe hactenus.

DECIMO. breuiter etiam monuimus, de Concilijs Pōtificijs, quàm ea ſint & eſſe debeant ſuſpecta meritò omnibus amantibus tranquillitatis & pacis publicę. Quādo iam multis ætatibus tantum in orbe Chriſtiano turbarū, tumultuū, diſcordiarū, bellorū cruentiſsimorū et lanienarum inter Principes varie accēderint, et grauiſsimas calamitates inde ſecutas, multorumq; regnorū et ſtatus publici concuſsionē, ruinā ac vaſtitatē omnes anni conſequentes excipiāt. Quorum malorū etiā noſtra ætas nō minimā partē ſenſerit duriter, à Boiemicis et Huſsitarū motibus, quos Conſtātienſis Synodi crudelitas cōflauit, ac deinde auxit Baſilienſis, uſq; ad ea incendia, quæ è ſuperiorib. Tridētinis Synodis duab. in Germania noſtra extiterunt. Nō mirandum igitur, neq; ſuccenſendum ſi Status Imperij tot exemplis iam edocti tandem Pontificum Concilia inſidioſa ac paci inimica auerſentur, & recuſent.

VNDECIMO. Et hoc eò magis, quòd Pontifex et eius addicti palàm negēt, Status & Imperij Ordines q Cōfeſsionis Auguſtanæ ſunt, eſſe membra Chriſtianæ ſocietatis & Eccleſię Catholicę. Cur igitur Pontificē, pro hoſte et carnifice gerentē ſe potius quā Epiſcopo, ſuperiorē agnoſcerent?

AC TANDEM vltimo loco exemplis ſanctorū in Eccleſia Patrum, qui omnib. temporib. floruerunt, oſtenſum fuit, nihil nouum aut inſolens à Statib. hac ſuſpecti & impij Concilij recuſatione admitti: Siquidē & olim conſimiliter fecerunt Athanaſius qui Tyriam Synodum recuſauit, & Maximus Hieroſolymitanus qui Antiochenam, Cyrillus qui Syrmienſem, Paulinus qui Mediolanenſem Synodum

recuſauit,& Chryſoſtomus, qui aduerſus ſe iniuſtè conſpirantem Synodum reliquit,ac propterea etiam à Gelaſio laudatur in Canonibus Eccleſiaſticis.

TERTIA PARTE tandem indicatũ breuiter fuit, quale ſit illud Concilium, quod toties iam Status expetiuerunt atq; etiamnũ efflagitant: quæq; in vniuerſum ratio ſit & forma liberi, Chriſtiani, & œcumenici Concilij, ac piarum Synodorum quibus controuerſiæ de doctrina dijudicandæ ſint. Ac primum quidem, quod ad hoc attinet, pro rei magnitudine ac dignitate Ordinis Politici, indicẽdũ eſſe Cõcilium ab ipſo Imperatore & ſummis quibuſq; magiſtratib. orbis Chriſtiani: Locumq; ei definiendum intra Germaniæ limites in libera aliqua & imperiali ciuitate, cuius acceſſus opportunus et tutus ſit vocatis, acceſſuris, et receſſuris omnibus, fide publica & ſolennib. cautionib. pleniſsimi ſalui conductus interpoſitis: Aduocandos autem et admittendos ad dicendam ſententiam & cognoſcendũ antiſtites Eccleſiarum, Epiſcopos, Prelatos & idoneos quoſq; ex Pontificijs, ſoluto tamen prius iuriſiurandi vinculo, quo Pontifici deuincti ſunt: et ab altera parte ſuperintendentes, Parrochos, Concionatores, Theologos, & verbi miniſtros idoneos omnes: vtrinq; autem laicos etiam & politicos viros cuiuſcunq; ordinis, Reges, Principes, ciuitatũ et oppidorũ municipes, & qui in qualibet prouincia inſignis alicuius doctrinæ, pietatis & intelligentiæ nomine celebrantur: vtq; iudicij ac definiendi poteſtas communis ſit vtriſq; tàm Laicis quàm Clericis: Iudicem autem ſupremũq; Cõcilij præſidẽ ac normã iudicij ſecundũ quã dijudicentur dogmata controuerſa, eſſe debere Chriſtum ſolum, et verbum Chriſti traditum in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, tum

ut quiſq;

ut quiſq; Sanctorum Patrum in Eccleſia cũ verbo expreſſo maximè congruit. Vt ſic verè Chriſtianum ſit, liberum et pium Cõcilium, ſecundũ Imperij decreta et ſpẽ toties factã: eiuſq; deciſionibus pijs ſumma voluntate ac libenter parituros eſſe Status.

HAEC CVM ita ſint, cumq; res ipſa oſtendat multos ac magnos errores fuiſſe et eſſe in doctrina ac ritib. Papiſticis, tetros etiam abuſus et impietatem manifeſtam adhuc mordicus à Pontificibus defendi ac ſtabiliri: Speramus intelligentes & bonos omnes facilè intellecturos, Status non errore opinionis aut praua cupiditate, ſed neceſſariò ſinceriorem hanc doctrinam amplexos eſſe & tueri.

Quando igitur mandatũ Chriſti, grauiſsimè præcipiat, vt caueamus falſam doctrinam & pſeudodoctores Matth. 7.
Attendite à falſis Prophetis, & deinceps cap. 10. Cauete vo- „
bis ab hominib. quoniam tradent vos in conciliabulis ſuis, „
flagris cædent vos in Synagogis. Et Pſalm. 26. ſimiliter ſcri- „
ptum extet de pio Chriſtiani hominis officio: Non cõſedi „
in Concilio vanitatis, & cũ iniqua gerentibus nõ introibo. „
Odi Eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo: „
Quę etiã cauſa fuit, cur nec Apoſtolus ex Prouincia ad ſu- „
ſpectum Cõcilium proficiſci vellet à Iudæis congregatum „
Hieroſolymis, multũ etiã vrgente & pollicente Feſto præ- „
ſide. Actor. 23. & 25. Tũ quia & ipſi Canones Eccleſiaſtici præcipiunt ut fugiamus malos doctores & pſeudoepiſcopos: ca. nõ omnes Epiſcopi ſunt Epiſcopi 2. q. 7. vbi ex autoritate Hieron. ita text. habet: Nõ eſt facilè ſtare loco Petri, & tenere gradũ Pauli iã cũ Chriſto regnantium. Infatuatũ ſal ad nihil prodeſt, niſi ut proijciatur foras et à porcis cõculcetur. Et ibid. in ca. admonendi: ubi hæc Gregorij Magni oratio refertur: Admonendi, inqt, ſunt ſubditi ne plus quã

expedit ſint ſubiecti, ne cum ſtudent plus, quàm neceſſe eſt, hominib. ſubijci, compellantur vitia eorum venerari. Quib. concordat Leonis I. ca. manet 24. q. 1. Et ibid. Ambroſij ca. quæ dignior: quorum utroq; iubemur deſerere antiſtitem q fidem reſpuat: Et expreſsius apud ipſum Apoſt. 2. Cor. 2. Et 2. Theſſal. vlt. ad Gal. 5. Et rurſus 2. Tim. 3. vbi iubemur diſcedere ab his q formã pietatis prætexentes, abnegãt virtutẽ eius: qui ſacra profeſſi, ea cauponãtur et quæſtui habẽt.

Has ob cauſas reuerenter oramus omnes omnium Ordinum Principes viros & intelligentes, ne aduerſariorum iniuſtis, quib. Eccleſias noſtras dãnant, iudicijs, calumnijs, & falſis criminationib. cõmoueri ſe patiantur, vt odium aduerſum hos Imperij Ordines & Status cõcipiant, neq; perſuaderi ſibi vllo modo ſinant quaſi legitima iudicia ac cenſurã grauiſſimã Eccleſiæ Dei Catholicæ oderint fugiantúe Status, aut diſſidia ament, aut deniq; errore vel petulantia dogmata, quæ noua dicũtur, amplexi temerè à cõmuni cõſenſu diſceſſionem fecerint: Sed ita exiſtiment ac certò ſtatuant, neceſſarijs & grauiſſimis rationib. ijs, quas hactenus cõmemorauimus, ac verbo Dei coactos atq; adductos diſceſſiſſe à Põtificijs, & puriorem hãc doctrinã amplexos. quã, vt gloria Dei illuſtrior fieret, et pijs mentib. in Eccleſia conſuleretur, tantis laborib. & periculis hactenus aduerſus acerbiſſimorũ hoſtiũ impetus defenderunt et ad poſteritatẽ tranſmittere pro officio ſuo integrã etiã atq; etiã cuperent.

Piè etiã omnes & ſingulos obteſtantur, ut iuſtiſſimæ huic & manifeſtę veritatis cauſæ ęquo adſint animo: nec iuuent furorẽ aduerſariorũ, crudelitate & iniuſtis decretis veritatem ſuis Cõcilijs, et machinationib. varijs opprimere tentãtium: neq; miniſtri fiant alienæ crudelitatis: ſuſpecta etiam & inſidi-

& inſidioſa ipſorum Concilia ut deſerant, nec confirmare reliqua decreta tot modis impia & tyrannica, Sed propter gloriam Dei & ſalutē humani generis operam dare quiſq; ſuo loco uelit ſedulò, ut tandem legitima, pia, & Chriſtiana emendatione repurgentur errores & abuſus multiplices, quibus deformata eſt Eccleſia; utq; populo Chriſtiano Prophetarum atq; Apoſtolorum doctrina redeat; & antiquiſſimæ Eccleſiæ, Patrum, atq; Conciliorum decreta ſinceriora reſtituantur. Sunt hæc ſummorum ordinum, Regum, Principum & gubernatorum munera propria in Eccleſiam; abolere idolatriam, aduigilare ut Euangelium Dei floreat, inquirere ueram doctrinā, et curare ut ea illuſtrata ad poſteritatem propagetur, concordiam Eccleſiæ rectè conſtituere ac ſtabilire, & ad ſalutem generis humani conſilia omnia dirigere. Quomodo de Eccleſia præclarè meritus fuit is, de quo ſæpe meminimus Conſtantinus Imperator, & Theodoſius, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Otthones, Henrici & alij pij Principes. Eſtq; hic maximus apud Prophetam honos gubernatorum, cum ait eos eſſe nutricios & tutores Eccleſiæ: Neq; pietas ulla maior exiſtere poteſt, quàm qua ſeneſcenti Eccleſiæ ſuccurritur.

Nec uerò dubium eſt, quin officiū hoc imprimis gratum futurum ſit Deo, & magnum orbi Chriſtiano incrementum allaturum. Præcludetur enim occaſio maioribus & periculoſiſsimis diſtractionibus & confuſionibus opinionum: animi uulnerati & exacerbati utrinq; lenientur; coibunt rurſum uoluntatibus qui magno Reipublicæ malo hactenus diſſenſerunt: Neq; huic tantum, cum qua nunc uiuitur, ætati ſeruietur, ſed pertinebit beneficium hoc ad omnem, quæcunq; futura ſit, poſteritatem: ea omnis pietatem

tem hanc agnoſcet libenter, & in memoria maximorum beneficiorum perpetuò celebratura eſt. Ipſi etiam Status & Ordines qui doctrinæ huius defenſionem ſuſceperunt, pro ſe quiſq; operam quàm maximam daturi ſunt, ut quacunq; ratione poſſint gratitudinem ſuam, officia, atq; beneuolentiam omnibus & ſingulis qui harum rerum cura aliqua afficiuntur, declarent.

His igitur de cauſis futurum confidunt Status, ut illegitimum hoc & incompetens, multisq; nominibus ſuſpectū Concilium, deinceps cum decretis ſuis omnibus, proceſſibus, & cenſuris ſiſtatur, atq; aboleatur: & inuicem controuerſia omnis libero, Chriſtiano atq; œcumenico, aut ſaltē in euentum nationali ſeu particulari Concilio ſine præiudicijs relinquatur diſceptanda atq; cognoſcenda.

Grauamina etiam, ab aduerſarijs illata & tentata hactenus, in totum interea ceſſatura uſq; ad legitimi Concilij deciſionem: ac quidquid hactenus actitatum, ſuſceptum aut decretum fuit, omne pro nihilo & irritum futurum: neq; aduerſus interpoſitam hanc recuſationem atq; prouocationē neceſſariam quidquam ultra facturos aduerſarios, quod præiudicio eſſe poſſit, donec controuerſia omnis legitimo Concilij iudicio definiatur, cuius quidem progreſſus pro uiribus ſummo ſtudio & fide bona & ipſis adiuuandus ſit.

Quæ ſi locum apud Pontificem habitura non ſit oratio, isq; aduerſus iuſtiſſimam hanc Statuum & Ordinum Imperij proteſtationem atq; prouocationem more ſuo cum præſumpto Concilio progredi uelit, & de facto progrediatur decretis cenſurisúe quibuſcunq; faciundis: palàm teſtātur Status de nullitate, iniquitate & iniuſto grauamine iudicij temerè et illegitimè ſuſcepti: quodq; omnia ea quęcunq; ita

ita gerentur, habituri ſint,pro iniuſtis(qualia etiā reuera fu erint)irritis & de iure nullis,neq; ob id magis abiecturi ueritatem,etſi talium hominū iudicio fuerit condemnata. Ius etiam proponendarum exceptionum omniū & neceſſariç defenſionis,quā ratio naturalis prçſtat omnib. ac quorumcūq; remediorū & beneficiorū tā iuris quàm facti, hoc ipſo integrū ſibi eſſe quandocunq; & quotieſcūq; neceſſitas poſtulet, omninò uolunt,nullaq; in parte circūſcriptū:ſed,quo id melius firmiusq; fieri poſſit,modo,ſaluū atq; reſeruatū.

Hoc amplius:ſi quid pòſt interpoſitam hanc neceſſariā & iuſtiſſimam recuſationē Statibus quacunq; in parte grauaminum iniuſtorum illatum à Pontifice & eius socijs fuerit,aut per Pontificios ſteterit,quo minus Concilium liberum atq; Chriſtianum coire poſſit,aut id quacunq; ratione (ut hactenus ſæpè) impedierint,ut inde maiora diſſidia,turbæ,motus,tumultus,bella,cædes aut quæcunq; alia incommoda in Republica exiſtant:eorum incōmodorum omnium cauſam deinceps Pontifici eiusq; adhærentibus & exautorato Conciliabulo,imputandam, nullo ex his præiudicio , quod Statibus ulla ex parte incommodet, neq; apud Deum neq; apud homines generando.

Vota autem ad æternum patrem Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti toto pectore facimus,ut is ſpiritu ſuo ſancto regat Eccleſiam,quam uoce Euangelij ſui æternam ſibi colligit:neq; in ea ſinat extingui lucem uerbi ſui propter multiplicia peccata hominū, ſed omniū mentes ad pietatē, moderationē & concordiam amandā flectat atq; dirigat.

ATQVE HAEC QVIDEM DELECTI AD CAVſam hanc uiri pro officio & mandato de re pia & honeſtiſſima ſuſcepto , Ampliſſimorum Ordinum nomine

Concilium

Concilium cæteroſq; omnes, ſumma orbis Chriſtiani neceſſitate id flagitante, monere uoluerunt, ut quæ Statuum eſſet in uniuerſum de Synodis Pontificijs ſentētia, hac ipſa oratione conſtaret, ſeq; in omnem euentum excuſarent publicè: de cæteris beneficijs, remedijs, & legitimis auxilijs iuris nihil hoc ipſo remittentes, de quo ſolenniter iterum atq; iterum teſtatum uolunt.

